R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
131 (2
NAPOLI

9
5-4

Racc. Villarosa B. 131²

# LUCUBRATIONES
## IN SURRENTINORUM
## ECCLESIASTICAS
*CIVILESQUE*
# ANTIQUITATES.

Digitized by Google

10

Digitized by Google

# LUCUBRATIONES
# IN SURRENTINORUM
# ECCLESIASTICAS
# *CIVILESQUE*
# ANTIQUITATES

NUNCUPATÆ

*Sanctiſſimo Domino Noſtro*

# CLEMENTI XII.
# PONT. MAX.

A PHILIPPO ANASTASIO
PATRIARCHA ANTIOCHENO
Pridem Archiepiſcopo Surrentino.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI

## *PARS ALTERA.*

ROMÆ, MDCCXXXII.

Typis Johannis Zempel prope Montem Jordanum.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# APPROBATIO.

PHILIPPI ANASTASII Viri Doctiſſimi Antiocheni Patriarchæ *Lucubrationes in Civiles Surrentinorum Antiquitates in ſecunda operis parte collectas*, juſſu Reverendiſs. P. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Pal. Apoſt. Mag. legi: in illis quidem nihil, quod Fidei, & probatis moribus obſit, cognovi; verum peracre, & perſpicax Authoris ingenium, qui a remotiſſimis temporibus res inter ſe tam disjunctas ad noſtram uſque fere Ætatem feliciter revocavit, quod ſane præ rerum, temporumque difficultate cuique magnum faceſſiſſet negotium. Demonſtravit enim quibus Surrentinus Tractus Naturæ bonis fuerit ditatus, quibus Authoribus Urbs Surrentum excitata, qua Politica, quibus legibus, quibuſque moribus inſtituta floruerit, & quibus fortunæ vicibus divexata, omnibus per ſua quæque tempora dilucide deductis. Quæ vero de rerum Natura pro cujuſque loci, reique ratione ſubtiliter, & vere diſputata ſunt, profundam in re Philoſophica doctrinam præſeferunt, atque omnigenam eruditionem. Opus itaque tam varium, tam multiplex, & ſelectiori literatura undequaque confertum, quod doctis hominibus, præcipue vero Surrentinis gratum fore puto, & jucundum, in lucem prodeat arbitror ſane digniſſimum.

*Romæ in Collegio Nazareno pridie Kal. Maii Anno MDCCXXXIII.*

*Anſelmus a S. Matthæo de Cler. Regul. Scholarum Piarum.*

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

*N. Epiſc. Bojan. Viceſ.*

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Sacri Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

*Typo-*

Digitized by Google

# *Typographi monitum ad Lectorem.*

NE mireris, amice Lector, ſi in hiſce ſurrentinarum elucubrationum tomis quamdam Orthographiæ rationem offenderis, quæ primo aſpectu nova aliquibus, nonnullis improbabilis omnino videbitur. In animo enim habui, omnes eas a Syllabis, vocibuſque literas amandare, quæ poſitæ nihil ἐνεργείας, nihilque emphaſis præſtant pronuntiationi: ablatæ autem nihil detrahunt dictionum integritati; quamobrem ut ſupervacaneas, futileſque reſecandas putavi. Hinc eſt, quod litera, P, detractam animadvertes in *abſumtum*, *conſumtum*, *contemtum*, *promtum*, *ſcultum*, aliiſque hujuſmodi: literam, H, in nominibus *Caritas*, etiam quum amorem denotet, *carus*, *Etruria*, *Etruſcus*, & ſimilibus; Diphthongum in dictionibus *Femina*, *ſeculum*, *cetera*, & nonnullis aliis; eliſam vero conſonantem Præpoſitionum, aut particularum, quæ verbis appoſitæ ſunt a duabus aliis conſonantibus incipientibus; quapropter heic *Aſcribo* leges, non *Adſcribo*, *Aſtruo*, non *Adſtruo*, & id genus alia; quem ſcribendi modum non unus e recentioribus Scriptoribus, & ſelectioribus Typographis ſecutus eſt; quum plurima ſuppetant hujuſce ſcriptionis exempla apud antiquos codices, & marmora.

Omnes

Digitized by Google

Omnes etiam genitivos, ut dicunt, caſus in duplex ii deſinentes, in unum longum contrahere ſatius duxi; quod neque antiquis inſuetum, neque Neotericis ſcriptoribus improbatum, ut ſatis notum politioris literaturæ ſtudioſis, & videre cuique eſt apud Claudium Dauſquium in *Antiqui, Novique Latj Orthographia*, & doctiſſimum Henricum Cardinalem Noris in *Cenotaphiis Piſanis Diſſ.*4. *cap.*2. *§.*3. atque Octavium Boldonium in *Epigraphicæ lib.* 5. *c.* 4. ubi id a doctiſſimis viris Juſto Lipſio, & Erycio Puteano uſurpatum fuiſſe animadvertit. Siquid aliud vero invenies, quod tibi diſpliceat, ſcito, nihil ſine lege, aut aliorum exemplo heic factum. Nihil igitur præceps, ac non æquus damnes, antequam diligentius expendas. Menda vero, quæ irrepſerunt, tuæ æquitati remittimus; exciderunt ſane nonnulla, ut pag. 233. v. 23. ubi *erbis* ſcriptum pro *verbis*, pag. 248. v. 17. quædam vox revolutis in caput literis, poſtpoſitiſque compacta eſt, pro qua reponendum *laborantes*, &, quod potiſſimum eſt, verſus pene deeſt pag. 506. v. 18. & 19. ubi de Julio Paveſio dicitur: *Anno vero* 1558. *die* 20. *Julj Surrentinus Archiepiſcopus a Paulo V. &c.* Scribendum eſt igitur: *Anno vero* 1558. *die* 20. *Julj Surrentinus Archiepiſcopus a Paulo IV. Caraſa renuntiatus. Sub Pio V. &c.* Secunda parte pag. 67. v. 18. ubi ſcriptum *Ægimeta* corrige *Ægineta*. Reliqua tuo judicio emendanda relinquo. Vale.

PARS

# PARS ALTERA

## *Lucubrationum in Civiles Surrentinorum Antiquitates.*

## PROLUSIO.

I. SUrrentinorum Eccleſiaſticas Antiquitates non modo eas, quæ ſtudioſius inquirenti patuerunt, hucuſque retulimus: ſed quaſdam etiam ipſa vetuſtate vel omnino deperditas, vel ab hominum memoria penitus obliteratas veluti e rudetis, ac lubricis ſane locis proprio Marte, ut ut odorari potuimus, non ſine multa opera, ac magno labore eruere ſtuduimus. Quod ſi res ab alto aliquando repetivimus, nobis ignoſcent humani lectores; facto enim opus duximus, ut eas diſcutiendo, objectiones facilius dilueremus. Ad amoena aliqua interdum divertere haud abſonum viſum eſt, iterque noſtrum non hemerodromorum, ſed deambulantium potius, & rusticantium,



Digitized by Google

tium, vel animi gratia ſpatiantium inſtar peragere; qui ſi mirum aliquod naturæ, aut potius artis opificium offenderint, non modo gradum ſiſtunt, atque intuentur, verum etiam minutatim, & gradatim contemplantur, ac ſciſcitantur auctorem; quædam in eo probant, vituperant nonnulla, de aliquibus anceps judicium ferunt. Diligentiores ex Archetypo exemplum etiam exprimunt.

II. Modo Ethnicas Surrentinorum, Civileſque Antiquitates exordimur, idque opus, licet, ut putamus, minus proficuum, voluptuoſius tamen lectoribus, atque jucundius erimus eadem methodo proſecuturi, ad varia ſcilicet inter ſcribendum, etſi ab inſtituto non omnino remota diſcurrentes. Ut enim in theatralibus fabulis appoſite quædam embolia inſeri conſueverunt cœptam Epici poëmatis recitationem jucundiſſime abrumpentia: ita noſtris hiſce excurſibus ſi non multum oblectamenti lectoribus allaturi ſumus, ſaltem faſtidium, ac ſtomachum adimere poſſe ſperamus.

III. Ut porro rem aggrediamur, nobis facile perſuademus ad cujuſcumque Reipublicæ, urbiſque præſtantiam, laudem, ornatum, felicitatemque tria potiſſimum facere. Ea ſunt, primum agri fertilitas, & cæli clementia; ſecundum vetuſtiſſima origo, fundatioque cum magnificis publicorum ædificiorum ſtructuris; poſtremum recte ordinata politia, paucis, ſed ſolidis legi-

Digitized by Google

legibus munita. Primum a natura ipſa, ſecundum a ſcita arte, tertium ab hominum conſilio, ſapientiaque præſtatur. Quibus omnibus Surrentinam urbem cumulatiſſime præditam fatentur in admirationem rapti exteri omnes, qui illam adeunt. Libet heic modo quorumdam Scriptorum, & unius præ ceteris elegantiſſimi qua carmine, qua ſoluta oratione verba referre: *Surrentum delicias meas inter crepuſculum, & primam facem delatus ſum ea quidem felicitate, qua ſolent, qui elegantiores muſas, neque averſas, neque adverſas habent. Inveni hoſpitium ſupra votum aptiſſimum, hoſpitem hilarem, & Martium puerum meum gaudio exilientem. Hac Sirene dilectiſſima non utar modo, ſed fruar; nec puto angulum quempiam Orbis a ſole illuſtrari hoc ipſo dulciorem. Invideo hujus loci incolis merito ſemper gloriantibus, nihil eſſe hoc cælo, hac terra, hoc mari amœnius, ac ſalubrius, nihil aſpectu, ac genio, fortunaque loci ſuavius; ſuamque nobilitatem ita extollunt, ut aſſeverent originem aliunde non habere, ſed quaſi cum natura perpetuam fuiſſe, nec unquam niſi cum fine Orbis defuturam. Diſpeream, ſi mihi hæc omnia tamquam cuidam perdito amatori non facile perſuadeam. Quid quæris? nihil video, nihil audio, nihil ſentio niſi laude, & admiratione dignum, ut veniam in ſententiam, naturam heic ſe cupidius, quam alibi indulſiſſe*. Et in alia epiſtola fortaſſe elegantius eidem Tranquillo ſuo ſubdit:

Petr. Gravin. Epiſt. data ad Tranquill. Canonic. Neapolitan. pag. 111.

*Et terra, & mari uno die proſpere me Surrentum appuliſſe, alteris meis literis tibi ſignificavi.*

*His vero nihil aliud habeo, quod ſcribam, niſi quod iraſcor mihi, qui tam male feriatus, & conſultus fuerim per tam longam ætatem, ut alibi quam heic vixerim: ubi ſeceſſum quemdam viſa eſt, & quaſi ex compoſito, feciſſe natura ad omnes, quibus humana mens oblectari poſſit, voluptates. Nunc primum experior quam dulce ſit Ovidianum illud:*

*Vive tibi, bene qui latuit, bene vixit, & intra*
*Fortunam cupiat quiſque manere ſuam.*

*At heic latere nemo poteſt, ſed Deorum vitam æmulari, & cum rerum natura loqui, & immortalitate frui. Utinam mihi id felicitatis contigiſſet in vita, ut, nulla tamen mea turpi culpa, perpetuum mihi, ac neceſſarium heic datum fuiſſet exilium, ut, etiam ſi voluiſſem, hinc abire non poſſem. At invitis, & nolentibus nulla voluptas eſt, immo quoties potionem reſpuentibus, poſtquam hauſerunt, quæ ſecuta eſt ſanitas, jucunditatem attulit? & ſi qua fuit ſæpe illata vis, omni poſtea libertate fuit carior? dices, cur non idem quod tu, multi ſentiunt? quia multi (ut Ciceronis verbis utar) morbo aliquo, & ſenſus ſtupore quemadmodum ſuavitatem cibi non ſentiunt, ſic veræ voluptatis guſtum non habent. Mea Surrentina lucubratio eſt in curſu ſatis proſpero, &, ni fallor, bonis ingeniis placitura; abſolveretur omnino citius, ni genius loci amœniſſimus ad ſe oculos, cogitationes, reliquos ſenſus, denique mentem ipſam traheret. Vale.*

IV. Poſt egregj Latini ſcriptoris feſtiva hæc verba, alterius Italici feliciſſimi vatis, & ſoluta

ſoluta oratione elegantiſſimi verba annectamus. Is eſt Bernardus Taſſus, qui Surrentum ad immenſum Amadigis poëma explendum ſe contulit; unde plures epiſtolas ad magnates, ad eruditos, & ad præclaros poëtas mittens, hæc inter alia de Surrento ſcripſit: *Vi dico, che con buona grazia del Principe mio, laſciata la vita attiva, e quelle faticoſe, e travaglioſe operazioni, mi ſon ritirato a Sorrento Città piena di antiche famiglie, di nobiliſſimi gentilhuomini, e ſovra tutto tanto amici, ed uficioſi, & humani verſo i foraſtieri, che veramente ſi può dir, che ſia l' albergo della corteſia. Ella è dal ſeno d' un piacevoliſſimo mare da Napoli diviſa, la quale ſovra un' alto colle ſedendo, quaſi vaga, che ogni uno rimiri le bellezze ſue, ſi moſtra a riguardanti, dove par, che la natura più larga, e più liberale, che in verun' altro luogo del mondo ſtata ſia, e di renderla bella, e dilettevole ſi ſia affaticata. La delicatura, e novità dei frutti, la varietà, ed eccellenza dei ſuoi vini, la bontà, e quantità dei ſuoi peſci, la tenerezza, e perſezzione delle ſue carni, & ogni altro humano deſiderio la rendon degna di comendazione, e di maraviglia. L'aere è ſi ſereno, ſi temperato, ſi ſalutifero, ſi vitale, che gli huomini, che ſenza provar' altro cielo ci vivono, ſono quaſi immortali. Che più? le mura, che la natura, quaſi geloſa di ſi prezioſo teſoro, gli ha fatte, ſono di montagne eminentiſſime, le quali ſi verdi, e ſi piene di frutti ſi moſtrano, che non invidiano a Venere i più vaghi giardini di Paſo, o di*

Bernard. Taſſ. nelle Lettere riſtampate in Venezia l' anno 1520. lib. 1. A M. Marc' Antonio da Mula fogl. 82.

*di Gnido, e le Najadi, che mal volentieri con le loro fonti la ſommità dei monti ſogliono abitare, vaghe della bellezza loro, per ogni falda verſano con urna di argento freſchiſſime, e pure acque, le quali a gara con un dolce mormorio ſcendendo, diſendono le herbette, e le piante da l'ira di Sirio, allor che con le fiamme ſue in ogni altra parte arde la terra. Ne per altro i Poeti queſto eſſere albergo delle Sirene favoloſamente finſero, ſe non per moſtrare, che tante erano le delicie di queſto Paeſe, che ſe l'huomo tirato dall' amenità, e piacevolezza ſua, vi veniva ad abitare, non ſi ſapendo dal viſco, e dalla rete di queſti piaceri ſviluppare, vi finiva i giorni ſuoi. Il Palazzo di Pollione, il Tempio di Minerva, il Capo di Cerere, i Theatri, le Terme, i Coloſſi, le Statue, & le altre reliquie de l' antichità dimoſtrano in quanto pregio, & eſtimatione tenevano i Romani queſto luogo.*

Sed ejuſdem Civitatis præſtantiam alio illuſtremus Johannis Baptiſtæ Manſi brevi, ſed luculentiſſimo teſtimonio. Hic de Portia de Rubeis matre Torquati Taſſi verba faciens ſcripſit: *Eſſendo Ippolita de' Roſſi ſua ſorella maritata, come s'è detto, ad Onofrio Curiale Cavalier Surrentino, ella tirata colà dall' amorevolezza della ſorella, e Bernardo dalla piacevolezza della Città (la quale credettero i Romani, e credeſi tuttavia eſſere la più dilettevole dell' Italia &c.)* Et paulo poſt idem auctor de Torquato loquens ſubdit: *Ma tutto che egli foſſe per l' opportunità, che detta s' è, nato in così*

Manſi Marcheſe di Villa. Nella Vita di Torquato Taſſo par. 1.

Idem ibidem n.7.

*così antica, e nobil Città, qual' è Surrento, come quella, che conſerva fin' ora le reliquie non men dell' ammirabili magnificenze, che del più chiaro ſangue Romano, e che ne' ſuoi paſſati tempi, prima, che il Reame di Napoli foſſe ſoggetto ai Re, fu anch' ella Repubblica aſſai famoſa, avendo ſoggiogate le circonvicine città, e moſſa talvolta guerra alle più lontane.*

Præterea Johannes Baptiſta Carafa in ſua Hiſtoria Neapolitana inquit: *Sorrento Città antichiſſima, e nobile fabricata da Greci, come ſcrive Igino, e fu detta Syrento da le Syrene, che vi habbitarono, la cui grandezza ancóra appare da gl' infiniti edificii; i quali ancor che 'l tempo l' habbia conſumati, pur vi ſi ſcorgono le reliquie, che ancor ritengono l' antico nome, com' è il Tempio di Cerere &c.* Carafa lib. 1.

V. Nos igitur juxta triplicem memoratam urbis excellentiam in tres libros hanc ſecundam operis partem ſecernemus, acturi in primo de Surrentini Promontorj naturali fertilitate, atque ſalubritate: In ſecundo de primis excitatoribus urbis, incolis, egregiiſque publicis ædificiis, quibus decorata fuit: In tertio denique de priſtina Civitatis conſtitutione, atque regimine quouſque a libertate decidit.

Plura a Topographo expetit recens Geographiæ magiſter, ut ſcilicet tria generaliter tradantur, primo telluris peculiares affectiones: tum ea, quæ loco a cœli aſpectu adveniunt: tandem indi- Varen. in Geograph. lib. 1. c. 1.

indigenarum propria. Quas partes rurſus in minores ſubdividit, primam in decem capita, ſecundam in octo, in decem denique tertiam. Verum quemadmodum de male inſtitutà ab Epicuro diviſione *Triarius* ille apud Tullium dicebat: *hoc eſt non dividere, ſed frangere rem*; ita de ſubtili, & exquiſita hac Varenj dialectica partitione dixerit quiſpiam: hoc eſt non dividere, ſed rem fruſtillatim ſcindere. Quare nos ex eis plura omittemus præcipue ſpectantia ad ſecundam partem; neque ſtellarum ortum, & moram ſupra loci Horizontem, ac per loci verticem tranſitum ſcrutabimur; quæ facile, qui Globorum uſum addidicit, per ſeipſum aſſequetur. Circa tertiam vero partem de incolarum ortu, progreſſu, politica inſtitutione, legibus, ac geſtis perpetuam hiſtoriam concinnare propter deperditas rerum memorias eſt impoſſibile opus. Itaque lucubrationes tantum, exercitationeſque circa rerum ſuperſtites antiquitates exordientes triplici librorum jam inſtituta partitione contenti erimus.

Cic. De Finib. lib.2. 40.

LI-

Digitized by Google

# LIBER I.

## *De Naturali Surrentini Promontorj præſtantia, atque fertilitate.*

MAximis deliciis affluere id Promontorium nomen ipſum planum, ac palam facere aliquibus viſum eſt: *Surrentum* quippe, vel *Sirentum a Sirenibus* dictum eſſe rentur, quæ mulierculæ voluptatibus, & cantilenis addictæ erant, ibidem deliciarum gratia incolentes. At vero Johannes Boccacius in Africa inter Mauritaniæ montes aliud Surrentum commemorat, ubi nullas Sirenes poëtæ effinxerunt, ſed aſotos viros incoluiſſe traditum eſt; immo locus eſt aſper, & arduus. Alii a Syræo Græcorum Duce eò adventante nomen factum credunt; qui tamen longe poſterius floruit, quam Surrentina civitas conſtructionem, nomenclaturamque ſortita fuiſſet.

Surrenti Etymon.

Bocc. De Móntibus, Sylvis, Fontibus, Lacubus &c.

Potius Syrentum a συρία, vel σωρός amœniſſima Aſiæ regione nomen deduxiſſe putamus, quod inde, ex ea nempe peculiari parte, quæ Phœnicia dicitur, Cadmi poſteri primi hujus

B Pro-

Promontorj incolæ commigrarint, ut ſequenti libro dicetur.

# CAPUT I.

*Promontorj Surrentini deſcriptio.*

Nulla ſeorſim habetur Surrentini Promontorj tabula, & quæ Campaniæ inſeruntur mendoſa.

I. PRomontorj hujus Topographiam nemo, quod ſciamus, hucuſque ſeorſim delineavit, etſi innumeri inter Chorographicas tabulas inſeruerint: rem tamen exquiſite, & pro dignitate minime abſolventes; inter quos ne ipſe quidem Johannes Antonius Maginus, quamvis Regni Neapolitani deſcriptionem undecim ſejunctim tabulis exhibuerit; e quibus in Atlante ſuo Guilielmus, & Johannes Bleau exemplum expreſſerunt, & in ea, quæ de Principatu Citeriori, & Picentia eſt, hoc Promontorium inſeruerunt, ſed nimis mutilum, & mendoſum, ut etiam recudi eas curavit ſolers alioqui olim bibliopola Antonius Buliſonius. Ea vero, quæ exteri, ut Leander Albertus, Blondus, Volaterranus, & ipſe ſciſſimus Philippus Cluerius, vel etiam Lucas Holſtenius, qui duo poſtremi eas partes una peragrarunt, admittere nonnumquam videntur menda, alii recentiores, ut Nicolaus Samſon Gallus, Stephanus Cellerius Anglus clauſis oculis exceperunt, & ipſe etiam accuratiſſimus nuperrimus Geographus Guilielmus *de l' Isle*. Parcendum tamen iis, qui Terraqueo integro globo evulgando,

Melius aliquanto Matthæus Greuter.

do, aut Chorographicis conficiendis tabulis operam contulerunt, ſi in breviſſimo hoc terræ angulo, ſeu Promontorio deſcribendo minutiſſima quædam, atque exilia, & conciſa omiſerint; non ita tamen pacate agendum cum Topographiam, adornantibus, ut olim Græcis conſuetum fuit, neque nobiſcum, qui ad illuſtrandas Promontorj hujus antiquitates animum applicuimus. Proinde quæ in Ptolemæo, Strabone, Pomponio Mela, ceteriſque notanda occurrent, ſilentio non obvolvemus.

II. Primum igitur ſitum noſtri Promontorj reſpectu globi Terraquei ut recte collocemus, vel opificibus Geographicarum tabularum indicemus, linea Meridiana, Poli elevatio, ſeu Geographica latitudo, tum longitudo, vel, ſi mavis dicere, diſtantia a primo Meridiano perquirenda.

Ne puta tamen, nos hæc ad exactam trutinam Aſtronomicam appenſuros; in qua omnia a Geographis huc uſque tradita vacillare videntur. Ubi enim mundi Polos? ubi lineam Meridianam per Polos, & per habitatorum Zenith, ac Nadir tranſeuntem conſtitues?

Polum, fortaſſe inquies, ſtatuemus in centro circuitus, qui abſolvitur a Stella Polari, extrema ſcilicet in Cauda Urſæ, ab hac eadem diſtante, *grad.* 2. *m.* 36. juxta Tychonis, aliorumque obſervationes. At vero hæc ipſa Stella ætate Hypparchi Rodj aberat a Polo *grad.* 12. *m.* 24. ut habet

B 2 Mari-

Ptolem. Geograph. lib. 1. c. 7.

Marinus Tyrius apud Ptolemæum, & *Auſtraliſſima* Cynoſuræ dicebatur. *Borealiſſima* vero ea, quæ eſt in humero ejuſdem Urſæ Minoris juxta emendatiſſimam lectionem, quam tuetur Petavius, licet antea a nonnullis corruptam. Hoc ipſum tradunt Strabo, & Hypparchus Bithynus; quinimmo his antiquior Eudoxus *grad.* 14. *m.* 4. eamdem poſtremam Caudæ Stellam diſtantem fecit a Polo. Ex quibus permotus Scaliger putavit, perperam penes Aſtronomorum vulgus axem mundi cum axe Æquatoris eumdem credi, ſed revera diverſum eſſe, & Stellam in Cauda Urſæ Minoris ſemper vel in ipſiſſimo mundi Polo Boreali, vel ipſi proximam fuiſſe, a quo tot gradibus diſtare Pytheæ, aliiſque memoratis Aſtronomis viſa eſt, quod Poli Æquatoris, & Tropicorum longitudine in antecedentia progreſſi fuerint, indeque regreſſi ſint.

Petav. l. 3. Diſſert. Uranolog. c. 7.

Scaliger de Emendat. Temp. lib. 4. tit. De anno ΠΡΟΗΓΗΣΕΩΣ ΙΣΗΜΕΡΙΝΗΣ, & in Diatriba de Æquinoct.

Non nos latet, Scaligerum in hoc negotio nimium exagitari ab inſigni Petavio, aliiſque Aſtronomis.

V. Clavium in Sphæra. Gnidinũ in Refutat. Elenchi Calviſiani. Petav. in Uranolog. lib. 3. cap. 3.

Sed miror doctiſſimum inter eos unum in hæc verba adverſum eumdem prorupiſſe: * *Uno verbo ſubvertit totam doctrinam octavæ Sphæræ inaniſſimis, & leviſſimis de cauſſis, quas non eſt operæ pretium huc referre, ac refellere*. Peteremus enim a clariſſimo totius *Aſtronomiæ theſauri*, ut Gaſſendus habet, compilatore, qui tantus error hic in Scaligero, ut refutatione quidem indignus ſit, & fortaſſe potius exibilatione rejiciendus? de quo hæc eadem

* Jo: Bapt. Ricciol. Almageſt. t. 1 lib. 6. c. 4. Append. De Stella Polari.

Ricciol. ibidem lib. 3. c. 28. n. 3.

eadem quum retuliſſet alibi, non adeo acerbe locutus eſt. Nonne ipſemet faſſus eſt Babylonios, & Ægyptios olim exiſtimaſſe ſidera inerrantia, ſeu Aplanem, octavamque Sphæram non alio motu cieri, quam diurno verſus Occidentem XXIV. horarum ſpatio, mutationemque Æquinoctiorum, ac Solſtitiorum a motu punctorum Æquinoctialium, & Solſtitialium in longitudinem contra ordinem ſignorum advenire, quorum doctrinam & Plato, & Ariſtoteles tutati ſunt? Cur igitur eamdem ſententiam *leviſſimis, ac inaniſſimis de cauſſis* Scaligero placuiſſe exprobrabitur? qui & illam declinatione Magnetis fulcire poſſet, ac multis recentibus rationibus mutatæ elevationis Poli in eodem terræ loco?

Sed inquies: piaculi inſtar videtur, trepidationem octavæ Sphæræ inficiari, poſt quam eam Hypparchus Rodius ſolertiſſimus Aſtronomus, & poſt eum Ptolemæus indicavit. At vero *Simeon Stevinus* Aſtronomiam longe ante Hypparchum melius, quam a Græcis, excultam fuiſſe ab exteris, optimis conjecturis enucleat, & in Hypparcho non levia menda ſugillat. Stevin. Geograph. 1. livre Defnit. 6.

Nos ſane minime adhæremus antiquorum ſententiis de quiete fixarum ſtellarum præter motum diurnum, vel earum etiam diurna quiete, ut Copernicanis placet; notiſſimum quippe eſt, earum aliquas apparentem magnitudinem mutaſſe, aliquas etiam diſparuiſſe, quæ iterum viſæ ſunt; quare circularis motus ſupra Aplanem, vel orbes fixa-

Digitized by Google

fixarum rectiſſime argui videtur, miramurque recentem doctum alioqui auctorem ſcripſiſſe: *Quieſcunt etiam Stellæ fixæ; propterea quod datas ad Aphelia, nodoſque poſitiones ſervant*. Nihilominus num Aſtris potius, an punctis Cardinalibus Æquinoctiorum, ac Solſtitiorum variatio ſit tribuenda, non audemus decernere. Neque hæc ſubtilius proſequendi hic locus.

Iſaac Nevvton Philoſop. natural. princip. Mathem. lib. 3 prop. 14.

Ulterius omnes in tabulis Geographicis deſcriptas hucuſque locorum diſtantias longiſſimo labore inventas, corrigendas ſeſe offerrent, ſi vera eſſet recens Anglorum Philoſophorum opinio de Telluris figura ovali, ſeu elliptica, quam præcipue ex acceleratione oſcillantis penduli prope Æquatorem ab Academia Pariſienſi obſervata deducunt. Verum nec eam opinionem ſatis firmatam videmus, neque hucuſque reſponſum ad argumenta, quibus Sphærica ad ſenſum Terraquei globi figura aſtruitur. Inter quæ maximi ponderis videtur illud, quod Terræ umbræ, a qua Lunæ defectio evenit, peripheria undique circularis appareat, quo, & umbram ipſam Conicam eſſe, & corpus, a quo projicitur, Sphæricum apprime deducitur.

Chriſt. Hugen. De Cauſs. gravit. Nevvt. Philoſ. princ. l. 3. prop. 19. Jacob. Jurin. in Append. ad Geograph. Varen. c. 3. aliique.

III. Igitur & Terram non Geometrice, ſed Phyſice Sphæricam præmittentes majori, qua potuimus, ſolertia Meridianam lineam tranſeuntem per rudera vetuſtiſſimi templi Minervæ in Promontorj capite olim excitati quæſivimus, ad quam inveniendam tritum, obviumque modum adhi-

Modorum inquirendi Meridianam lineã quis tutior?

adhibuimus, quem præter morem verboſius exponit Vitruvius, quemque omnibus ceteris præſtare credimus; erecto ſcilicet ſupra exquiſitum planum perpendiculari ſtylo, ductaque peripheria per ejus umbræ antemeridianæ extremitatem, expectataque hora, qua poſt meridiem umbra eandem peripheriam attingeret; interceptum arcum bifariam linea per centrum ſecuimus, quæ lineam Meridianam exhibet, ut perſpicuum eſt, ſi ſupponamus, æquabili Solem motu diurno cieri, quemadmodum experientia exploratum eſt. Repetenda tamen pluries obſervatio, ne umbræ, penumbræque, & variæ radiorum Solarium ante, & poſt meridiem refractiones decipiant, opuſque tutius perficiendum circa Solſtitium, ut notat de Chales.

Vitr. lib. 1. c. 6.

Claud. De Chales in Geograph. prop. 23.

Reliquos modos fallendo proniores putamus, præſertim indicatum a clariſſimo Blancano, ſectis ſcilicet parallele ad Horizontem arborum caudicibus, in quibus circulares venæ excentricæ conſpiciuntur verſus Boream arctius cohærentes, quæ ſi, ubi concurrunt, ad angulos rectos ſecentur, Meridianam lineam, ut ipſe docet, indicabunt, quod haud perpetuum, & infallibile eſſe nobis videre viſi ſumus.

Blancan. Sphær. lib. 1. cap. 4.

Porro ab inventa Meridiana linea acum Magneticam ad mundi dexteram declinare anno 1702. gradum ferme unum notavimus, quod phænomenum haud perpetuum eſt; aliquando enim minor, aliquando major talis declinatio a nobis comperta eſt.

IV.

IV. Poſt inventam Meridianam lineam, Poli in ea elevationem, adeoque Geographicam latitudinem omnibus modis a Geographis, & Aſtronomis traditis perquiſivimus; illam adinvenimus *grad.* 40. *m.* 41. & conſequenter latitudinem *grad.* 49. *m.* 19.; quam parallelo circulo in tabula Topographica deſignare fas eſt.

Modos abunde tradit Ricc. Geograph., & Hydrograph. lib. 7.

Ea occaſione non mediocri diligentia ſcrutati ſumus, num in Surrentinis cautibus, prærupticque montium lateribus, vel in ſcopulorum crepidinibus venæ illæ extarent, quas alicubi doctiſſimus Cabeus, aliique Societatis Jeſu Mathematici ſe comperiſſe tradunt; quæque mundi Polos, & Borealem ad Horizontem altitudinem indicant. Sed earum nullas invenire contigit. Hinc merito, num alibi re vera extent, in dubium revocavit egregius Jeſuita de Chales. Omnes modi ad Polorum altitudinem inveſtigandam ſunt lubricitati obnoxii; nullus expeditior videtur, quam ſi per magnum, exquiſiteque diviſum Quadrantem verticaliter adhibitum, centrum circuitus Cynoſuræ diligentiſſime exploretur.

Nicol. Cabeus in Philoſoph. Magnet. Athan. Kirker lib. 1. Artis Magnet.

V. Ricciol. in Geograph. & Hydrograph. lib. 7. cap. 2.

De Chales in Geograph. prop. 25. in princip.

Quod ſi eodem Quadrante ad Meridianam Solis declinationem, & exinde Poli elevationem colligendam te converteris, a Solarium radiorum vel in ipſo Meridie refractionibus decipi poteris.

V. Ptolemæus Gnomone perpendiculariter erecto ad inquirendam loci latitudinem, ſive gradus diſtantiæ Æquinoctialis a vertice, & conſequen-

Digitized by Google

ſequenter Poli elevationem utebatur. Verum hac ratione ejus tempeſtate in pluribus locis elicitæ Polares altitudines ab recentiorum Mathematicorum obſervationibus diſſident; quapropter ex Culice Elephantum, ut Snellius inquit, aliqui fecerunt, arguentes mundi Polum a temporibus Ptolemæi ad noſtra loco dimotum eſſe.

Verum Ptolemæi in hac re incuriam aliquam rectiſſime deprehendit vir de rebus Geographicis, Hydrographicisque optime meritus Willebrordus Snellius. Ille enim umbram Gnomonis determinari putavit a radio egrediente e centro diſci Solaris; quum potius definiatur a prodeunte ab extremo limbi Solaris puncto (quorum unumquodque conice radiat) & in vertice ſtyli decuſſatur cum centri radio; quapropter apparens diſci Solaris ſemidiameter ſcrupulorum ſcilicet 15., aut 16. deducendus eſt poſt inventum Solaris elevationis angulum; Snellj animadverſio ſi prætereatur, ut præteriit in Geographia licet attentiſſimus Varenius, Ptolemaica methodus nedum accuratiſſima non erit, ſed incerta, ac lubrica.

Vvillebror. Snell. in Erathoſten. Batav. lib. 1. c. 8.

Bernard. Varen. in Geograph., & Hydrograph. general. lib. 2. c. 23. prop. 9. n. 3.

VI. Umbræ loco Solis radio per anguſtum foramen immiſſo aptius angulum ejus declinationis aliqui elici poſſe putarunt; ac propterea Aſtronomicas armillas, aliaque inſtrumenta excogitarunt: nec non ſtabiles Meridianas extruxerunt, uti pridem P. Ignatius Dante e Dominicana familia Bononiæ in D. Petronj erexit: &

recenter optimus Aſtronomus; & moralibus virtutibus ornatiſſimus Præſul Blanchinus Romæ in Sanctæ Mariæ Angelorum accuratiſſimam, deſcripta præcipuarum Stellarum quoque meridiana altitudine, perfecit. Ne puta tamen inſigne opus perpetuo omni deceptionis periculo vacaturum. Parietis enim altitudo, quæ trigonometricum *Sinum totum* refert, diutino temporis curriculo inſenſibili motu deprimitur, maxime ſi terræmotibus concutiatur; quare Elliptici Solis in *Tangentem* incidens figura terminos mutat; ita humana omnia mutabilia, atque caduca. Præterea a radiorum refractione, etſi medium ſol teneat axem, & ab indicata modo Poli mutabili elevatione error timendus. Sed redeamus ad rem.

Longitudo Geographica capitis Surrentini Promótorj.

VII. Longitudinem vero Geographicam, ſive receſſum Meridiani Surrentini in Æquatore a primo Meridiano non proprio Marte nacti ſumus; quum res ſit laborioſæ indaginis, multi otj, nec ab uno obſervatore, ſed a longe diſtantibus per collationem ad ſidera, abſolvenda. Geographicæ longitudines erutæ ex eclipſibus Solaribus quam mendoſæ ſint, notavit Pater Furnerius, aliique: fuſiſſime vero rem proſecutus eſt Iſaac Voſſius. Sed eas hic emendare dum ſtudioſiſſime nititur, veremur, ne in pejora labatur; ut alibi demonſtrabamus.

Iſaac Voſſ. Libr. Variar. obſerv. De Emendation. longitudin.

V. Iacobum Jurin in Appendice ad Geograph. Varenj c. 38. prop. 4.

VIII. Minus aſpernanda methodus obſervatione macularum Lunarium. Vi acus Magneticæ rem aſſequi poſſe nonnulli ſperabant; alii contra

com-

comperta declinationis ejus inconſtantia, ac varietate etiam in eodem Meridiano, prorſus deſperarunt. Verum nova tentamina circa Magnetem aliquando proponebamus, ex quibus diu exagitatum operoſum hoc negotium ad finem perduci poſſe arguebamus. Interim modum putamus exquiſitiſſimum inter hucuſque inventos per Eclipſes Satellitum Jovis; quem Caſſinus illuſtravit, quemque pluribus in locis quum adhibeat recens Geographus Guilielmus *de l'Isle*, ejus opera utimur in deſignanda longitudine Geographica Surrentina, nempe *grad.* 32. *m.*4. aſſumto pro primo Meridiano, ut ipſe facit, eo, qui tranſit per inſulam vulgo dictam *del ferro*, unam ex Canariis. Licet communiſſime primum Meridianum ſtatuant eum, qui progreditur per montem Picum inſulæ Teneriffæ. Pater vero Ricciolus aſſumit tranſeuntem per inſulam Palmæ. Gradibus igitur 32. *m.* 4. verſus dexteram mundi partem recedit civitas Surrentina: licet rem adhuc exploratam, & extra aleam eſſe non audemus aſſerere.

V.Ricciol. Geograph. & Hydrograph. lib. 8. c.13.

IX. Quum autem mundi dexteram dicimus, Orientem Geographorum more intelligimus. Licet antiqui ſcriptores diſſideant, ut abunde de more notat eruditiſſimus Jacobus Mazzonius. Quæ eadem refricans doctus Jeſuita Brietius appellationis diverſitatem deducit a diverſo obtutu, quô ſeſe primo Cœli contemplatores convertunt, ut Geographi ad Boream, Aſtronomi ad

Quæ mundi antica, quæ poſtica pars, quæ dextera, quæ ſiniſtra.

Jacob. Mazzon. nella difeſa di Dánte lib.1.cap.15., & lib.3. cap.20.



Digitized by Google

Auſtrum, Augures ad Orientem, Poëtæ ad Occaſum, quod his carminibus indicat:

*Ad Boream Terræ, ſed Cœli menſor ad Auſtrum,*
*Augur ad Exortum movet, Occaſumque Poëta.*

Vitruv.lib.5.c.11.

At vero Vitruvius in deſcriptione Palæſtræ Coriceum ad dexteram Ephebei collocat, cujus aditus ad Auſtrum ſpectabat, ut ex ipſo Vitruvio liquet, ejuſque omnibus enarratoribus (uno excepto recenti auctore, qui antiquorum mentes ad libitum exponit, vel implicat.) Non ſolum igitur Aſtronomis antica mundi pars Auſter, ut Brietius notat, ſed Architectis quoque, quibus poſtica Borealis plaga, dextera vero Occidens, ſiniſtra Oriens.

Dominicus Auliſius in Opuſcul.de Gymnasj conſtructione.

X. Poſt indicatum ſitum Surrentini Promontorj reſpectu Telluris, age modo illius menſuram per paſſuum millia, vel ſtadia exhibeamus, non equidem norma antiquorum agrimenſorum, qui Decumanum, & Cardinem, Vorſos, & Advorſos limites, ut Varro, & Plinius ferunt, adhibebant, ſed inquirentes ipſius longitudinem a radice ad abſidem, & majorem, qua præſtat, latitudinem, nec non montium excelſiorum a mari faſtigium.

Incipit porro juxta aſpectum Borealem Promontorj radix a Sarno fluvio, dum ad ſuum oſtium accedit, agrumque Stabienſem a Pompejano diſterminat, & *Scafati* vulgo nomen accipit. Ibi etſi ampla planities nudo intuitu videatur, libella tamen adhibita, ſenſim terram in montem aſſurgere apparebit. XI.

XI. At manifeſto ſane errore Vibius Sequeſter in exili opuſculo, ſeu indice montium, & fluminum, inter montes aſcribit *Sarnum Nuceriæ*, quem male tuentur aliqui dicentes, fluminis ſcaturiginem potius a Vibio indicari; profluit enim flumen non a Sarno monte, ſed a *Tifata*, ubi *Caſerta*.

Johannes vero Boccacius (quem perperam aliqui Vibj Sequeſtri plagiarium faciunt, ideoque ſcite redarguuntur a quodam Medico Veneto) multo melius inter flumina recenſet: fabuloſa tamen admiſcet, nempe ex Appennino prodire, & Caprearum inſulam verſus fluere, ubi autem ad fretum Stabienſe in illud exonerandus accedit, ligna, folia, omnemque compactam materiam in eum incidentem cruſtis lapideis veſtiri, atque ita dureſcere, ut incolæ ad ædificia ſtruenda adhibeant; a Sarno inſuper aquæductum Miſenum uſque a Nerone conſtructum. Hæc ad arbitrium effinxit Boccacius.

Giacomo Grande nell' Epiſtol. di S. Maura, e del Zante.

Sarnum præterea Campaniæ pro Arno Hetruriæ Paulum Oroſium, & Procopium uſurpaſſe notat Cluerius; quod quidem mendum in pluribus manu exaratis codicibus extare teſtis eſt clariſſimus olim medicus Leonardus a Capua. Ceterum Sarnus celebris eſt fluvius, quem Virgilius alluere Sarraſtes Campaniæ populos cecinit.

Lapſus Oroſj, & Procopj.

Capua nel Trattato delle Mofete.

*Sarraſtes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.* Æneid. 7.

XII. Nunc vero a Sarno iter noſtrum per ſinuoſam Promontorj radicem proſequamur. A

*Scaſato*

Digitized by Google

*Scaſato* ad Nuceriam civitatem (quam Luceriam penes epiſtolas Ciceronis ad Atticum pluries dictam invenies) intercedunt paſſuum millia duodecim. Hinc ad Pagum *Mater Domini* vocitatum trium millium paſſuum iter; a quo ad amœniſſimum, nobiliſſimumque pagum *Vietri* vulgo nuncupatum paſſus ſex mille. Integram ſinuoſam radicem Promontorj Cluerius breviorem facit; iter per Cavæ celebre oppidum recta dimenſus eſt, ubi tamen non Promontorj eſt plana radix, ſed ejuſdem intumeſcentis in tumulum pars.

XIII. Poſt dimenſam radicem altiſſimum ejuſdem culmen conſcendamus, quod obtinet Gaurus mons continenti terræ proximus: exinde ad lævam mundi converſi ducta viſuali linea uſque ad Promontorj abſidem vulgo dictam, *Capo della Campanella*, quæ ad Meſolibonotum vergit, ope practicæ Geometriæ, & Canonis Trigonometrici præter propter paſſuum viginti duorum millium longitudinem invenire datum eſt. Maxima vero latitudo per lineam ductam a Stabienſi oppido Caſtrimaris ad Poſitanum, cujus puncta extrema a Septemtrione ad Meridiem ſpectant, eſt milliariorum ferme undecim, reliqua Promontorj pars coni figuram refert, in apicem unius milliarj deſinens.

Ne vero credas Promontorium eſſe continenti jugo perpetuum, ſed plurimis montibus, vallibuſque diverſimode interciſum; quarum ali-

quæ

quæ ſaxoſæ, & aſperæ, quædam mollioris clivi, & glareoſæ: hæ anfractuoſæ, opacæ, & raucæ: illæ apriciores, ſpatioſiores, amœnioreſque: omnes tamen ferme ſativæ, & quæ agreſtes frutices nihilominus uſui perutiles, ut Buxum, Myrtum, Lentiſcumque emittunt. Hinc vero fit, ut Promontorium ampliores agros comprehendat, quam primo intuentibus exhibeat: tum etiam ut diverſiſſimorum generum arboreta, vineta, oleraque enutriat. Sed, quod mirum ſane eſt, arctiſſimæ quædam valles, quas vepretis alendis damnares, cedrinas, malaranginas, & limonias arbores ab urentibus, nivalibuſque flatibus ita tegunt, ut ibi uberiores fructus proveniant.

XIV. Montium vero altitudines Geometrice metiri per autumnales ferias cœpimus; ſed tot moleſtæ occupationes obſtitere, ut rem infectam relinquere coacti fuerimus. Porro quantum rudi Minerva deprehendere datum eſt, proceriſſimorum a mari perpendicularis altitudo vix ad ſeptem ſtadia pertingit.

Longe expeditiorem rationem inveniendi altitudinem montis a mari, vel ima valle perhibet Jacobus Jurin ope Barometri, in quo deprimi hydrargyrum compertum eſt, ubi major aëris raritas, ſeu minor compreſſio, ut in vertice montium; explorata igitur proportione, qua hydrargyri unciæ, vel unciæ partes uno, eodemque tempore deprimuntur, per regulam auream ſumma montis altitudo juxta hunc elici poterit. Jacob. Jurin in Append. ad cap. 9. prop. 2. Geograph. Varen.

Verum

Verum expeditiſſimam hanc rationem fallaciis obnoxiam ducimus. Siquidem pluries expertum eſt, ſicco, ac ſereno Cœlo hydrargyrum in Barometro aliquanto plus extolli, quam dum craſſior videtur, nimboſus, ac pluvius aër; quo phænomeno omne ſyſtema de aëris gravitate nonnulli funditus everti putarunt, quibus ſatisfacere pluribus conatur *Antonius le Grand*, contra quem plura argumenta, atque experimenta alibi excitabam, quæ heic referre longum eſſet. Satis ſit tantummodo memoriæ revocare quod in ſequenti capite innuemus, interdum ſcilicet imam collis partem ſerenam, placidamque extare, quum vertex ventis, atque imbribus offunditur, ut exinde arguatur, non exquiſitam, ac perpetuam proportionem ſervari inter aſcenſionem ad ſublimiora loca, & depreſſionem argenti vivi in fiſtula Turricelliana, quod hæc non præciſe pendeat ex proceriore, vel diminuta aëris columella, quæ argentum vivum æquo pondere ſubſtinet, ſed aliis de cauſſis, præcipue vero ex vi aëris elaſtica, quæ vel in proximis locis immutari poteſt. Præterea Barometri fiſtulam, ut experientiſsimus, ac diligentiſſimus Boyle annotavit, difficile eſt omni prorſus aëre vacuare, ut ne tantillus quidem remaneat, vel ex ipſo hydrargyro reſiliat, qui pro diverſitate ambientis caloris, ac frigoris diverſimode rareſit, peſſumque hydrargyrum fiſtulæ in ſuppoſitum urget. Quapropter ad eliciendam ex Barometro montium altitudinem

Le Grand in Animadverſ. ad Rohault. Phyſic. p. 1. c. 13. art. 41.

Robert. Boyle in experim. Phyſicomechan. 17. & in deſenſion. adverſ. object. Franciſci Limi.

V. etiam Johan. Vallis in Hydraſtic. & P. Daniell. Bartoli della Tenſione, e della Preſſione.

nem oporteret, ne dum proportionalem tabulam depreſſionis Mercurj in conſcenſu conficere, ſed rurſus proportionalem tabulam caloris, & frigoris, quæ nullatenus haberi poterit.

XV. Objectu autem laterum, quibus in mare Tyrrhenum protenditur Promontorium, duplicem efficit ſinum: unum ad Notum, Africumque ſpectantem, qui modo audit *Fretum Salernitanum*, antiquitus *Sinus Pæſtanus* ob Pæſtum celeberrimam urbem, cujus in præſens perpauca extant rudera prope Caputaqueum; alterum vero Circium verſus, qui *Fretum Stabienſe*, vulgo *Golfo di Caſtellamare*, vel *Sinus Puteolanus* dicitur. Abſis autem, ſeu Promontorj caput ad Occidentem æſtivum, vel Libonotum vergit, Capreарumque inſulam ſpectat, a qua anguſto quatuor milliariorum freto diſterminatur. Capreis vero *Caurum* verſus Ænaria inſula objicitur, cui e regione Septemtrionem verſus eſt parva illa, ſed amœniſſima inſula nomine Prochyte. Huic contra eſt celebre Miſeni caput. His incluſum Crateris mare ita dictum a figura, quam exprimit; ipſa enim partim ex continentibus litoribus, partim a noſtro Promontorio, partim ex inſulis efformata, quem aliquæ tabulæ Geographicæ deformarunt Sinum hunc continet, ad quem ſane venuſtandum, ornandumque natura, & ars contendiſſe videntur: Illa mare tot fertiliſſimis, pulcherrimiſque inſulis concludens: Hæc litora tot apricis collibus, tot ſpectatiſſimis, ele-

D gantiſ-

gantiſſimiſque pagis, & civitatibus diſtinguens, inter quas veluti Regina Neapolitana civitas ſedet. De quo Sinu Seneca ad Lucilium Pompejorum mentionem faciens ita ſcribit: *Pompejos celebrem Campaniæ urbem, in quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumque litus, ab altera Herculanenſe conveniunt, mareque ex aperto reductum amœno ſinu cingunt, deſediſſe terræmotu &c.*

Senec. lib. 6. Natur. Quæſt.

XVI. Sed ad Promontorium noſtrum remeantes, ibique pedem figentes circini, mirari non deſinimus, cur Pater Johannes Baptiſta Ricciolus celebriora Promontoria enumerans noſtri abſidem *Amalphiæ Caput* appellet, inaudito apud antiquos nomine. Strabo enim, Ptolemæus, Plinius, Mela, aliique vel *Surrenti Promontorium* ab antiquiſſima urbe, vel *Minervæ* a vetuſtiſſimo Minervæ templo ibidem ab Ulyſſe excitato illud nominarunt, ut poſtea dicemus, poſtquam Naturæ dona Promontorio noſtro peculiariter impertita breviter percenſuerimus.

Ricciol. in Geograph.

# CAPUT II.

*De Surrentinorum Elementorum ſalubritate, ac præſtantia Phyſiologica diſcuſſio.*

I. ELementorum nomine non heic principia res corporeas componentia intelligimus, quæ ſecundum Phyſicos neque ex aliis, neque ex alterutris, ſed ex ipſis cuncta corporea compacta ſunt,

ſunt, & in quæ diſſipatæ, & deſtructæ compoſitæ res ultimo diſſiliunt, ac reſolvuntur; ſed quatuor ingentia corpora ad vitam plerumque animantium neceſſaria, *Terram* ſcilicet, *Aquam*, *Aërem*, *& Ignem*; quæ re vera elementa, & componentia rerum omnium exiſtimavit ipſe Ariſtoteles, cujus mens, ſi non juxta Arabes interpretes, ſed ſecundum Latinum Tullium veſtigetur, hæc erit. Conſideravit ille Metaphyſica abſtractione corpus omni prorſus qualitate, affectionibuſque nudatum, quod informem materiam nuncupavit, ut etiam ſanctus Auguſtinus: perinde materiam eam quatuor primitivis qualitatibus affici, Calore nempe, Frigore, Humore, & Siccitate: ex ipſis, ſi binæ diverſimoda combinatione junguntur, quatuor enumerata elementa conſtitui: & ex horum varia conjunctione cetera omnia corporea prodire.

Cicer. Academic. Quæſtion. lib. 1. in fin.
Plutarch. De Placit. Philoſophor.

S. Auguſt. De Geneſ. contra Manich. lib. 1. cap. 5. in fin., & Confeſſ. lib. 12. cap. 8.

II. Tantum molimen prorſus evertiſſe rentur Chymiſtæ, qui ex unoquoque elemento Sal, Sulphur, & Mercurium eliciunt, eaque rerum materialia principia credunt, quibus Terram Damnatam, & Phlegma adjunxit Elmontius. Prætermitimus Philoſophos alios, qui præter figuram, & motum nullas alias affectiones, vel qualitates corpori inſitas dignoſcunt; ſed calorem putant effectum in ſenſibus productum ex acutiſſimis particulis corporeis celerrimo motu agitatis, quæ ſenſorium diſſipant, & vehementiſſime diſtrahunt: Frigus motus carentiam, Humiditatem

aquam ipſam, hujus deficientiam Siccitatem; quemadmodum etſi cultri inciſio dolores ſenſibiles pariat, non proinde cultrum dolorifica qualitate affectum ducimus.

Videmus tamen ex recentibus Philoſophis Antiperipateticis nonnullos præter motum, gravitatis inditam qualitatem, & inertiam ad motum, ſive vim ad inertiam corporibus tribuere; quorum primum Lucretianis potius motus directio ab extera vi adveniente diceretur, ut inertia, vel quies negatio motus ſine ulla vi. De quibus ſubtile judicium ferendi non eſt hic locus.

Nevvton. in Philoſoph. Natural. Princip. Mathem. & R.

III. Jucundius fortaſſe erit meminiſſe, Syſtema Elementorum, ut tradit Seneca, mutuatum fuiſſe Ariſtotelem ab Ægyptiis, qui velut ludere, vel illudere viſi ſunt, quum *bina ſecere marem, & feminam. Aërem marem judicant, qua ventus eſt: Feminam, qua nebuloſus, & iners. Aquam virilem vocant mare, muliebrem omnem aliam. Ignem vocant maſculum, qua ardet flamma: & feminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa, cauteſque: feminæ nomen aſſignant huic tractabili ad culturam.*

Senec. Quæſtion. natural. l. 3. c. 14. V. etiam Tull. De Univerſit.

Sed miſſis ceteris, quoad diviſionem in duplex genus maſculinum, & femineum gerræ videntur perſimiles illis Othonis Tachemj, qui Alcalì, & Acidum mari, & feminæ comparat. Perſimile quid Hippocrates indicare videtur, quum igni maſculinam, aquæ femineam naturam tribuit.

Hippocr. De victus ratione lib. 1. pag. 343. edit. Fràcof. anni 1624.

Quod

Quod ſi forte illa Ægyptiorum bipartitio luſus cauſſa admittenda eſſet, adhuc emendanda ſupereſſet, ut potius aër mas vocandus eſſet ſubtiliſſimus, & per exiliſſimos poros permeabilis æther: femineus vero, qui vaporibus, & exhalationibus commiſtus Terraqueum globum ad paucorum milliariorum altitudinem ambit, & meteorice concipit, & parit.

Inaniter Ægyptii unumquodque Elementum in Marem, & feminam ſecernebant.

Neque maris aqua virilis eſſet dicenda, quæ ſalibus variis, ac mineralibus præ cunctis turget, ac veluti prægnans eſt, ſed potius fluvialis, aut fontana.

Ariſtot. lib. 1. Meteorolog.

Quis porro putaret lucem ignem femineum apte dici: ignem vero ardentem maſculum? quum lux ipſa puriſſima Solis ignis ardentiſſimus ſit, corpuſque ipſum Solare fervens, æſtuanſque flamma e Teleſcopj conſpectu appareat, ideo nos non adurens, quod radii divergentes protendantur. Quos ſi cryſtallina lente convexa, aut ſpeculi uſtorj ope in anguſtam areolam, vel in unum punctum, ut dicunt, iterum cogas, validiſſimum, urentemque calorem excitant. Femineus potius ignis dicendus eſſet, qui ſine luce ſubterranea fermentatione, aut cæcis in locis deliteſcens Terram fovet, & quandoque per ignivomos montes flammas in aperto aëre accendit, & incendia parit.

De Terra tandem quis cautes, ſterileſque ſilices maſculam, ac ſimplicem terram appellaverit, quæ ſalibus maxime commiſtæ ſunt, ſine

quibus

V. præcipue Varen. in Geograph. quibus nunquam dureſcere, neque maſcula genitura feminam Terram fœcundare valet?

Miſſas facimus heic aliorum priſcorum Philoſophorum ſententias unum tantum ex præfatis elementis rerum materiale principium facientes; quos indicant Ariſtoteles, & Plutarchus, redarguitque Lucretius: vel quæ Scholæ Peripateticorum ſtatuunt de eorum gravitate, quam volunt, non exercere in propria Sphæra, vel levitate, quam dicunt induere ad fugam vacui; quod nobis tantummodo de eorum ſalubritate in Surrentino Promontorio agere ſit conſtitutum.

## ARTICULUS I.

### *De Surrentini Aëris clementia, ac ſalubritate.*

Plat. in Phœdone. I. PErbellum ſane, ac venuſtum commentum invexit nomine Socratis Plato, mortales homines non in ſublimi Telluris ſuperficie, ſed in ejuſdem Barathro, & Abyſſo degere: Cœlumque non ex tota orbita, ſed ex quadam ſciſſura veluti feneſtra intueri: neque purum, amœnumque aërem reſpirare, ſed craſſum, atque infectum, falſo quoque exiſtimantes extimum Telluris ambitum pedibus terere, ita prorſus ac ſi homini alicui in maris fundo degere, & vivere datum eſſet, nulla aëris reſpirandi neceſſitate, is quidem ſe in ſublimi Terræ loco deambulare crederet; immaneque ſpatium inter hanc,

&

& Cœlum aqua repletum eſſe. Extremam Terræ faciem docet idem Socrates lucidiſſimis lapidibus, omnigeniſque pretioſiſſimis gemmis, atque encauſtis ſtratam eſſe, immortalibus conſitam arboribus ſponte ſua abſque ſatore ullo in quincunſem diſpoſitis, alternatimque frondibus, floribus, fructibuſque perpetuo ſe induentibus, irrigatam clariſſimis, & odoroſis lymphis; quid moramur? omnibus excogitabilibus, ac appetibilibus deliciis, ornamentiſque refertam, atque eô defunctorum animas, poſtquam diu in Tartaro a criminum labibus fuerint repurgatæ, tandem ad perpetuum beatum ævum ducendum evolaturas. Tyrannos vero inexpiabilibus mendis labefactatos Tartari pœnas æternum ſubituros. Præclara ſane fabella, quam, ut putamus, ex Hæbreorum ſcholis male percepta doctrina, poëtice concinnavit; ea enim & rectæ Aſtronomiæ, &, quod potiſſimum, Chriſtianæ religioni adverſatur, ex qua conſtat nos ſublimi Terræ ſoliditati incumbere.

Illud nihilominus verum animantia in Terra exiſtentia non puriſſimo aëre frui, quem Ætherem appellant, ſed impuro, commiſto, atque infecto, qui aliquibus in locis ſaniſſimus, alibi noxius, alicubi mortiferus omnino eſt.

II. Eſt porro Aër ex Tullj ſententia, Vaporatio Aquarum: *Earum enim*, inquit, *quaſi vapor quidam aër habendus eſt*. Quibus vaporationibus Terræ exhalationes implicantur, & una in altitudinem quadragies mille paſſuum vi caloris atte- Tull. lib. 2. De Natura Deorum.

V. Ricciol. in Almageſt. lib. 1. & 8. cap. 14. & 15.

Varen. Geograph. General. l. 1. ſect. 5. c. 19. prop. 37.

attenuatas elevari aliqui Mathematici ex crepuſculis, ſive radiorum Solarium ſubtus Horizontem refractione colligunt, & multo altius alii, quos omnes hallucinari rectiſſime animadvertit, & demonſtrat Varenius. Et ſane Terræ atmoſphæram non tam alte protendi ſolidis argumentis evincitur.

Alii vero aëris ſubſtantiam diverſam a vaporibus, & exhalationibus faciunt, ſcilicet ſubtiliſſimam, pellucidam, fluidam, actuoſam, corporum omnium vel exiliſſimos, & inſenſibiles poros permeantem; quam Æthera Græco nomine dicunt, & Juppiter apud Virgilium audit.... *Jovis omnia plena*; quæ ultra Terræ, & Planetarum atmoſpæram omnia complet; & in qua cum vaga, tum fixa ſidera moveri, & veluti innare videntur.

Alii tandem tertiam quamdam ſubſtantiam a vaporibus, & ſubtiliſſimo æthere diverſam Aërem putant, quibus potius adhæremus ob maximam compreſſionem, & rarefactionem, quam cernimus Aërem pati, inſtar lanæ, vellerum, ſpongiarum, ac virgarum in arcum contortarum, a quibus ſi removeas vim compreſſivam, iterum ſe expandent, ac rareſient. Ope Æolipylæ Aërem locum ſeptuagies majorem priſtino occupare poſſe deprehendit optimus Theologus, ac Mathematicus, omnigenæque eruditionis vir Pater Marinus Merſennus familiæ ſancti Franciſci e Paula, & ope ſclopi pneumatici in octies anguſtius

ſtius ſpatium cogi. In majorem dilatationem extendi poſſe compererunt doctiſſimæ Academiæ Florentinæ exploratores: ſed in immanem, & vix credibilem Robertus Boyle. At vero aqua vel nullam, vel exiliſſimam compreſſionem ſubſtinet. Dilatatur ſane, quum ab ingenti calore ebullit, aut intenſiſſimo frigore in glaciem riget, & levior evadit. At vero nunquam ex ſe ipſa elaſtica vi pollet, ut Aër. Quis porro credat eamdem aquam in vapores diſſolutam mutare naturam, aut particularum componentium figuram, & elaſticam vim adipiſci? quum eos vapores in aquam facillime iterum converti cernamus. Idem multo fortius dicito de ſiccis terræ exhalationibus.

L' Accademia del Cimento.

V. Johan. Vvall. in Mechan. De Hydraſtic. prop. 13.

V. Thom. Cornel. Progym. De Cognation. Aëris, & Aquæ.

Ætheris rurſus aſſertores omnem prorſus ab ea ſubtiliſſima ſubſtantia compreſſionem, dilatationem, atque elaſticam vim amovent, quam vacui loco in corporum rarefactione, & compreſſione explicanda ſubſtituerunt, ut a concepta vulgaris rarefactionis ſententia recederent. Aërem igitur tum a vaporibus, exhalationibuſque, tum ab Æthere diſtingui neceſſe eſt. Sed hæc ſubtilius proſequendi non eſt hic locus.

Porro cum aëre, quem reſpiramus, multas particulas e terra vi caloris attenuatas, expreſſaſque attrahimus, & in pulmones ingerimus, multaſque aquarum vaporationes commiſtas. Quapropter ſi Tellus metallicis, ac mineralibus venis, item ſi lacubus, ſtagnis, putentibus paludi-

E bus

bus ſcatet, Aër alioqui per ſe innoxius ob commiſtas exhalationes, atque corruptos halitus naturam mutat, & noxam, vel mortem inferre poterit. Cujuſmodi fundus ille apud Plautum, quem vafer ſervus ita deſcribit:

Plaut. in Trinumm.

*Primum omnium olim Terra quum proſcinditur*
*In tertio quoque ſulco moriuntur boves.*

Eum proinde feſtiviſſimus Poëta *Acherontis Oſtium* appellat; cujuſmodi ſunt mephites omnes, lacuſque Averni, vel Aorni, quibus affatim Italiam ſcatere Seneca dixit: Felicem verò Campaniam potiſſimum, ut animadvertit ſcitiſſimus olim Neapolitanus medicus, ſi unum Surrenti lene, blandiſſimumque cœlum excipias, nullis mephitibus, nullis lacubus, nullis paludibus, aut ſtagnis, nullis metallicis, vel mineralibus fodinis, e quibus venenoſi halitus plerumque erumpunt, labefactatum.

Lionardo di Capua nel Trattato delle Mofete.

III. Occurrit ſane prætereuntibus ſecundum Caſtrimaris Stabianum litus ſulphuris quædam vena, quæ in mare erumpens cæruleum aquæ colorem in ſubalbicantem vertit, ſulphuratoſque halitus exhalat. Ex quo tamen odore nullam penitus navigantes offenſam ſentiunt: quod etiam de Petroleo ſulphuri ſimile in Pompejanis ſcopulis haud longe a Stabiis ſupernatante dictum volumus. A puri igitur ſulphuris halitu nihil mali timendum; multum vero, ſi aliis mineralibus præcipue vitriolo, aut mercurio commiſtum efferveſcat; tunc enim acidiſſimas, auſteriſſi-

riſſimaſque vitrioli particulas ſemovet, ac explicat, exitialique motu coagitat eodem pacto, quo ignis inſitas in carbonibus arſenicales particulas ciet, atque diſſolvit; quæ ſi in anguſto conclavi diſtineantur, nec diſsipari, ac diſperdi ſinantur, homines enecant. Sed hæc libaſſe ſufficit. Ingenti enim diſceptatione, contentioneque altercatur inter Chymicos: num ſulphur a vitriolo venenum concipiat, an potius impertiat. Nec deſunt qui ſulphur a vitriolo elevari putant. Utquumque res ſit, conſtat purum ſulphur innoxium, quandoque valetudini proficuum, ùt in Sulphataria Puteolorum, cum nitro autem commiſtum aërem repurgare: quapropter aliqui tradunt exploſa bellica tormenta pyrio pulvere referta, qui ex nitro, ac ſulphure potiſſimum conſtat, aëris peſtilentiam diſcuſſiſſe, ac retudiſſe: quibus auctoribus, etſi incertæ fidei, fidem in hac re habere ipſi non dubitamus; qui peſtem ex tabe, ac ſanie corruptorum cadaverum oriri putamus; in qua inſecta quædam animantia adeo exilia, ut obtutus aciem refugiant (ex ovo ne, an ex putri nata heic non definimus) nutriuntur, quæ per aërem velut muſcarium examen volitantia, & per reſpirationem attracta, in ſanguinem ſeſe ingerunt, ejuſque globulos, ſeu veſiculas (quæ in machina Boyliana turgefactæ manifeſte conſpiciuntur) rodunt, ac lacerant, & in ſaniem vertunt, qua totum corpus inficiunt. Indeque fit, ut qui peſtilentiæ morbo laborant, etiam ſanis viris emi-

V. Libavium, Quercetanum, Sénerium, & his cõtradicentem Billichium.

Nicol. Lemens.

Mazzald. apud Weckerum De Secretis lib. 3. c. 3.

nus alloquentes, eos contaminent; reſpiratione enim adeo mortiferos, exileſque vermiculos propellunt. Cui morbo medendo ſulphur, aliaque remedia ſcabiei intercutes pediculos enecantia proſunt. Aliter ſentire Medicos, & inter ipſos celebrem Philoſophum Thomam Campanella e Dominicana familia non me latet, exiſtimantes peſtem gigni ab halitibus venenoſis, & arſenicalibus, qui capitis nervos obruunt, atque offendunt. Sed ii peſtis phænomenum, virulentiæ præſertim, diræque contagionis cauſſas veſtigare nequibunt, (de quibus deſperavit clariſſimus vir Thomas Cornelius) effectuſque alios, ac remedia: quæ facile in ſyſtemate noſtro adinvenire erit. Verum hæc obiter. Modo a noxiis ad ſalutares auras Surrentinas ſermonem convertamus.

Campanell. Medicinal. lib. 1.

Cornel. in Epiſt. Marci Aurelj Severini nomine efficta.

IV. Sed heic minime prætereundum quod Hippocrates docet in libro περὶ φυσῶν, quem *De Flatibus* aliqui vertunt: nempe febres, morboſque fere omnes ab uno aëre partim reſpiratione attracto, partim cum cibariis, quibus veſcimur, immiſto creari; quod ſane dictum haud mirum videbitur perpendentibus plurima rerum exiliſſima ſemina, mineraliumque noxias particulas a ventis exagitatas per aërem volitare, & in viventium corpora permeare. Non ſum inſcius librum hunc a nonnullis criticis Hippocratis auctoritate diminui. At vero, quod ſæpe a Galeno laudetur, ſemel autem a S. Gregorio Nazianzeno, Hippocratis genuinum eſſe duxerim.

Ad

Ad infirmam igitur valetudinem arcendam optimus petendus eſt aër, qui non modo, ut dicebamus, pravis halitibus, & vaporationibus careat, ſed rurſus vivifica, actuoſaque ſubſtantia, quæ aëreum nitrum apud aliquos audit, ſit abunde refertus. Experientia ſiquidem compertum eſt, hominem in concluſo dolio vitam non longe deducere, ſed brevi temporis ſpatio præfocari: etſi aër ad reſpirandum nullus deſit; ideo ſane, quia, ut cum Helmontio plerique Phyſici autumant, per reſpirationem pulmones ex aëre ſpiritus quoſdam alkalicos hauriunt, & in ſanguinem impellunt, quibus defæcatus aër, atque exinanitus, ad ſanguinis motum ciendum, vitamque tuendam ineptus erit, niſi novo aëre recentetur, quod argumentum abunde proſecutus eſt Leonardus Capua multigenæ eruditionis vir, nitidus ſcriptor Italicus, atque facundus. Quamobrem is aër ſanus erit, qui vitali hac, ſubtilique ſubſtantia plurimum pollet; quæ ex terræ nitroſa expiratione emittitur. Hac vero in re ceteris præſtat Surrentina tellus, in qua ſive ſpectes reſtibiles agros, ſive novales, aut argillam ipſam, vel ſilices, aſperrimaſque cautes, ubique Nepeta videbis, Mentha, Tymo, Amaraco, Ramarino, Serpillo, aliiſque ſuave olentibus herbis, ut & proximos ſcopulos marino odoroſiſſimo muſco veſtitos; quas quidem herbas ſi naribus admoveas, animo refocillari ſenties, ac hilaria ſuſpiria duces; jucundiſsimis igitur

V. Anutium Foëſium in notis ad eum Hipp. librum.

Lionardo di Capua Delle Moſete Lezion. 2.

igitur ſpiritibus ab olentibus herbis, & a tellure ipſa, ut infra dicetur, exilientibus aërem refertum, ac prægnantem eſſe oportet; qui abunde in ſanguinem permeantes eumdem reficiunt.

Pallad. Rutil. Taur. de Re ruſtic. tit. 4.

V. Palladius inter ſalubris aëris notas habitantium *ſanum colorem* recenſet, quem ſanguis per hominum vultus pervadens gignit, ac faciebus impertitur. Sanguinem vero purpureum, vividumque colorem ab aëreo nitro contrahere repetitis experimentis nonnulli probarunt.

V. Edmund. Purchot. Inſtit. Philoſoph. p. 3. ſect. 4. cap. 5. prop. 2. & Tract. noſtr. de Irid. & colorib.

VI. Fluori etiam ſanguinis ſervando aër aptiſſimus eſt, qui ſi rigeſcat, vel concreſcat in grumulos, nec facile per arteriarum anaſtomeſes, vel anguſtiſſima cordis vaſcula permeet, animi defectione homines corripientur. Portio quoque illa ſanguinis, quæ inter carnis fibras conquieſcit, in tumores, apoſtemata, & carcinomata non raro abibit.

Hunc porro ſanguinis fluorem a motu, & ſalibus ſervari putabat clariſſimus medicus Thomas Cornelius eo ductus experimento, quod ii, qui ex ſanguine cibaria parant, ut fluidum illum ſervent, ſale communi aſpergunt, vehementerque bacillo agitant.

Cornel. Progym. de vita in principio.

Verum Bernardus Varenius rerum potius continentiam, & duritiem ex ſale eſſe ſtatuit, quo lapides duriſſimi arte effici poſſunt; quod ſi a terra ſalem ſepares, illa non amplius cohæreat. Sed animadvertendum, ſalem ſolidis particulis admiſtum illas denſare: cum fluidis vero, vel liqui-

Varen. Geograph. lib. 1. cap. 1. prop. 6., aliique.

dis,

dis, agitatiſque eaſdem diſſolvere; ſalinæ enim angulosæ particulæ cuneorum inſtar glutinum fluidorum diſſolvunt; ac propterea æquor Septemtrionale gelaſcere prope fluviorum oſtia a navigantibus compertum eſt; ſed a fluviis ſi recedatur polum verſus, idem mare licet a rigidiore frigore correptum non concreſcit, ſed propter ſalſedinem fluctuat.

Præterea ſale terra dureſcit, ut fert Varenius, ſed ſale cum ſulphure, & vitriolo, vel acidiſſimo alio ſpiritu: Sal vero præſertim ſi nitreum, & volatile ſit, ſanguinis fluiditati confert.

Potiſſimum vero aër reſpirationi animantium, immo & viventium plantarum, ut ſolertiſſimus Malpighius palam fecit, neceſſarius eſt, qui ſi exiliſsimus ſit, vel craſsiſsimus, reſpirationi erit ineptus. Quod ut liquide percipiatur, mirum reſpirationis opificium, non adhuc, ut putamus, pro dignitate lucubratum, heic exponere Phyſicorum gratia non pigebit.

## ARTICULUS II.

*Excurſus circa aëris reſpirationem.*

I. FOllis inſtar ſcitiſsime Ariſtoteles Animantia ſpiritum haurire, hauſtumque expellere monebat. Comparationem nemo, quod ſciamus, inficiatur; manca tamen, & impar phænomeno expo-

Ariſt. lib. de Reſpirat. cap. ult.

exponendo aliquibus viſa eſt. Follis enim non ſua ſponte aperitur, ac dilatatur ad aërem attrahendum, ſed manu, ac alia vi externa elativa indiget, & pondere, vel vi compreſsiva ad extrudendum; contra vero animantium pulmones per ſeipſos motus dilatationis, & contractionis exercere videntur, etiam animalibus dormientibus: quibus ſane motibus quum conſequens ſit aëris intromiſsio, vel excluſio, reliquum eſt, ut videamus a quonam excitentur.

II. Dum autem hæc ſedulo nobiſcum animo repetebamus, in mentem rediit, quod Herophilus apud Plutarchum docebat, quadruplici motu animalium reſpirationem perfici; quod dictum communiſsime improbant, duplicem tantum motum requirentes, pectoris ſcilicet extollentiam ad aërem ſugendum per aſperam arteriam, ut in Folle per ipſius orificium, aut aptatam folli valvulam accidit, ne detur vacuum, a quo natura abhorret, ut clamat Philoſophorum vulgus. Quia omnia plena dicerent doctiores, qui ex Timæo Platonis, & ex anthliarum experimentis rerum compulſionem didicerunt, & aperto Folle circumfluum aërem in eumdem urgeri intelligunt. Verum quis pectus extollet, aut deprimet? e duobus aliis motibus cordis rem evenire pro certo habemus; unde quatuor Herophili motus pro reſpiratione rectiſsime noſtro judicio ſtatuentur.

De Placit. Philoſoph.

III. Eſt ſiquidem cor magnus quidam muſcu-

muſculus, ſeu duplex connexus muſculus fibris oblique deſcendentibus, aſcendentibuſque veſtitus, duabus, ut dicunt, auribus, ac duobus ventriculis efformatus, quô nervi e cerebro deſcendentes percurrunt, per quos ſpiritus illabuntur in dexterum cordis ſinum, quem ad motum, & expanſionem ſollicitant, quique in ſua aperitione flexilibus quibuſdam columnellis fulcitur, donec ſanguine a Vena Cava fluente impleatur. Porro in ea aperitione, ac dilatatione, quæ Diaſtole nuncupatur, cordis mucro, ut ad baſim accedat, neceſſe eſt, ſpatium aliquod relinquens inter ipſum, & pulmones aëris vacuum; cui illico vi circumpulſionis ſuccedunt dilatati pulmonis lombi, atque veſiculæ, eo ſane modo, quo in Antlia Gerickj, vel Boyleana aëris vacua molles, vel raflatæ veſicæ in illis contentæ turgeſcere, expandique vi aëris elaſtica conſpiciuntur. Eſt enim Pulmo non levis carnoſa ſubſtantia, ut antiquiores Anatomici exiſtimarunt, ſed ſpongioſa, innumeris coagmentata veſiculis, ut diligentiſſimus Melpighius patefecit. Marcell. Melpigh. in duab. Epiſt. ad Johann. Alphonſ. Borell.

IV. Neque præpoſtere rem nos heic agere quiſpiam putet, quum ante novi aëris ingreſſum pulmones, & pectus expandi doceamus. Res enim manifeſtiſſima eſt ex Athletarum ludis gymnicis, qui ſpiritum continebant; illis enim eo magis pectus dilatabatur, quo longius aërem attrahere deſinebant. Interea Pulmo turgeſcens, ac rareſiens ob cordis Diaſtolem ſeptum transver- V. Mercurialem De Re Gymnaſtica.

 ſum,

ſum, ſeu Diaphragma ſurſum evehit cum ſibi colligatis viſceribus, quæ ſuo impulſu ſanguinem in pulmones illapſum ſurſum iterum pellunt, ac urgent; ille quum nequeat in eumdem cordis ventriculum iterum introire (habet enim valvulas ita diſpoſitas, ut ad egreſſum ſanguinis facile aperiantur, ad regreſſum arctius obſerentur) fit, ut ab oſculis arteriæ venoſæ, ſeu pulmonariæ recipiatur, & exinde ab impellente pulmonis vi in ſiniſtrum cordis ſinum propellatur; unde in Aortam prolapſus ita diſpeſcitur, ut pars per arterias Carotides in caput conſcendat, pars altera per ramulos ejuſdem Aortæ peſſum per reliqua omnia corporis membra diffundatur, & exinde per anaſtomeſes in venas permeans in eandem Venam Cavam aſcendentem refluat, & in dexterum cordis ventriculum remeet.

Primus circuitus Sanguinis inventor.

Atque hæc eſt mira ſanguinis circulatio, quam ter circiter qualibet hora abſolvi, incertiſſima tamen computatione putavit Rohault. Ejus aliqui primum inventorem faciunt Andream Ciſalpinum Clementis VIII. medicum; alii Paulum Sarpum haud pium Theologum, eamque Fabritio ab Aquapendente indicaſſe ferunt; hunc vero communicaſſe Arvejo Anglo, qui attentius rem conſiderans illuſtravit, typiſque ſumma cum laude evulgavit. Revera tamen in Platonis Timæo ipſam dilucide indicatam invenies.

Jacob. Rohault Phyſic. p. 4. c. 14.

V. Sed hui! miratus fortaſſe quiſpiam dixerit, tanta ne igitur vis in inflatis pulmonum veſi-

veſiculis, ut diaphragma, & ponderoſa viſcera ſurſum trahere poſſit? Immo multo gravius pondus, facile comperiet quiſquis animum adverterit ad celeberrimum experimentum, quo veſica fulcro firmo affixa, quæ per calamum inflata e lateribus diſtenditur, & longitudinem ſuam contrahit, pondus 50. 60. 70. vel plurium librarum elevat.

V. Johan. Wall. Mechan. p. 3. in Epilogo, & miſcel. lan. c. 15. prop. 3.

VI. Hucuſque vim, & cauſſam pectus dilatantem accepiſti: vim nunc deprimentem facile colliges; illico enim ac ſanguis in Venam Pulmonariam, ſiniſtrumque cordis ventriculum ingredi incipit, deſinunt turgere pulmonis veſiculæ, incipiuntque reflare; quapropter ventriculus, colligataque diaphragmati viſcera non ulterius ſurſum trahuntur; immo pondus ſuum exercentia deorſum in imum ventrem deſcendunt; unde pectoris coanguſtatio, & perinde afflatus, ſeu aëris expulſio conſequatur, neceſſe eſt. Tenes igitur rationem expanſionis pectoris inſtar Follis, & rationem compreſſionis, velut Follis pondere gravati. Recta igitur Ariſtotelis comparatio reſpirationis ad Follem recipientem, & propellentem aërem, ſi quadruplici motu, ut volebat Herophilus, a nobis nova methodo expoſito fieri comprehendas.

VII. Hinc etiam deprehendere quiſque poteſt, quis aër reſpirationi magis idoneus, num tenuis, & levis; aut vero craſſior, & obtuſior; an medius, qui revera potius optandus. Tenuis enim, ac diſtractus aër minori vi elaſtica

 pollet,

pollet; quapropter qui celſiſſimorum montium, ut Olympi culmina conſcendunt, ubi aër exiliſſimus eſſe fertur, anhelitus ducunt, quod elaſtico aëre pulmonis veſiculæ exinanitæ nequeant dilatari, eamdem ob cauſſam ſanguinem expuunt; ſanguis enim a dextero cordis ventriculo deſiliens, quum vi elaſtica aëris in Venam Pulmonariam, ut diximus, non impellatur, reſilit, & aſperæ arteriæ ramulos vellicans tuſſim, & excreatum provocat. Præterea in Gerickj primum adinventam machinam, quam Pater Schottus evulgavit, deinde Robertus Boyle perfecit, immiſſa, aëre per antliam evacuato, animalia poſt anhelitus, & convulſiones mortem obeunt. Anguillæ vero, quæ minori reſpiratione indigent, plus durant, ſed immotæ veluti algent.

Preſſus vero, & ſtipatus aër vehementius dilatatur, ut in Sclopis pneumaticis, qui cereos, vel argillaceos globulos longiſſime jaculantur. Neque propterea credas ad faciliorem obtinendam reſpirationem craſſum aërem eſſe petendum; hic enim tunc elaſtica vi magis pollet, quum in aërem exiliorem impetum facit, non quando ab æque craſſo circumambitur; tunc enim ſtipatus aër dilatari, & rarior effici nequit; quapropter in Cellis vinariis, ubi a vinoſis ſpiritibus plus nimio comprimitur aër, homines anhelitus ducunt; & in profundis foveis quandoque velut præfocati obeunt.

VIII. Hanc etiam eſſe cauſſam anhelitus, & mor-

& mortis, quam in canum celebri crypta animantia oppetunt, putavit celeberrimus Philoſophus Leonardus a Capua Neapolitanus. Eſt ad oram Anj, lacus non longe a Puteolis diſtantis, collibus circumdati exciſum breve, & anguſtum antrum, quod ſubeuntes canes, ſi paululum immorentur, deliquio primum, tum morte corripiuntur, ut pariter homines, ſi ibi cubent in faciem, ſeu in ventrem proni eô immitantur, etſi tamen erecti vix aliquid damni patiantur. At vero, ſi ante obitum extrahantur, & in proximum locum conjiciantur, vel recens effoſſa tellus eorum naribus admoveatur, illico reviviſcunt, nulla noxa affecti. Putavit memoratus Philoſopus ab aëris craſſitie ad reſpirationem inertis vitam intercipi, non vero, ut communius ferunt, a venenatis halitibus, qui cerebro non levem offenſam inferunt. Verum quis animum inducet, ut credat, paucorum pedum altitudine aërem adeo coanguſtari, ut elaſticam vim prorſus amittat. Præterea e mortifero loco parvis antliis, ſiphonibuſque aërem attrahentes, illum vi dilatativa non omnino carere experti ſumus. Quapropter ex antri ſolo mineralibus ſcatente venenatos, arſenicaleſque ſpiritus in modicam altitudinem ſtipatos diſſilire putaverimus, qui parum elevati, ob ſubtilitatem diſſipantur; proindeque humilium animantium cerebrum offendunt, motuſque nervorum ad cor labentium, & ſpirituum tranſitum impediunt ita, ut ſangui-

Capua delle Moſete

nis

Digitized by Google

nis circuitus hæreat. Hi nullam, aut modicam offenſionem capiti relinquunt, quod tenuiſſimi ſint, & aquæ agitatione, vel ſpiritalium halituum odore facile diſſipentur.

## ARTICULUS III.

### *Alia quædam ad Surrentini Aëris ſanitatem facientia curſim indicantur.*

Taſſo. *Perche il caldo del cor temprato ſia.*

I. PUtant quamplures, inter quos magni nominis Renatus Deſ-Chartes, aëris reſpirationem ad compeſcendum, refrigerandumque cordis æſtum a ſummo Opifice præcipue datam; quod ſi verum eſſet, hyemis tempore, quo ſanguis maxime tepet, reſpiratione parum, vel nihil indigeremus. Neque adeo urentem in corde calorem vigere a ſcitis Anatomiſtis deprehenſum eſt.

Petr. Gaſſend. Phyſic. Sect.3.l.5. cap.4.

Alius Gallus Charteſj antagoniſta Philoſophus ſpiritus reſpirationem valere docuit ad repurgandum ſanguinem, dum a dextero cordis ventriculo in pulmones labitur, diſcutiendaſque ejuſdem fuligines, ſecernendumque viſcidum humorem, ut commode poſſit venoſæ arteriæ oſcula ſubire. Quod vero haud ſimile videtur; ubi enim fuliginum, & pituitoſi illius humoris receptaculum oſtendet? abſque eo quod ſecreta pituita tuſſim, & excreatum perpetuo ſollicitaret, Sanguinis potius repurgationem, & pituitæ

ſecre-

ſecretionem in cerebro, ubi Diaſtole, ac ſyſtole deprehenſæ, fieri, & per os Etmoidem in nares emitti palam eſt, ut & per frequentiſſimas totius corporis miræ ſtructuræ glandulas, quæ cribrorum, & ſecerniculorum inſtar ſunt.

V. La Forge in Not. ad Chartesj tract. De Homin. p. 5.

II. Aëris igitur reſpiratio præcipue ad ſanguinis circuitum promovendum data, qui tamen ſine reſpiratione haberi poſſet, ut eo pollent fœtus in utero matris, niſi vicinus ductus e dextero in ſiniſtrum cordis ventriculum, ab egregio Anatomiſta detectus ſtatim, ac egreditur e matris utero, obſtrueretur; quemadmodum adveniſſe putant miro cuidam Urinatori *Cola Peſce* nuncupato penes Alexandrum ab Alexandro.

Botaldus

Alexand. Dier. Genial.

III. Alterum quoque uſum reſpirationis indicavimus, ut ſcilicet cum aëre attrahatur actuoſa, & vitalis quædam ſubſtantia. Sed & tertium non omittamus expoſitum a Johanne Alphonſo Borello, qui ad animalium motum, & nervorum contractionem, atque diſtentionem ſcitiſſima mechanica aërem totum corpus pervadentem neceſſarium eſſe demonſtrat; ex quo expeditiores, & promtiores erunt motus, ſi purior fuerit ille, ac tenujor. Hæc quum abunde præſtet Surrentinum Cœlum, ſummis laudibus evehendum eſſet a Palladio, qui has notas ſani ſpiritus perquirendas eſſe ducebat: *Loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus abſoluta, & habitantium conſideratione corpuſculorum; ſi eis color ſanus, capitis firma ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum,*

Borell. De Mot. Muſculor.

Pallad. De Re Ruſt. l.1. tit.3.

*purus*

*purus auditus, & ſi faucis commeatus libere voces exerceant: hoc genere. benignitas aëris approbatur. His autem contraria noxium Cœli illius ſpiritum conſitentur*. Quas notas a Palladio expetitas, & inventu difficillimas cumulatiſſime in aëre Surrentino congeſtas eſſe conſentiunt exteri omnes eô loci adeuntes, & ſæpeſæpius ibidem infirma valetudine liberati.

IV. Non negaverimus tamen ventorum vi impuros aliquando halitus e pollutis locis aſportari, & in ſanum aërem, impetu quieſcente, deponi, & inquinare, quod ſemel Surrentino aëri eveniſſe experti ſumus. Verum hujuſcemodi calamitatibus quum quilibet ſit locus obnoxius: eæ tamen regiones immuniores, quæ ſalutaribus Septemtrionalibus ventis obverſæ magis; cujuſmodi eſt Promontorj Surrentini, ubi civitas conſtructa, aſpectus. Eapropter ſolers Vitruvius animadvertit civitatum mœnia ſecundum mare ad Meridiem, aut ad Occidentem ſpectantia non eſſe

Vitruv. Archit. lib. 1. cap. 14. ſalubria: *Quia per æſtatem Cælum meridianum ſole exoriente caleſcit, meridie ardet. Item quod ſpectat ad Occidentem ſole exorto tepeſcit, meridie calet, veſpere fervet, &c.*

Damnat proinde idem auctor in inſula Lesbo oppidi Mitylenes magnificenter, & eleganter ædificati imprudentem collocationem: ubi Auſter quum flat, homines ægrotant, quum Corus, tuſſiunt, quum Septemtrio, reſtituuntur in ſanitatem: *ſed in angiportis, & plateis* nequeunt conſiſtere propter *vehementiam frigoris*. Ex-

Extemporalibus quoque ventorum mutationibus animantium corpora vitiari idem Vitruvius annotavit, & paſſim quiſque experitur. Aut obſeratur enim, aut plus nimio increbeſcit cutis inſenſibilis tranſpiratio; cujus temperies quam neceſſaria ſit ſanæ valetudini, ex Santorj Santorj Medicina ſtatica facile eſt addiſcere. Sanguinis quoque motus, ac ſtructura repente mutatur. Continet enim ſanguis non exiguam aëris portionem: quapropter aperto vaſe ſanguine referto, antequam concreſceret, in machinam Boylianam immiſſo, ſubductoque per antliam aëre, ſpumeſcere primum ſanguis viſus eſt, deinde in manifeſtas ampullas dilatari, quemadmodum inter lavandum ſaponis bullæ dilatari, ac diſrumpi conſpiciuntur; quod aër in ipſis comprehenſus plurimum rareſiat. Quapropter ſi ventis externus aër, vel eximio calore rareſiat, vel intenſo frigore ſtipetur, varias affectiones in venis contentæ ſanguineæ bullulæ patientur. Carnium etiam fibræ conſuetum ſitum invertere adiguntur.

V. Santor. Santor. cum Not. Baglivi.

V. Johan. Wall: De Hydroſtat. c. 14. prop. 13. in Schol.

V. Caveant igitur a ſubitaneis hiſce ventorum mutationibus, qui ſanitati ſtudent; æqua enim aëris temperies bonam valetudinem fovet ita, ut Anglus quidam medicus putaverit, ideo ante κατακλυσμὸν homines adeo longam vitam duxiſſe, quod Tellus ſub Æquatore, nulla facta ad polos inclinatione, volutaretur; unde neque dierum, neque anni tempeſtatum ulla eſſet varietas, ſed imperturbata, ac ſtata temperies ſemper conſiſteret.

Thomas Burn. in Theoria Telluris.

G Cujus

Cujus tamen ſententiæ nedum antecedens propoſitio Sacræ Scripturæ dogmatibus adverſatur, præſertim Davidi inter primæva Dei opera plaſmatam alternationem æſtatis, & veris recenſenti; ſed nec conſecutio ipſa legitime deducta videtur; oportuiſſet enim prius probaſſe, antediluvianos homines nullis unquam morbis, nulla infirma valetudine fuiſſe correptos; infirmitates enim aliquas concipi videmus, quæ tempeſtatum viciſſitudine ſanantur; ac proinde temporum mutationes non ſemper ſunt nocentes, ut Theoriæ telluris auctor aſſerit.

Geneſ. cap. 8. v. 22. & Pſalm. 73. v. 17.

Sed & rurſus ab eodem probandum erat; e terra pravas nullibi expirationes proſiliiſſe, ſed ubique ſalutares; quod ſi ita fuiſſet, neque bituminum, neque metallorum fodinas illa habuiſſet; unde ergo ferrum ad terram colendam, ad dolanda ligna Arcæ, ut præſcribitur in Sacra Scriptura, & ad ipſam Arcam ſtruendam? Unde malleatoris Tubalcain mallei? Sed Syſtema illud Burnetj, ſi recte perpendatur, omni ex parte ferme laborare conſpicietur.

VI. Ad ventos nunc redeuntes illorum ſcientiam animadvertimus maximopere Architectis commendare Vitruvium, quorum octo tantum enumerat ab octo æquediſtantibus Horizontis plagis flantes, ſecundum quos *Andronicus Cyrreſthes* (fortaſſe is, quem Cypreſtem Varro appellat) *Athenis turrim marmoream octogonon, & in ſingulis lateribus octogoni ſingulorum ventorum imagines excul-*

Vitru. lib. 1. c. 6.

Varr. De Re ruſtic. lib. 3. cap. 5.

*cultas contra ſuos cuique flatus deſignavit ; ſupraque eam turrim marmoream metam perfecit , & inſuper Tritonem æreum collocavit , dextera manu virgam porrigentem ; & ita eſt machinatus , uti vento circumageretur , & ſemper contra flatum conſiſteret , ſupraque imaginem ſtantis venti indicem virgam teneret .* Egregia ſane machinatio , quam locupletes viri ad ſexdecim ventorum aſpectum , vel etiam ad 32. , in quos in Oceano navigantes Horizontem partiuntur , aptare voluptuoſiſſime poſſent.

Porro circa ventorum ſcientiam , etſi maxime allaboratum ſit a Phyſicis : multum tamen operis adhuc reſtare putamus , præſertim circa eorum peculiarem in ſtatis quibuſdam locis generationem ex peculiari terræ coagmentatione proſilientium ; quo ratio reddi poſſet phænomenorum a Columella recenſitorum : *Locorum , quæ ſolſtitiis minus concaleſcunt , ſed frigoribus hyemis intolerabiliter horrent , ſicut Thebas ferunt , & Bœotias , ſunt quæ tepent hyeme , ſed æſtate ſuaviſſime candent , ut affirmant Euboicam Chalcidem .* Columell. De Re ruſtic. lib. 1. cap. 4.

De Surrentinis rupibus nos experti ſumus æſtivis noctibus , etſi diu a ſolaribus radiis torrefactis , leniſſimas refrigerantes auras prodire , e nitro ſcilicet cum iis commiſto , die a ſole nimium exagitato , atque diſperſo , quo fervore noctu ceſſante , ſtipatæ , ac blandæ expirant.

VII. Civitatis autem , pagorumque ſitus is plerumque eſt , qualem Vitruvius , & fuſius laudatus Columella optabat inquiens : *Petatur igitur* Vitruv. lib. 1. c. 4 Columell. lib. 1. cap. 4. in fine .

*aër calore, ac frigore temperatus, quem fere medius obtinet collis, quod neque depreſſus hyeme pruinis torpet, aut torreat æſtate vaporibus: neque elatus in ſumma montium perexiguis ventorum motibus, aut pluviis omni tempore anni ſævit. Hæc igitur eſt medj collis optima poſitio, loco tamen ipſo paulum intumeſcente, ne quum a vertice Torrens imbribus conceptus effluxerit, fundamenta convellat.*

Diſperеam, niſi ſitum Surrentinæ civitatis, & potiorum pagorum noſtri Promontorj hoc monitu egregius rei ruſticæ ſcriptor heic vehementer commendare videatur, quorum nullus poſitus in ima, atque opaca valle.; quamobrem nedum nullis obruuntur nebulis, pruiniſque, ſed gratiori, lentoque continuo premuntur vere. Ex Antliis enim, in quibus aqua ultra pedum 32. ſeu cubitorum decem, & octo altitudinem non excedit, Galileus, & Gaſpar Barthius in Academia Romana Mathematices profeſſor, deprehenderunt liquorum extractionem non eſſe referendam ad fugam vacui, ſed ad æquabilis, ac æqueponderantis aëris preſſuram. Quod celeberrimo Barometri experimento deinde Turricellus confirmavit. Craſſitie porro aër, ac humore lenteſcit, infirmamque, vel minus validam reddit reſpirationem.

VIII. In ſummis etiam montibus elatere defæcatur aër, ut ſupra innuebamus, præ nimia ſubtilitate, atque laxatione, quum illi ſereni ſunt, vel hic ſubita mutatione graveſcit ob nebulas,

bulas, & pluvias, quæ ibi decidere ſolent, abſque eo quod ſubjectorum locorum ſerenitatem perturbent, ut plerumque contingere referunt in Peruviæ montibus. Idem nos experti ſumus in Alpibus Florentiæ, & in jugis Surrentinorum collium, quum eô inſtituendi gratia ad Fidei rudimenta bubulcos, monticolaſque adibamus, & aliquandiu commorabamur. V. Varen. Geograph. lib. 1. cap. 9. prop. 9.

Horum μετεώρων cauſſam reddit, ſed mutilam Varenius; quia ſcilicet montium faſtigia propiora ſunt illi aëreæ regioni, ubi nubes concreſcunt, & nives, quæ in pluvias, ac nebulas diſſolvuntur. Recte hucuſque. Sed cur ima loca non inquietant? Rationem ſupple, quia ſcilicet in montium cacuminibus aër a ventis frequentiſſime agitatur, & attenuatur; quare vi pleni, ac Timaicæ circumpulſionis neceſſarium eſt, ut eo craſſioris aëris partes, humidioreſque pulſæ ſuccedant; unde in nebulas, grandines, nives, pluvias, pruinaſque concreſcentes, decidere opus eſt, inferiora montium ſerena, ac placidiora relinquentes; eapropter in montium cacuminibus incommoda eſt habitatio.

IX. Loca inſuper Surrentinorum Pagorum numeravit Capacius, atque felicius Pater Nicolaus Giannettaſius, qui inſuper quiſnam ex illis cuique anni tempeſtati ſit accommodatior, animadvertit. Præſtantiſſimus nobis viſus eſt, rigente hyeme, Metenſis pagus, cui imminet mons ſaxi duriſſimi verno Solis occaſui obverſus, in Giannet. Æſtat. Surrentin.

quem

quem ſolis radii incidentes ita reflectuntur, ut longum terræ tractum tepeſcentem faciant. Reliquorum omittimus deſcriptionem, ne in immenſum hoc opus excreſcat.

# CAPUT III.

## *De laticum Surrentinorum præſtantia.*

I. RESpirationis materia unicus eſt aër. Nutricationis non exigua pars rerum omnium utiliſſima aqua, cujus ad potum excellentiam comprehendiſſe nobis videtur Italicorum Lyricorum Princeps carmine illo:

Petrarc. Canzon.

*Chiare, dolci, e freſch' acque.*

Claritatem, ſeu oblectantiſſimam pelluciditatem omnes naturaliter obtinent aquæ, niſi extraneorum corporum e terrenis locis, per quæ tranſeunt, commiſtione inficientur. Quæ enim per Aluminis, Gypſi, aut Cretæ venas permeant (quibus Surrentina tellus abundat) albeſcunt; quæ per Ochræ, flaveſcunt; quæ per rubricarum, vel minj, rubeſcunt; quæ per vitrioli, nigreſcunt.

II. Sed & quædam ſunt aquæ, quæ hauſtæ limpidæ apparent; alveo autem ſuo inhærentes fundi colorem mutuantur, ut maris Erythræi, ſeu Rubri aquæ.

Tyberis quoque unda a flavo fundo flaveſcit. Sed quod mirum, traditur, in pluribus Oceani locis aquas fundi refertas eſſe colore

uſque

uſque ad ſummum ; quæ tamen hauſtæ pellucidæ, claræque apparent, quum aquæ ſi cryſtallinæ, & pellucidæ ſint, alvei colorem detegunt, abſque eo quod illo inficientur, aut claritatem immutent.

De hujus phænomeni cauſſa interrogati nos reſpondebamus aquas, quominus Heterogeneis corpuſculis admiſtæ ſunt, eo magis natura ſua clareſcere, & illas, quæ nitidioribus fontibus manant, ac leniter diſcurrunt, planorum ſpeculorum munus implere ita, ut in fluviorum uno Narciſum ſeipſum intuentem, ac veſano ſui amore captum in undas ſemet dejeciſſe fabulentur. Plurimi enim radii luminis, vel colorati in aquæ ſuperficiem incidentes, eadem via, ſi perpendiculariter cadant, reflectuntur, ſi vero oblique, angulum reflexionis æqualem angulo incidentiæ ſpeculorum inſtar faciunt. Alii vero radii Diaphanam aquam uſque ad fundum permeant, unde reflexi, & colorati ab objectis, quæ in aquæ alveo quieſcunt, in aërem redeunt, ubi refractionem aliquam tamquam in medio difficiliori a catheto, ſive linea perpendiculari recedendo, patiuntur, & paralleli ferme incedunt, plurimumque ad viſionem conducunt, ut in Dioptrice demonſtratur ; quapropter & alveum ipſum, & in alveo inſidentia objecta referunt: abſque eo quod aqua pelluciditatem in alium colorem immutet. Si vero agitatur limus, ejuſque particulæ cum aqua commiſcentur, viſualium radiorum iter invertetur, & qui

& qui a limo crebris particulis cum aqua admiſtis radii reflectuntur, turbidum, vel coloratum totum alveum, atque corpus repræſentabunt.

Quod vero dicunt, alicubi aquas a fundo coloratas, quum hauſtæ fuerint, claras videri. Credamus, ſi dicant de parva aquæ quantitate, non vero ſi de plurima, quacum fundi particulas admiſceri neceſſe eſt. Quemadmodum in parva diſtantia cyaneus aëris color ab luminis refractione creatus in modica diſtantia obtutum refugit, non vero ſi montes eminus conſpiciantur. Sed hæc fuſius ab Optica petenda.

III. Clareſcentes porro aquæ nedum viſus aciem exhilarant, ſed potæ ſitientes maximopere recreant, quemadmodum turbidæ vehementer officiunt; quocirca Jeremias, ut populum Judæ-
Jerem. c.2.v.18. um deterreat, ne accedat ad Ægyptios, aut Aſſyrios, ita illum alloquitur: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquas fluminis?* Aquam turbidam Nili fluenta appellat; qui Hebraice שִׁיחוֹר *Sichor* dicitur, hoc eſt, *Turbidus*; vehementer enim ejus aquæ conturbantur poſt cataractas. Neque Euphratis in Aſſyria aquas potatui optabiles idem ſanctus Propheta exiſtimat, ut ſunt fontium, ac rivulorum dilucidæ lymphæ, quibus paſſim Surrentinæ rupes, ac valles ſcatent.

Sunt non longe a civitatis mœnibus *Falangolæi* horti, quibus e mire artefacto fonte clariſ-

ſima

ſima proſilit aqua ; fonti inſuper imminet celſa rupes , e qua perpendiculariter aliæ præcipites ruunt lucidiſſimæ lymphæ, quæ exceptæ in ſubjecta viridaria per apertos binos canales lento murmure diſcurrunt, quo nihil ad ſomnum conciliandum accommodatius: itaque fluentes pelluciditate oculos , ſuavi ſuſurro aures , hauſtu vero guttur, totumque corpus reficiunt.

IV. Non ita ſane Lacuum , ſtagnorum , Paludum quieſcentes aquæ , ubi algæ , & in ſuperficie enatus muſcus æſtu exiccatus putreſcunt , & in fundo venenoſi ſerpentes ſæpiſſime aluntur limum dimoventes, aquaſque turbantes . Ad hujuſmodi lacum pervenientes Romani milites, qui ſub Catone pro patria libertate merebant , licet ſiti exareſcerent, tantum abfuit , ut lætarentur , quin potius eorum comæ horrore correptæ riguerint; ab immanibus enim ſerpentibus, turbidiſque aquis lethum ſibi timebant. At vero ſapientiſſimus Cato , ut eos a metu liberaret, injecto lapide in aquas , ipſas diſcuſſit , hauſit, potavitque inquiens:

*Noxia ſerpentum miſta eſt in ſanguine peſtis*: Lucan. in Pharſal.
*Pocula morte carent.*

Hoc pacto præluſiſſe videtur experientiſſimo , ac diligentiſſimo medico *Franciſco Redio* , qui plurimis factis periculis ad evidentiam evicit , mortifera quidem eſſe ſerpentum venena , quum rabido illi morſu vulnus aperiunt , & in vulnere ex dirupta ſub dentibus veſicula veneno referta

illud infundunt, quod epotum ab iis, quibus ſanæ gingivæ, ceteræque interiores corporis partes nullo ſint ulcere affectæ, innoxium eſt. Quod Cornelius Celſus diſertiſſime notaverat his verbis: *Nam venenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent*. Ut propterea Pſylli innoxie venena illa exuxerint.

Celſus Medic. lib. 5. c. 27. n. 3.

V. Heic inter aniles prorſus rejicienda fabella ea, qua Boccacius refert, Amaſium, Amaſiamque repente obiiſſe, quod ex ejuſdem ſalviæ ceſpite avulſis foliis gingivas defricaſſent, ſub quo venenoſa Rana rubeta deliteſcebat. Non enim in plantæ radicem, quemadmodum nec in aquas virus ſuum Bufones evomunt, ex quo planta potius aruiſſet, quam virore ſuo ad colligenda folia apricantes allexiſſet; ſed ad inſtitutam orationem redeamus.

VI. Non deſunt etiam diverſis in locis torrentia flumina, quæ rapiditate ſua argillas, lutum, lapillos, ſaxa evolvunt, a quibus ſuæ aquæ opacantur, & proinde potatu haud ſanæ ſunt; prægnantes enim terrenis particulis, ad animantium ſales, qui cibo ingeruntur, diſſolvendos, vel abigendos, mictuque expellendos ineptæ ſunt, & abdominis viſcera obſtruunt.

VII. Alteram cum Poëta ſanæ, ac delectabilis aquæ conditionem requirebamus, *Dulcedinem* ſcilicet, quo nomine non intelligimus mellis, vel ſacchari ſaporem, ſed delectamentum il-

lud

lud, ac ſuavitatem, qua guttur noſtrum afficitur, quum ſitim extinguimus; quæ jucunditas e ſaporum potius carentia, quam continentia dimanat, ut ſcitiſſime Avicennas animadvertit. Sapor omnis a varia ſalium miſtione, ut norunt boni Phyſici, oritur, qui quum plurimum increbuerint, ſitim acuunt, & potus, præcipue aquæ fluore diſſolvuntur; quare eæ jucundiſſimæ aquæ, quæ nihil ſapiunt. Male autem ſapient aquæ, ſi per fodinas metallorum, aut bituminum venas diſcurrant; ut Auri, Argenti, Ferri, Vitrioli, Sulphuris, aliorumque bituminum, a quibus amarorem, acerbitatem, aciditatem, auſteritatem, & graveolentiam quandoque concipiunt: de quarum varietate, & cauſſis fuſas tractationes invenies, præcipue de *Subacidulis* aquis Spadanis.

Avic. libello De removandis nocumentis.

V. etiam Varen. Geograph. Gener. lib. 1. cap. 17.

Minerales aquæ ſi opportune, moderateque adhibeantur, nonnullis morbis ſunt medicamini. Illud etiam animadvertendum, per fodinas prætereuntes aquas qualitates quandoque mutare: immutato tamen colore, atque ſapore, ut experiuntur paſſim medici, ac pharmacopolæ, qui hydrargyrum in aquam injicientes, vehementer motant, atque exagitant, ut verminibus enecandis validiſſimam ex commiſtione Mercuriali reddant, eadem prorſus ſenſibili qualitate retenta. Aliquæ ita ſaporem immutant, ut vinum ſapiant, & potores temulentos faciant.

Plin. lib. 31. cap. 103.

VIII. Verum quid dicemus de dulcibus lymphis, quas e maris fundo erumpere uſque

ad ſuperficiem ſalſedine impermiſtas eleganter Lucretius cecinit ?

Lucr. lib. 2

*Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquai,*
*Qui ſcatet, & ſalſas circum ſe dimovet undas,*
*Et multis aliis præbet regionibus æquor*
*Utilitatem opportune ſitientibu' nautis,*
*Quod dulces inter ſalſas intervomit undas.*

Res non leviter, & ſine ulla indagine recipienda videtur. Licet enim flumina in mare ſummo impete influentia longo per æquora tractu dulcedinem ſervent, nec ſalſedine ſeſe infici permittant; tanta tamen vis, & velocitas num tribui poſſit aquis perpendiculariter exilientibus e maris alveo ( cujus aſcenſus ab innata gravitate, & a prementibus ſalſis ponderoſioribus aquis ſenſim retunditur ) ut uſque ad ſupremam ſuperficiem ſine commiſtione pervenire poſſint, addubito.

IX. Sed nunc tertium adoriamur præconium, quo cum Petrarcha potabiles aquas evehebamus, nempe Frigiditatem. Sunt earum quædam, quæ tanto frigore rigentes e fonte erumpunt, ut vitrea vaſa, figulinaque infringant; & ego ipſe, plurimique alii experti ſunt de aqua *ſancti Guilielmi* dicta in Monte Virgini Deiparæ dicato prope Abellinum in Hirpinis, in qua manum non ſine maxima a frigore moleſtia ne brevi quidem tempore detinere valebam; ſed non proinde aqua ipſa conglaciat.

Aliæ arſenicales ſunt, & lethiferæ, a quibus cuncta

Digitized by Google

cuncta animantia horrent : & ex his quædam majori calore ebullientes, quam ſi calx recenter in eas injecta eſſet, ut proinde ænea vaſa, fideliaſque liquefaciant, & tantummodo mulina ungula contineantur, ut ab Ariſtotele Jollam Antipatri filium doctum ferunt, qui tali veneno Alexandrum Magnum confecit. Thermarum aquæ iſtæ potatui noxiæ. Sed quid dicemus de frigidiſſimis? quas recentes medici quidam, præſertim Neapolitani, ſaluberrimas ducunt, & largiter epotas cunctis fere morbis proficuas. Libet de iis diſſertatiunculam heic breviter annectere.

## ARTICULUS I.

*Excurſus circa nuper adinventum medicamen gelidam aquam largiſſime propinandi ægrotis.*

I. Principio homines, qui longiſſimum trahebant ævum, aquam potaſſe, glandes, ſiliquaſque, & alios ſponte ſua natos e terra fructus comediſſe, cum Plinio communiſſime tradunt; licet aliter a ſcriptura doceri videamur, ſcilicet Cain terram incoluiſſe. Poſt cataclyſmum vero Noëmum volunt vinum adinveniſſe, quem Bacchi nomine Græci indicarunt. Cererem vero panis inventricem faciunt. Vini porro potio adeo plurimis Aſiæ incolis, & omnibus Europæis in deliciis fuit, ut illud maximopere & adhibuerint, & poëtæ tum veteres, cum recen-

Torquat. Taſſ. nell' Aminta ſcen. 1.
*Così la gente prima, che già viſſe,*
*Nel mondo ancora ſemplice, ed infante,*
*Stimò dolce bevanda, e dolce cibo*
*L'acqua, e le ghiande, ed or l'acque, e le ghiande,*
*Sono cibo, e bevanda d'animali,*
*Poiche s'è poſto in uſo il grano, e l'uva.*

centiores inclytis laudibus commendarint, aqua ferme neglecta. Medici vero ab aqua potiſſimum ægrotos arcebant, vel ipſa acuta, ac ardenti febre laborantes. Noſtri ævi medicos præſtantiſſimos novimus, qui febre æſtuantibus, & areſcentibus vix linguam globulis cryſtallinis aqua aſperſis refrigerabant. Ceterum ex ſtillatitio vini ſpiritu, quem aromatibus infuſis Elixir dicunt, ægris pocula propinabant, vel ſpiritum, ſeu acutiſſimum ex agreſti raphano clibano elicitum ſuccum, vel ex ſale ammoniaco, & calce, cui ſpiritus ſanguinis humani nomen indidere, atque alia hujuſmodi, quibus præſertim lethifero morbo, etiam febrili laborantibus ſubveniri poſſe rebantur. Stomacho etiam fovendo, a quo omnem curationem exordiendam eſſe vult Ettmullerus magni nominis medicus, pharmaca aromatica exhibebant. Hac methodo medendi utebantur recentiores, qui Græcorum, Latinorum, & Arabum Rationalem Medicinam reſpuebant; neque ex calore, & frigore, ſed ab acido, & *Alkali* morbos omnes derivabant*: plerumque vero ex acido exaltato adverſas eas valetudines accidere arbitrabantur, quas ingenti calori antiquiores medici tribuebant, quo & ſanguinem grumeſcere, & tum interioris corporis glandulas, quam etiam cutaneas obſtrui credebant. Acori vero obſtare Alkali, ſeu ſpirituoſas ſubſtantias putabant, & concreta fluida diſſolvi poſſe, minime advertentes potius iis, quæ in humano corpore diſcurrunt, fluidas partes propelli, & craſ-

* V. Tachenium, alioſque.

& craſſiores coaleſcere ; quare obſervatum eſt immiſſorio infuſo in venis vini ſpiritu , totam ſanguinis maſſam illico concreviſſe .

Hinc recentiores quidam medici præſertim Hiſpani , & Siculi , ubi aëris temperies æſtate ſupramodum incaleſcit , ardentibus , acutiſque febribus frigidam aquam levamini eſſe , comperientes , illam gelidam , & largiſſime ægrotis propinandam eſſe duxerunt ; quumque res pro voto eveniſſet , Pharmacum hoc aqueum evulgarunt ; quod Neapoli nullos ſectatores , multos contradictores primo reperit , præter unum , aut alterum audaciorem medicum , qui opus ad praxim fauſtis ſane ſucceſſibus tam in ardentibus febribus , quam in dyſenteriis , aliiſque nonnullis morbis reduxerunt .

Felices exitus multos alios medicos ad tuendum tale medicamen allexerunt . Verum animadvertentes fortaſſe rem improſpere nedum pharmacopolis , ſed medicis ipſis ceſſuram , ſi ægrotis ſeticuloſis , & æſtuantibus aquam utiliter ſorbere fas eſſet , ad methodum , & ad medicorum rationalem diſciplinam negotium evocare conati ſunt ; nihil enim tantum averſantur , quantum Serapionis opinionem , quam *Apollonius , Glaucias , & aliquanto poſt Heraclides Tarentinus , & alii quoque non mediocres viri ſecuti ſunt* , docentes medicinam in uſu tantum , & experientia conſiſtere , quum imcomprehenſibilis rerum natura ſit ; proindeque Empiricam tantum excolendam , Rationalem vero prorſus amoliendam , ne fallacia ratiocinationis in

V. Aurel. Cornel. Celſum de re medica in procemio .

per-

perniciem valetudinis vertatur opus, a quo ſanitas ſperatur. Hæc, inquam averſantes ad Rationalem Methodum aquæ experimentum deduxerunt.

II. Recentes igitur medici aquarii, ut ſalutare experimentum aquæ frigidæ in morbis ad rationalem methodum revocarent, animum ad tria hæc appulerunt, primo ut differant, acriuſque contendant de cauſſis inducentibus febres, in eo plerumque convenientes, febrium diverſa genera a ſalibus arſenicalibus ſanguinem coagulantibus oriri, qui copioſo aquæ potu diſſolvi, & liquari, aut contundi facile poſſunt.

Item non ab ovo exordiuntur; principio enim videndum eſſet, num veri quidquam comprehendat ſententia illa Patris Campanellæ, e Dominicana familia copioſiſſimi Scriptoris, atque Philoſophi, ferentis febrem non eſſe morbum, ſed remedium e natura excitatum ad vincendas cauſſas morborum: ut decernatur quamdiu poſt febrem prope aquæ gelidæ pocula propinanda.

Campanell. Medicinal. lib.7. c.3. art. 1.

III. Deinde ut plenius rationem reddant, cur aqua in febribus, & morbis aliis proſit, Aquæ naturam percipiendam eſſe duxerunt ex ejuſdem reſolutione, & diſtillatione, ac reſidentibus partibus; qua ſuper re libellum Italico ſermone typis editum legi hoc titulo inſignitum: *Anatomia dell'Acque*, in qua diſſectione, ſive anatome nihil magis diſcruciari aquam puto, quam quum barbari Principis imperio eadem vapulavit. Verum auctorem oleum, & operam perdidiſſe credo. Si enim

Digitized by Google

enim aqua pura, & elementaris eſſet, nihil aliud in ea deprehendere daretur, quam tenuem eſſe ſubſtantiam ex teretibus, (ut magni nominis recens quidam Philoſophus * arguit) longiſque particulis præditam, Anguillarum inſtar repentibus, quæ quum immobiles, atque implicatæ rigent, dureſcentis corporis formam induunt; quum vero eædem particulæ diſſolutæ, atque inter ſe diſſitæ in gyrum volventur, in vapores abeunt ita, ut aquam triformem dicere poſſis.

* Des-Chartes.

IV. Ceterum anatome, ſeu proprius, diſſolutione, ac diſtillatione Heterogeneas partes in aquis reperies, & quinque Chymiſtarum principia, ſed non æque in omnibus; celebre enim, & antiquum Phyſiologorum effatum eſt ab Ariſtotele, & Theophraſto commemoratum: *Talem eſſe aquam, qualis eſt terra, per quam tranſit*, ut nos etiam ſuperiori articulo innuebamus. Addit rurſum *Plinius*, *quales herbarum, quas lavant, ſucci*. Itaque quælibet peculiaris aqua peculiari obſervatione, aut diſtillatione indiget. Neque aquæ generatim naturam ex anatome unius, vel alterius, aut plurium deprehendere poteris, præſertim ſi vera ſunt, quæ Plinius habet, ut quum ex M. Cicerone prodit in Narnienſi agro ſiccitate lutum fieri, imbre pulverem, & plurima miranda alia, quæ refert circa varietatem colorum, guſtus, effectuumque aquarum. Nonne vides, ut ſingulæ peculiaribus indigent obſervationibus?

V. Petr. Gaſſ. Oper. To. 2. De Globo ipſo Tellur. cap. 7. in fine.

Plin. Hiſtor. Natur. lib. 31. c. 4.

Idem ibidem.



Digitized by Google

V. Non deſunt recentes ſcriptores, qui aquæ beneficam, ac ſalutarem vim illapſui Cœleſtium corporum tribuant, & plura ex Aſtrologorum quiſquiliis repetentes, quando ſalubriter propinanda ſit, indicent; quod equidem ab antiquis medicis hi mutuati eſſe videntur. Hippocrates enim præſcribit: *Sub canis ortum, & ante canis ortum moleſtæ ſunt per medicamenta purgationes*. In venæ quoque ſectione Lunares periodos, quod Luna in humoribus dominetur, attendendas putat; quare Galenus ægros monet, ne ſe committant medicis Cœleſtium revolutionum ignaris. Aſtrologi præterea commenti ſunt, a Saturno in Ariete pectus regi, a Jove ſtomachum, a Marte caput, a Sole femora, a Venere pedes, a Mercurio crura, a Luna genua, aliaſque hujuſmodi gerras; quas excepit Marſilius Ficinus in Apologia ſua, comprobans Aſtrologiam, & medicinam ad Sacerdotes pertinere, qui tamen, lecto Pici Mirandulani libro adverſus Aſtrologos, palinodiam cecinit; quod præſtabunt ceteri omnes, qui eadem præjudicata ſententia tenentur, ſi de Aſtrologiæ vanitate, & ineptia optimos magiſtros conſuluerint, eorumque rationibus animum ſedulo adverterint. Quapropter refert Manardus de Franciſco Bencio, quem ſua ætate in Italia medicorum facile principem dicit, in ipſis Solis, & Lunæ congreſſibus purgationes, & venæ ſectiones imperaſſe, & quum præſtantis viri curationi Bononiæ præeſſet una

Hippocrat. Aphoriſm. 5. ſect. 4.

V. etiam Hippocrat. lib. De Aere, Aqua, & locis. in principio.

Johan. Pic. Mirandulan.

Pater de Angelis Jeſuita.

Petr. Gaſſend.

Geminian. Mont. Aſtrologia convinta di falſo.

P. Pinamont. Le leggi dell' impoſſibile.

Thom. Cornel. aliique.

Manard. lib. 2. Epiſt. 1.

Digitized by Google

una cum Hieronymo Manfredo Aſtrologo ſui temporis famigeratiſſimo, imminente Cœleſtium luminarium coitu, ægroto purgantem medicinam præſcripſiſſe, qua e morbo convaluit, reclamante Aſtrologo, ac mortem ægro minitante; quare ita concludit Manardus: *Recte igitur & ſibi, & ægroto medici conſulent, ſi quoties ſibi vacuandum videtur, lotium magis, quam aſtrum inſpicient, & venarum pulſationem potius, quam ſtellarum obſervabunt configurationem.*

VI. Tandem aquales medici iſti, ut gratiam, & auctoritatem medicamini concilient, non recens eſſe, ſed antiquiſſimum, & ab ipſo Hippocrate Rationalis medicinæ patre quam maxime adhibitum, & commendatum, ut etiam ab Aurelio Cornelio Celſo, a Ruſo Epheſio, a Claudio Galeno, ab Aetio Amideno, ab Alexandro Tralliano, a Paulo Ægimeta, Raſi Avicenna &c. Hujuſmodi ſententiæ eſt recens medicus Lanzani, quem honoris gratia nominatum volo; nihilominus bona pace docti viri, ne a veritate diſſentiam, rem aliter ſe habere fateri cogor, quam ut perſtringam.

Niccolò Lanzani Vero Metodo diſervirſi dell'Acqua fredda lib. 2. cap.25.

VII. Primo monebo apud veteres Hebræos, Græcos, Romanoſque aquam calidam potius, quam frigidam in deliciis habitam, & valetudini tuendæ efficaciorem. De Judæis liquet ex Philone, qui miram Therapeutarum, ſeu contemplantium temperantiam extollens inquit: *Vinum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, ce-*

Phil.Jud.lib.De vita contempl.

*teris frigida : calida vero iis , qui inter ſeniores tractantur delicatius .*

Aquam calidam in delicatiori potu habent Japponenſes , qui , referente nitidiſſimo hiſtorico Societatis Jeſu, uſum vini ignorant, ptiſanarium ex oriza potant, aquamque, ut nos gelidam, illi calefactam æſtate pariter , & hyeme ſorbent .

Maffeus Hiſt.l.12.

De Græcis vero , ac Latinis ſexcenta ferme luculenta teſtimonia prodit eruditiſſimus vir Juſtus Lipſius, perhibetque aquam duplicem in menſæ initio apponendi morem fuiſſe, calidam , & frigidam. Sed hanc noxiam eſſe rebantur, niſi prius decoqueretur, quod ſatis indicari mihi videtur a Plinio docente: *Neronis principis inventum eſt decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contigit ſine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit: item calefactam magis refrigerari ſubtiliſſimo invento*. Sed utraque hæc Plinj animadverſio, decoctam aquam utiliorem eſſe , & potius refrigerari, futilis eſt, & inanis . Quinimmo & quod Neronis inventum dicit, Hippocrates prædocuerat his verbis : *Aquam quum refrigerare volumus, calefacere oportet, ut ei tenuitatem conciliemus .*

Lipſ. lib. 1. elector. cap. 4.

Plin. Natural. Hiſt. lib. 31. c. 3.

Hippocrat. lib. De liquidor. uſu.

VIII. Porro quum uterque aquæ potus calidæ , & frigidæ in more , & in deliciis fuerit penes antiquos ; reliquum eſt , ut videamus ex his quem probent veteres medici , præſertim in febribus . Et quidem Hippocrates in laudato libro

Digitized by Google

bro περὶ ὑγρῶν χρήσιος utriuſque aquæ moleſtias, noxamque recenſet.

IX. Non me latet, libellum hunc Hippocratis mutilum aliquibus, & admodum obſcurum videri, ut potius inter ejuſdem adverſaria, ac tumultuaria annotata, ne memoria exciderent, rejiciendum credant. At vero ex eo plura Galenus, & Erotianus laudant, etſi libelli inſcriptione ſuppreſſa. Utcumque ſit, ex illo eam Hippocratis fuiſſe mentem, elucet, temperandas ſcilicet, & miſcendas eſſe potiones calidas, & frigidas, ut ſanitati conſulamus; quemadmodum, ut ipſe inquit, calidis cibis veſcimur, & frigidas potiones haurimus. Neque audiendi, qui dicunt, ibi Hippocratem non de aquæ potione, ſed de balneis verba facere; ita enim ſe nunquam talem librum legiſſe indicant.

V. in eum librum notas Ann. Focſi.

Allata Hippocratis auctoritas de temperandis, commiſcendiſque frigidis potionibus cum calidis conſonat cum iis, quæ idem Hippocrates alibi habet de ignis, & aquæ, ſeu caloris, & frigoris in corpore humano commiſtione; quæ licet videantur contraria agere, ad idem nihilominus tendunt, quod exponit exemplo lignum ſerra ſecantium: *Lignum homines ſerra ſecant, & hic quidem trahit, alter vero trudit, idem tamen faciunt*. Et fortaſſe hinc Bernardinus Teleſius novi ſyſtematis Philoſophici auctor calorem, & frigus rerum principia facit.

Hippocrat. lib. 1. De victus ratione pag. 343. edit. Francofurt Anno 1624.

Quid, quod idem Hippocrates in acutis morbis,

bis, in quibus recentiores medici aquales largiſſime aquam propinant, interdum vinum album, aut mulſam aquam, quandoque calidam, frigidam interdum præſcribit? *At aqua*, inquiens, *mulſa per totum morbum in acutis epota, iis prorſus, qui bilem amaram coacervant, & quibus viſcera intumeſcunt, minus quam non talibus eſt idonea*. Ptiſanæ quoque potum ibidem commendat ex hordeo factæ, non ex tritico, aut oryza, de qua abunde prius locutus fuerat, & in pleuritide conferentiam exageraverat, de qua integrum volumen ſcripſiſſe teſtatur Plinius his verbis: *Ptiſanæ inde uſus validiſſimus, ſaluberrimuſque tantopere probatur. Unum laudibus ejus volumen dicavit Hippocrates clariſſimus medicinæ ſcientia &c.*

Idem lib. De ration. vict. in morb. acut. pag. 391. & ſeq.

Pag. 385.

V. etiam quæ habet in lib. De Superfœtation. in fin.

Plin. Hiſt. natur. lib. 18. cap. 7.

X. At inquient: eccum tibi Hippocratis apertiſſimum textum: *In febre ardente febris, & ſitis vehemens detinet, lingua aſpera, & nigra ſpiritus ſane caliditate redditur, color aliquantulum biliosus fit, & ſputa biliosa. In ægro partes exteriores frigidæ ſunt, interiora vero admodum calent. Huic refrigerantia & alvo, & exteriore corporis parte admovere convenit, ea cautione adhibita, ut ne inhorreſcat. Potiones quoque, & ſorbitiones crebræ, & paulatim quam frigidiſſimæ exhibendæ, &c.* Hæc Hippocratis auctoritas, quam corruptam nonnulli produnt, vide, num uſui recentiſſimorum medicorum aptari poſſit, qui neque clyſterem ex frigida in alvum infundunt, neque eamdem exterioribus partibus admovent, neque paulatim frigi-

Hippocr. lib. De Affectionib. juxta verſion. Foëſi.

frigidiſſimas potiones propinant, ſed largiſſimas, & creberrimas? & num ad phænomena a Coo præceptore indicata animum advertant? num ſcilicet re vera febris ardens ſit, quam καῦσον Hippocrates appellat: καυσώδη vero Græci communiter, ut Celſus notat. Cornel. Celſ. lib. 2. cap. 8.

Quid, quod Hippocrates vetet gelidas potiones inhorreſcentibus? hi vero Tertianis, & Quartanis algentibus rigeſcentem aquam exhibent. Sed audi Hippocratem alibi frigidæ aquæ prorſus potiones in acutis tantum probantem, in aliis morbis non ita; inquit enim: *Quod frigida ſit, & non cocta, tarde permeat, & neque dejectionem, neque urinas movet. Nonnihil etiam inſuper ob id lædit, quod natura ſtercoris expers ſit. Quod ſi pedibus etiamnum frigentibus aliquando ebibatur, multo majores has noxas faciet: ſiccitas enim, & aquæ frigiditas in cauſſa ſunt, ut vaſa intro rumpantur.* Quod & ego dignovi in amico frigidam nimium adhibente, qui e faucibus, & pectore ſanguinem cum tuſſi expuit, ſed inde ab aquæ gelidæ tantum potione abſtinens convaluit. Hippocr.lib. De Ration. vict. in morb.acut.p. 394. De Aëre,Aquis, & locis

XI. Audivi aliquando, quum ægrotum inviſiſſem diris podagræ cruciatibus vexatum, a medico algentis aquæ potum præſcribi, quod ab Hippocratis aphoriſmis ſe accepiſſe dicebat; in quibus bene perceptis omnes rectæ valetudinis leges contineri putabat Franciſcus Petrarcha. Verum in eo aphoriſmo Hippocrates non de aquæ potu, ſed de ejuſdem effuſione in doloroſam partem, Petrar. Se ben' inteſi fuſſer gli Aforiſmi.

Hippocr. ibidem Aphoriſm. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. tem loquitur, quum paulo ante & calidæ, & frigidæ effuſiones damnaſſet ita, ut difficile aphoriſmos illos conciliaveris, quos abunde redarguit penes Galenum Julianus medicus inter antiquos: inclementioribus vero verbis laceſſit inter recen- Lionard. Cap. nel Parere Ragion. 4. tiſſimos Leonardus Capua.

Nimium porro moroſus evaderem, ſi hæc eadem in Galeno, aliiſque medicis Græcis proſequi vellem, qui parciſſime frigidam, & maxima circumſpectione, & ſagacitate proponendam ægrotis ferunt. Sed inter Latinos Cornelius Celſus, ubi de vehementiſſimis, mediocribus, & imbecilliſſimis cibis, ac potionibus agit, de aqua hæc Celſ. De Medicin. lib. 2. c. 18. habet: *Aqua omnium imbecilliſſima eſt; firmiorque ex frumento potio eſt, quo firmius ſuit ipſum frumentum; firmior ex eo vino, quod bono ſolo, quam quod tenui, &c.* Quis porro crederet ex mente Celſi recte propinari aquam ægrotis viribus deſtitutis, & pene animam agentibus, ut recentes medici iſti aquales conſueverunt, qui cibum quandoque etiam ad novem uſque dies febre laborantibus detrahunt?

XII. Porro non hæc dico, ut quidquam opinioni, & conceptæ ab hoc medicamine ſpei detraham; a quo miras, inopinataſque ſanationes febrium, Dyſenteriarum, convulſionum, aliorumque morborum, aut vidi in iis, quos miſericordiæ gratia inviſeram, aut ab aliis enarratas accepi. Quinimmo quum in tres partes Medicinam diductam eſſe temporibus Pythagoræ, Empedo-

pedoclis, Democriti, hujuſque diſcipuli, ut aliqui putant, Hippocratis, ferat Celſus in præfatione, quæ una, me judice, reliquis ſuis libris præſtat; primam ſcilicet διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν: omnibus tribus proficua aqua comperta eſt; duabus prioribus, ut modo dictum eſt, tertiæ vero; quod tergat ab ulceribus ſaniem infuſa, epota diſſolvendis tumoribus, ut audivi, mirifica. Accepi etiam a doctiſſimo, & morigeratiſſimo Epiſcopo Foucquet, qui in Sinarum miſſionibus diu, & proficue laboravit, in civitate Piquin, in lithoſtrato quodam ſubtili glacie cooperto, lapſum quemdam Sinenſem ita caput ſibi alliſiſſe, ut rupta calvaria cum ingenti ſanguinis effluvio, ſummum animi deliquium paſſus fuerit; aderat forte ibidem Tartarus vir, qui aſtantibus bono animo eſſe juſſit, collectoque glaciei magno fruſto, hoc vulneri victa ſtrictiſſima colligavit, prædixitque ægrum poſt triduum convaliturum, ut re vera exitus præſagium probavit.

XIII. Quinimmo & in Chirurgia frigidam aquam adhibendam monet Celſus, qui in exciſo cancro vulnus eſſe adurendum, monet, quod ſive medicamento, ſive ex ferro cruſtæ occalluerint, longa quiete, & immobili pene corpore opus ſit, donec ex ipſo cruſtæ maturæ leniter reſolvantur: *At ſi vel volens aliquis, vel imprudens, dum ingreditur, immature cruſtas diduxit, & fluit ſanguis, frigida aqua adhibenda* Celſ. De Medicin. lib. 6. c. 18.



Digitized by Google

Q. Seren. Samonic. Medicin. præcept. ſaluberrim.
Gyrald. Hiſt. de Poëtis.
Voſſ. de Poët. Latin.

*eſt*, *&c.* Magis mirum, quod Q. Serenus Samonicus Poëta (de quo vide Lilium Gregorium Gyraldum, & Voſſium) in eo capite, quo de dentium vitio, & oris fœtore diſſerit, habet:

*Sæpe etiam gelida gingivas collue lympha.*

Ubi potius pro *Gelida*, *Egelida* legendum putarem. Quis enim ex Hippocrate, aliiſque omnibus, & multo potius experientia edoctus, ignorat, quantum dentibus inimica ſit aqua gelida? Addam quoque in gratiam eorum, qui aquam potant, & medicorum aquam præſcribentium, quod Lucianus refert in Catalogo μακροβίων, hoc eſt, eorum, qui ad longam ætatem pervenerunt, nempe: *Gentes quoque ætate omnium longiſſima utentes, ex quibus ſunt Seres, ad trecentos annos uſque vivere, memoriæ proditum eſt. Cujus rei cauſſam nonnulli temperato aëri, nonnulli naturæ terræ, alii rationi vivendi aſſignant. Siquidem ajunt omnes illas nationes tantum aquam potare.*

XIV. Verum aquæ gelidæ potiones, ut a recentibus medicis adhibentur, non reſpondere antiquorum medicorum præſcriptui, immo adverſari, pateſeci, primo, ut conſulerem famæ, & opinioni medicorum, qui noſtra, vel noſtrorum patrum memoria claruerunt. Si enim adeo validum aquæ gelidæ pharmacum ab antiquis, ut modo adhibetur, præſcriptum fuiſſet, qui illud præterierunt, vel ignorantiæ, vel immanitatis vitio laboraſſe fatendum erit.

Deinde ut memoriæ revocarem, quod ſcitiſſi-

tiſſime Celſus ex aliorum animadverſione monet: *Differre* ſcilicet *quoque pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia: quod ſi morbos hæ cauſſæ facerent, quæ ubique eædem eſſent, remedia quoque eadem eſſe debuiſſent*. Celſ. in præfation.

Addendum fortaſſe eſſet, neque ubique, neque omni ævo morborum cauſſas eaſdem eſſe. Lepra enim, vel Elephantiaſis, quæ antiquitus frequentiſſime homines inficiebat, noſtra ætate deferbuit; at melancholia, ſive ſtomachi imbecillitas, quam hyppocondriam dicunt, increbuit. De Lichene, ſeu Mentagra Plinius diſſerens idem argumentum abunde proſequitur. Plin. Natur. Hiſt. lib. 26. cap. 1.

XV. Rurſus Botanicam, & Chymicam callentes norunt, olera, plantas, & mineralia, e quibus medicamina componuntur, non ubique ejuſdem eſſe energiæ, & naturæ. Sic aquæ recens medicamen adeo celebratum non ubique ejuſdem naturæ, ut diximus. Quapropter, quidquid in cauſſa ſit, non adeo felices Romæ, ubi hæc ſcribo, ex aqua curationum exitus audio, ut dudum Neapoli.

XVI. Sed poſtquam ad aquæ naturam perventum eſt, de ea non omiſerim annectere, quod Celſus habet: *Aqua leviſſima pluviatilis eſt, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, poſt hæc ex nive, aut glacie; gravior his ex lacu, graviſſima ex palude. Facilis etiam, & neceſſaria cognitio eſt naturam ejus requirentibus: nam levis pondere* Celſ. lib. 2. c. 18. circa finem.

*apparet ; & ex his , quæ pondere pares ſunt , eo melior quæque eſt , quo celerius & caleſit , & frigeſcit ; quoque celerius ex ea legumina percoquuntur .*

V. Caſaubon. in Athenæum animadverſ. lib. 2. cap. 7.

Hippocr. lib. De Aëre, Aqua, & locis, & in Aphor.

Hæc ex Hippocrate Celſus mutuatus eſt ; concinunt Vitruvius lib. 7. c. 2. Palladius De Re Ruſtica lib. 17. Columella lib. 1. c. 5. Paulus Egineta lib. 1. c. 1., quibus aſtipulatur inter recentiores Ludovicus Nonnius medicus Antuerpien. Diæteticon lib. 4. c. 2. eruditus ſane vir, ſed craſſæ Minervæ phyſicus, cui, miror potius, quei fiat , ut tam ſtudioſe in hac ſententia adhæreat Lanzanus noſter, ab optimo olim medico Agnello de Neapoli ad phyſicas res inſtitutus , minime rationibus cum antiquorum , tum recentiorum medicorum , ac Philoſoporum perpenſis . Hanc ſiquidem ab antiquis quæſtionem excitatam fuiſſe prolixe refert Plinius, cujus verba aliqua heic annectere non pigebit , e quibus ſuboleciſſe colligitur antiquorum aliquos , glaciem quacumque fluente aqua, cui ſupernatat, leviorem eſſe , ac proinde aquam eſſe non ſtipatam , & condenſatam, ſed potius rarefactam , & dilatatam , etſi quieſcentem , atque inertem , ut poſt Galileum experimentales Philoſophi omnes fatentur . Inquit igitur Plinius: *Quæritur inter medicos, cujus generis aquæ ſint utiliſſimæ ; ſtagnantes , pigraſque merito damnant , utiliores , quæ profluunt , exiſtimantes ; curſu enim , percuſſuque ipſo extenuari , atque proficere, eoque miror ciſternarum ab aliquibus maxime probari . Sed hi rationem afferunt ; quoniam leviſſima ſit*

Niccolò Lanzani Vero metodo dell'Acqua fredda lib. 1. cap. 7. pag. 138.

Plin. lib. 31. ubi De aquis abunde cap. 3.

Indicatur Antiquiſſima diſceptatio de præſtantia, & differentia Aquarum inter ſe.

*ſit imbrium aqua, ut quæ ſubire potuerit, ac pendere in aëre. Ideo & nives præferunt imbribus, nivibuſque etiam glaciem, velut ad infinitum coacta ſubtilitate. Leviora enim hæc eſſe, & glaciem multo leviorem aqua.* Hęc quum ex aliis attuliſſet Plinius improbare pergit: *In primis enim levitas illa,* inquit, *deprehendi aliter quam ſenſu vix poteſt, nullo pene momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus. Nec levitatis in pluvia argumentum eſt ſubiſſe eam in Cœlum; quum etiam lapides ſubire appareat, cadenſque inficiatur halitu terræ. Quo fit, ut pluviæ aquæ ſordium ineſſe plurimum ſentiatur, citiſſimeque ideo calefiat aqua pluvia.* His, pluribuſque aliis improbat Plinius aquarum fluvialium potiones. In quibus ſane partim fallitur, ut quum ad eluendum argumentum levitatis aquarum in aërem conſcendentium memorat graves lapides eo quoque ſubeuntes. Vapores enim attenuatæ aquæ ideo conſcendunt, quia ſubtiliores, tenuiores, & leviores moleculis aëris. At vero lapides, & gravia alia corpora typhonibus, & aëris vorticibus ſurſum impelluntur, ut etiam naves in mari. Rectius adverſus pluviales aquas ediſſerens argumentum conflaſſet, dicens, aquas pluviales leviſſime quidem in vapores conſcendere, ſed, ubi ad frigidam regionem pervenerint, concreſcunt in nubes, vel nebulas, quas ex particulis niveis confici Charteſiani Philoſophi autumant. V. Rohault. in Phyſic. part. 3. c. 12. art. 2.

XVII. Sed neque eidem Celſo facile conceden-

cedendum videtur, Aquam Fontanam fluviali præferendam, ſi Plinium audiamus ferentem: *Parthorum Reges ex Coaſpe, & Euleo tantum bibunt*; quorum amnium aquas ſaluberrimas putant. Ex Gange itidem adeo exquiſitas perhibent aquas, ut nedum corporum vitia, ſed animarum tergere putent.

Plin. loc. cit. vide etiam quæ ibi, & ſequentib. c. 4. 5. & 6. proſequitur. V. Relazioni del Butero dell' Aſia tit. Bengala, & Aracam.

Rurſus neque in hac re cum Hippocrate convenire videtur Celſus; licet enim ille pluvias aquas *optimas eſſe, rationi conſentaneum ducat*: nihilominus ſubdit: *Ut tamen excoquantur, & excolentur, opus habent; ſin minus odorem pravum habent, & bibentibus raucitatem, & vocis gravitatem adeſſe, æquum eſt*.

Hippocrat. lib. De Aëre, Aquis, & locis.

Exiſtimavit enim fortaſſe Cous medicinæ magiſter coctione ſulphureos, alioſque bituminoſos halitus evaneſcere: quod non æque omnibus evenire poſſe, contendunt Chymiſtæ. In colo etiam partes craſſiores nivis facile deponi exiſtimabant antiqui; quare nivaria cola parabant inter vaſa Romani, de quibus mentio apud Jureconſultum.

L. In Argento. ff. De Auro, & Argento legato. Martial. lib. 14. epig. 164.

XVIII. Proſequitur paulo poſt idem auctor damnare aquam ex diſſoluta nive, aut glacie his verbis: *Pravæ vero omnes, quæ ex nive, aut glacie fiunt; ubi enim ſemel concreverint, non amplius ad priſtinam naturam redeunt; ſed quod in his quidem eſt ſplendidum, & leve, & dulce, excernitur, & evaneſcit, remanet vero quod turbidiſſimum, & ponderoſiſſimum*. Quis vero hæc Hippocrati aſſen-

ſentietur? quum nix, & glacies manifeſtiſſime fluida quacumque aqua leviores ſint, in qua proinde, ut diximus, innatant. Quod & memoratus Plinius jam deprehenderat. Vel quis autopſiæ adverſabitur, ut Hippocrati concedat omnem aquam, quæ ex ſoluta nive, aut glacie elicitur, turbidiſſimam, & ponderoſiſſimam eſſe, etiam poſtquam terrenæ fæces, ſordeſque ſubſederint? Aut quis ſanus Philoſophus Hippocratis ratiocinationem experimento probaverit, quod aqua ideo frigore concreta decreſcat, dum calore liquefit; quia ex eadem congelatione, quod erat leviſſimum, & tenuiſſimum evanuerit; qui ignarus non ſit recentiorum experimentorum, ſcilicet aquam ipſa concretione dilatari, & liquefactione decreſcere? Hippocr. ibidem. V. l'Accademia del Cimento.

XIX. Rurſus neque univerſe probandum videtur, quod communiſſime aſſerunt, aquas eo ſalubriores, quo leviores; quæ enim competenti nitro miſtæ ſunt, aliquantulum ponderoſiores, ſed citius minguntur.

Illud tandem in Plinio improbandum, ſolo ſenſu, ſeu guſtu levitatem aquarum deprehendi poſſe, *nullo momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus*; quo Plinius Archimedis libros *de Inſidentibus humido* ne e limine quidem ſalutaſſe videtur, e quibus nonnihil haurire haud incongruum erit.

ARTI-

## ARTICULUS II.

*Traditur methodus deprehendendi pondo aquarum inter ſe differentiam.*

I. UT hoc negotium recte abſolvatur, memoriæ revocandum dogma illud mirabilis Archimedis: *Solidarum magnitudinum quæcumque levior humido fuerit, demiſſa in humidum non demergetur tota, ſed aliqua pars ipſius ex humidi ſuperficie extabit.*

Archimed. De Inſidentib. humid. lib. 1. prop. 4.

Heic de ſolida magnitudine leviori in ſpecie, non abſolute intelligit, prout antecedenti propoſitione expoſuerat: hoc eſt, ſi ſumatur moles aquæ æqualis moli ſolidi, quod in aquam injicitur, illa iſto gravior eſt.

II. Demonſtratio hujus propoſitionis, ut & omnes duorum librorum de Inſidentibus humido quum deſiderentur, eam ſic communiſſime ſupplebant: Ut ſolidum peſſum deſcendat, debet detrudere, & elevare aquam ſuæ merſioni æqualem, quæ nunquam præſtare poterit, niſi detruſa, vel elevata aqua ponderoſius ſit, ut in libra, ubi ſi utrique lanci appendantur ejuſdem materiei moles pares, vel diverſarum æque oneroſæ fiet æquilibrium; ſi pondus vero alterutri majus, ibi deſcenſus.

Galil. Diſcorſo intorno le coſe, che ſtanno ſu l'acqua.

III. Huic, quæ videbatur expeditiſſima demonſtratio, adverſatus eſt acutiſſimus Galileus his

his verbis: *Tuttavia il negotio procede altramente; e benche le concluſioni ſien vere, le cagioni però aſſegnate così ſon difettoſe; ne è vero che il ſolido nel ſommergerſi ſollevi, e ſcacci mole d' acqua eguale alla ſua propria ſommerſa. Anzi l' acqua ſollevata è ſempre meno, che la parte del ſolido, ch' è ſommerſa: e tanto più, quanto il vaſo, nel quale ſi contien l' acqua, è più ſtretto.*

Hæc verba quum legiſſet vir non indoctus, ſed rerum mathematicarum haud ſatis peritus infremere mihi viſus eſt in Galileum, in quem quaſi in Philoſophiæ everſorem ſic clamitabat: Ecquis adeo excors, ut ignoret, ſolidum quodpiam, dum in aqua mergitur, eaque circumſcribitur, parem ſibi in ea locum occupare, & proinde tantum, quantum ipſum eſt, aquæ propellere? Cui ut rem craſſa Minerva enuclearem, & Galilei mentem aperirem, Cedo mihi, ſodes, ajo: Arbor teres, & oblonga mihi ferenda eſt, proceritatem habens ſex pedum, rotunditatem ſeſquipedalem; hujus altitudinis intendo tertiam partem ſubtus terram figere, quam late, & alte ſcrobs fodiendus? Facito, reſpondet illico; foveam Cylindricam, cujus ſemipes ſit diameter, axis vero, ſeu altitudo bipedalis. Optime tum ego: ſed quæro rurſus, ſi effoſſam terram aliô non diſperdam, ſed circum conſitam plantam immittam, nonne ea plus tertia parte in terra deliteſcet? Ita ſane reſpondit, & eo magis, quo plus effoſſam terram circum aggerabis. Cur au-

Excitatur difficultas contra Galilei Doctrinâ De Inſidentibus Aquæ

L tem,

tem, ſubdo, non ita de aqua cum Galileo ratiocinaris? Nonne ſolidi pars, poſtquam ſub prima aquæ planitie, ſeu libella conjicitur, aliquid aquæ elevat, quæ ſolidum ipſum circumambit, & eo magis, quo anguſtius eſt vas aquarium? igitur ſemper ſolidi major pars mergitur, ſeu aqua circumdatur, quam ſit aqua ab eodem elevata.

At, reſpondit ille, in vaſto Oceano ingentia navigia, & claſſes integræ non raro demerguntur, quum ne vel latum unguem ipſum mare aſſurgat, ergo non vera generatim eſt Galilei propoſitio: *L' acqua ſollevata è ſempre minore &c.*

IV. Tum ego: Ita ſane, ſi ad ſenſuum tribunal vadimonium ſiſtas, aliter vero, ſi ad rationis forum provocaveris: a qua edoceberis, plura ſimul corpora in eodem loco naturaliter conſiſtere nequire, ac penetrari, ut proinde nedum immenſæ claſſes, ſed ne exiliſſima corporis fruſta mergi poſſint, quin æqualem aquæ molem detrudant, & mare ipſum aliquantum increſcat, augeaturque inſenſibiliter quidem ob immanem proportionem ejuſdem ſuperficiei ad ſuperficiem corporis demerſi, juxta quam petenda elevatio.

V. ipſum Galil., & Des Chales in Hydroſtat. prop. 3

V. Vah, inquit tunc ille, adverſantia loqueris tu, qui modo dicebas aquam elevatam corpore immerſo ſemper minorem eſſe, modo autem æqualem facis. Tum ego: Bona verba quæſo. Non ego æqualem aquæ depulſionem nego, ſed æquam corporis immerſionem cum aquæ elevatione; corpus enim merſum ſub priore li-

bel-

bella circumdatur ab aqua uſque ad priorem libellam, & ab aqua ſupra illam detruſa, & elevata, quod exemplo plantatæ arboris pateſaciebam. Ceterum corpus merſum expellere aquæ molem ſibi æqualem, & ſenſibus manifeſte patet; ab anguſto enim vaſe ſi extrahas ſolidum demerſum, illico eô refluet aqua, & juxta priorem libellam conſiſtet. Quod rurſus ſine experimento, mathematico facili negotio demonſtravero, hoc evidentiſſimo tantum poſito principio.

*Axioma*: Locus, & locatum corpus æqualia inter ſe ſunt, immo fortaſſe idem, & ſola ratione diſtinctæ res.

*Demonſtr.* Aquæ moles detruſa a ſolido ſupra primam libellam æqualis eſt loco, quem antea tenebat. Eidem loco æqualis eſt pars ſolidi infra eamdem libellam demerſi. Porro quæ eidem æqualia, & inter ſe æqualia; ergo pars corporis immerſa ſubtus primam libellam æqualis erit aquæ ſupra eamdem libellam expulſæ.

Demonſtratio cõtra verba illa Galilei; *Ne è vero, che il ſolido nel ſommergerſi ſollevi, e ſcacci mole d'acqua eguale alla ſua propria ſommerſa, &c.*

VI. Atqui hæc non expreſſerat Galileus, reponit adverſarius, in recitatis verbis, qui immerſionem, & aquæ elevationem confundit; quum illa hac ſemper major, & aliquando dupla eſſe poterit, & amplius; dicendumque erat: pars aquæ elevatæ ſemper æqualis eſt parti ſolidi, quod ſubit primam aquæ libellam. Immo & ſequentibus rem denſioribus tenebris offundere ipſe Galileus videtur: *Di modo che non repugna, che un ſolido poſſa ſommergerſi tutto ſotto acqua, ſenza*

 *pure*

*pure alzarne tanta, che in mole pareggi la decima, o venteſima parte della mole ſua*. Nonne hoc paradoxum, immo falſum, ſi verum eſt quod aſtruis corpus ejicere molem aquæ ſibi parilem?

Pejus quod ſubdit: *Siccome all' incontro picoliſſima quantità d' acqua potrà ſollevare una grandiſſima mole ſolida, ancorche tal ſolido peſaſſe aſſolutamente cento, e più volte di eſſa acqua; tutta volta che la materia di tal ſolido ſia in iſpecie men grave dell' acqua*: Nonne hoc quaqua evidenter falſum, & deſtruens, quod ſuperiori membro ejuſdem periodi aſſeruerat?

Quinimmo reſpondeo, omnia cohærentia, & vera, ſi recte perpendantur, quæ etſi obſcura nonnihil videantur, in decurſu diſſertationis optime patefiunt. Quis enim dubitaverit exiliſſimam aquam poſſe corpus multo ſe grandius circumambire? ubi enim hoc ſit illa in ſpecie ponderoſius, atque immittatur in anguſtum vas, quod aquam mole minorem contineat: nonne aqua ſubſiliet pulſa a corpore grandiore, & ponderoſiore? quæ quidem aqua per vaſis latera, veluti per rimas attenuata exiliet, & veluti tenuis bractea ſolidum ipſum multo ſe majus circumdabit; quemadmodum exili tela videmus magnas vectorias ſtrues, mercesque involvi, atque obduci. Hoc igitur modo aqua expulſa non majorem locum occupabit, etſi majorem extenſionem acquiret.

VII, Quod vero mirabare dictum in ſecunda

cunda parte periodi Galileanæ, parvam aquam poſſe ſubſtinere, & elevare molem ſe abſolute ponderoſiorem, atque grandiorem, nihil priori periodo adverſatur, in qua verba erant de ſolido in ſpecie ponderoſiore; heic vero in ſpecie leviore: neque nova doctrina mathematicis eſt, ubi de Mechanica agunt, neque ignota præbet. Parva enim aqua in anguſto vivario magnam trabem vel elevabit, vel ſubſtinebit, & in arctiſſimo portu ingentem navim ſe majorem, & ponderoſiorem, ob majus, quo hæc pollet, ut Archimedes dicit, *momentum*. Dum enim trabs, vel navis ſenſim deſcenderet, multo celerius aqua conſcendere, & longe majorem motum abſolvere cogeretur. Aquæ igitur majus momentum æquipondium eſt cum ſolido, quod vehit: eodem prorſus modo, quo in ſtatera Romana compacta jugo inæqualium brachiorum, minus pondus longiori brachio appenſum ſubſtinet majus pondus e brachio breviore dependens, & eo magis, quo longius ab axe ſtateræ minus pondus removeatur. Nempe quia remotius majus momentum acquirit, & dum magnam arcus portionem abſolvit, exiguam peragit pondus e brachio breviore, atque hæc eſt generatim ratio levandi, vel imminuendi pondera *Vecte*, *axe in Peritrochio*, *Polyſpaſto*, *Cochlea &c.* ut norunt Mechanices magiſtri.

Archimed. De Moment. æqual. Def. 8. juxta traductionem Maurolyci.

V. præ aliis Johan. Vall. In Mechanic.

VIII. His breviter libatis, ſatis intelligitur, cur exiliſſimus plumbi globulus præceps aquæ

aquæ fundum petat; tot vero ingentes plumbeæ ſphæræ, vel ferreæ, totque ænea bellica tormenta, quibus naves onerantur, ſupernatent; globulus enim ferreus, vel plumbeus, ad inferius ruendum neceſſe eſt, ut ſupra primam aquæ planitiem, vel libellam elevet molem aquæ ſibi æqualem, quæ aquæ portio longe levior eſt. Ut vero navis onuſta ferro, aut plumbo demergatur, opus eſt, ut ſupra libellam ſubrigat molem aquæ ſuæ amplitudini, quanta quanta eſt, æqualem, quæ quidem ſatis ponderoſior eſt. Idem dicito de æneo, vel plumbeo, aut ferreo vacuo vaſe ſupernatante, cujus quodlibet ſecluſum parvum fruſtum citiſſime mergitur. Idemque de merſis cadaveribus, quæ poſt aliquod tempus, quum ſcilicet viſcera putrefacta fuerint, & unumquodque eorum in ſpecie aqua levius evaſerit, fluctuant, ſupernatantque.

IX. Intelliges etiam, deceptum Plinium, quum dixit, momentum aquarum, ac pondus non poſſe inter ſe diſtingui; licet enim difficile trutina id aſſequaris: experimento tamen, & Mathematica ratiocinatione conjicies, aquas inter ſe pondere diſtare, animadvertens onerarias naves altius ſubſtineri in ſalo, quam in fluviis, ubi quandoque pondere levandæ ſunt.

X. Senties tandem, qua ratione inſtrumenta parari poſſint ad diſcernendum aquarum pondus. Si enim vas aquarium patulo nimis ore habeas, in quo aquam uſque ad ſtatam, ac deſignatam libel-

libellam infundas: atque in eo parallelepipedum ligneum innans conjicias, quum id aliquantulum demergetur, annotes in vaſe, quantum aqua conſcenderit, vel in ipſo parallelepipedo pluribus punctis, ſeu gradibus inſcripto, quota pars demergatur; deinde, ſublata priore aqua, aliam a diverſo fonte, aut puteo, aut fluvio hauſtam infuderis, quæ altius conſcendet, vel quæ profundius lignum exhauriet, ea levior, vel minus ponderoſa erit; & rei demonſtrationem ex dictis elicies.

Sed quoniam lignum poris abundans, & bibulum rem incommode exhibebit, ſatius erit ſubtile vaſculum adhibere, ex auro, argento, aut ære conflatum, pluribus gradibus pariter inſtructum, quod aquæ perpendiculariter inſiſtat. Si enim vacuum erit, non penitus mergetur, ſed tantam aquæ partem ſupra primam libellam extollet, quanta pondus totius vaſis adæquet.

XI. Porro ſi vas iſtud profundius aliquando mergetur, & aqua altius elevabitur, ex iis, quæ diximus, aquam leviorem eſſe judicabis.

Hujus Phænomeni Phyſicam cauſſam aperire ſatagit recens Philoſophus; quia ſcilicet aqua quô impurior, ait, eô ponderoſior; quumque heterogeneis terreſtribus particulis commiſta eſt, glutinoſior evadit, minuſque ſinum innantibus corporibus aperit. * Captioſa ſane ratio. Quum enim hydrometrum, aliudque ſupernatans corpus ſemel aquam ſindere cœpit, cur eamdem actio-

Lanzan. loc. cit.

* Ita paralogizat Nevuton, aliique. Neque objicies cum Nevu-

nem

toniánis metalla ab aqua forti diſſoluta ſupernatare; licet graviora in ſpecie; nam metallicæ illæ diſſolutæ moleculæ in ſpecie leviores ſunt exiliſſimis moleculis aqueis.

nem ſenſim non proſequitur uſquequo in alveo innitatur, ſed poſt aliquantam merſionem ſubſidet? Præterea ſolidum in ſpecie levius aqua vi in alveum detruſum, cur ibi non quieſcit, ſed aſſurgit tanto velocius, *quanto*, ut Archimedes inquit, *humidum magnitudine æquale gravius eſt ipſa magnitudine*? nonne trabi e gurgite reſilienti, quo tenacius gluten, adeoque ponderoſius, aqua magis reſiſteret? illam tamen potius ſurſum velocius impelli cernimus.

Archim. ibidem prop. 6.

Non igitur ad aquæ craſſitiem, & gluten res referenda, ſed ad pondus, quod vim centripetam aliqui dicunt, & ad Hydroſtaticas leges a Geometria petitas, quam qui ignorabat, a Platonis ſchola ejiciebatur.

Neuton. V. Vall. alioſque in Hydroſtat.

XII. Commodius Hydrometrum aptarunt alii ex fiſtula vitrea non quidem ſolida, ſed interius vacua ita, ut in ſpecie levior ſit aqua: quam ita accommodant, ut aquæ perpendiculariter inſiſtat, atque in ea plures gradus ad deſignandam immerſionem inſcribunt.

Lanzan. ibidem §. da queſta ingegnoſa eſperienza.

Sed oſcitanter eo inſtrumento utuntur ii, qui in inæqualibus vaſculis diverſas aquas injiciunt; oportet enim, ut obſervatio aberrationis ſit exors, vel diverſas aquas in eodem vaſe, & ad eamdem altitudinem ſucceſſive fundere, vel in vaſis ſimilibus, & æqualibus; ſi ea pendas, quæ cum Galileo notavimus, ſcilicet in anguſtiori vaſe, ut in parvo ſimpuvio aquam pluſquam in patulo mazonomo ab uno, eodemque immiſſo ſolido diverſimode elevari. XIII.

Digitized by Google

**XIII.** Aptiſſimum proinde Hydrometrum parabit fiſtula vitrea non ſolida, ſed aëre plena, cujus utrumque orificium hermetice obſeratum ſit, ſi hanc in aqua ſternes inſtar trabeculæ innantis, eique plures exiliſſimæ armillæ vitreæ appendantur; aqua enim, quæ plures numero ſubſtinet, ponderoſior, quæ minores, levior; quod inſtrumentum ſive in trulla, ſive in vivario, vel in lacu adhibeas, aeque tibi aquarum inæquale pondus fideliter patefaciet. V. Sturmium.

XIV. Hoc interdum uſi fuimus ad Surrentinarum aquarum varium inter ſe pondus dignoſcendum. Inter eas, quas indigenæ maxime ſalutares habent, vix ullum ponderis diſcrimen deprehendere datum eſt; minus aliquanto levem eſſe aquam prope pagum Surrenti, *Lavatorium* dictum, & quæ ſcatet in uno ex Surrentinis litoribus, quod *Caſſanum* dicitur, ab Hydrometro indicatum eſt: leviſſimas, quæ ex pagi *Arboris* fonte ſcaturiunt ad hyemalem Occidentem ſpectante. Itaque fallax Hippocratis regula, leviores latices manare e fontibus ad Orientem verſis. Leviſſimam etiam, quæ ex pago *ſancti Auguſtini* abunde exilit.

XV. Verum aquam, quæ ex Gaurano monte in Surrentinas ciſternas qua fictilibus tubis, qua aperto Euripo corrivatur, aliquanto aliis prædictis ponderoſiorem invenimus. Eam olim ſaniſſimam præ ceteris fuiſſe narrant decrepiti indigenæ ſenes: ſed, poſtquam ab externo alveo



Digitized by Google

nova aquarum acceſſio facta fuit, antiqua præſtantia cecidiſſe.

Eæ aquæ, dum a curſu quieſcunt, ſalinos lapides in ciſternarum parietibus defixos relinquunt ſpeciem Ammoniaci factitj ſalis referentes, (quod enim foſſile ex Africanis arenis, a quibus nomen accepit; ἄμμος enim Græce arena Latine dicitur, nullum ad nos defertur, ut notat doctus Chymiſta Gallus Nicolaus Lemery) idque poſtquam concrevit, dureſcit, quemadmodum ſal

Plin. Hiſt. Natur. lib. 31. cap. 7. v. 43.

illud, de quo Plinius: *Africa circa Uticam conſtruit Acervos ſalis ad collium ſpeciem, qui ubi Sole, Lunaque induruere, nullo humore liqueſcunt, vixque etiam ferro cæduntur.*

V. Columell. De Re Ruſtic. lib. 1. cap. 1. 5.

De hiſce aquis fortaſſe locutus eſt Columella, quum Cornelj Celſi ſui coævi, aut paulo ſuperioris ſententiam excipiens, primum locum aquæ pluviæ facit, proximum vero fluenti aquæ e montibus oriundæ, quæ per ſaxa præceps devolvitur: *ut eſt*, inquit, *in Guaræno Campaniæ*: ubi pro Guaræno Gaurano omnino ſubſtituendum puto, qui mons eſt, ut diximus, primus, & celſiſſimus in promontorio Surrentino; & ut aquas fontanas pluvialibus merito jure præfecimus, ita has Gauranas pluribus aliis Surrentinis poſthabendas experimento didicimus.

Giannettaſ. In Æſtatib. Surrent.

XVI. Illam etiam aquam, quam in vaſtam ciſternam colligunt Patres Societatis Jeſu in amœniſſimo eorum clauſtro *Cocumella* nuncupato, poëtica, & oratoria arte, qua egregie pollebat,

lebat, evehit Pater Nicolaus Gjannettaſius eo potiſſimum argumento, quod Adianti plurimum alat, cui tamen experimentales Phyſici non acquieſcent, qui non raro Callitricho obductas aquas maleſanas comperiunt.

XVII. Sed ne longius de Aquis ſermonem protrahamus, hoc tantum iterum monitum volumus, non ex ſola aquæ levitate ejuſdem ſalubritatem arguendam. Si enim levitati in potionibus ſtudendum eſſet, præſtaret vinum bibere, quod in ſpecie ipſa aqua multo levius eſt: vel eas potare aquas, quas vini inſtar inebriare ex *Eudoxo*, & *Theopompo* Plinius refert. Ebrietas vero quam noxia ſit virtuti, & ſanæ valetudini hominum, quantumque ſobrietas proſit, nedum ex Chriſtianis Theologis, moralibuſque Philoſophis, ſed ex uno memorato Plinio ſatis addiſcere quiſque poterit.

Itaque qui unius aquæ frigidæ ope gliſcentes febres remitti putant, acidos ſales, venenoſoſque dilui, ſanguinis diſſolvi grumos, animales ſpiritus blande per nervos permeare, infirmam valetudinem inſtaurari, vitamque longius produci, Surrentinas potent cryſtallinis poculis aquas; nos autem, qui ad majorem Dei gloriam inde diſceſſimus, ob eamdem, ſi opus fuerit, pauperes, ac Virgil. Eclog. I.

......... *Sitientes ibimus Afros*.

# CAPUT IV.

## *De Surrentini Promontorj Fertilitate, & primum de Gemmulis Surrentinis.*

Ricciol. Geograph., & Hydrograph. lib. 5.
Varen. Geograph. general. l. 1. cap. 4.
Anton. De Monforte in Opuſcul. De Sider. intervall., ac magnitudinib.

I. POſtquam improbo labore Græci, Arabes, Latinique recentiores Mathematici deſudarunt in Terræ menſura, ſive Geodæſia adipiſcenda, (quorum hiſtoriam attexere docti viri non omiſerunt, quibus accenſendus noſter Academicus Monfortius, qui novam terræ dimetiendæ Methodum ſe detexiſſe teſtatur.) Horum plerique conſentiunt, Terræ Diametrum paulo plus ſeptem millium milliariorum longitudinem excedere, quorum vix unum milliare ab effoſſoribus pervaſum creditur; quocirca rectiſſime Seneca tamquam fabuloſam carpit Aſclepiodori narrationem, qua refert: *demiſſos a Philippo* ſcilicet Macedone *in metallum antiquum olim deſtitutum, ut explorarent, quæ ubertas ejus eſſet, qui ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus avaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraturo dies: deinde longa via fatigatos vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares noſtris, nec compreſſos quidem terra ſupereminente, ſed liberæ laxitatis, non ſine horrore viſos*. Similia ſunt hæc phantaſmatibus illis, quæ noſtri Poëtæ commenti ſunt, Fracaſtorius ſcilicet in Syphilida, Ludovicus Arioſtus, Taſſus, Marinus, aliique paſſim.

Senec. l. 5. Natural. quæſt. c. 15.

Unius

Unius milliaris igitur altitudinis circiter ſpatio terra cruſta, ſive mavis dicere, molli veſte circumtegitur, quæ ex heterogeneis partibus compacta eſt, Arena, Sabulo, Argilla, Mineralibus, Creta, Cinabrio, ochra, Terra Lammia, Samnia, Lamia, Duris Lapidibus, Cautibus, Molaribus, Marmoribus, Metallis: potiſſima vero interior pars, ex ſolido magnete juxta ſententiam Guilielmi Gilberti, quam Galileus plurimis conjecturis firmare nititur. Quæ quidem ſententia indiſcriminatim prolata Chriſtianos Theologos jure merito morari poſſet, qui in ſacrarum ſcripturarum diſciplinis verſati circa Terræ centrum tres, vel quatuor concavos ſinus dignoſcunt, infimum, ubi ad torquendos damnatos perpetuus alitur ignis, & inſtar vallis filiorum Ennon Gehenna Hebraice in Evangelio nuncupatur: alium ſuperiorem purgandis reorum criminibus per debitas pœnas deſtinatum; quæ loca Socrates ipſe inter Ethnicos ab Hebraicis fortaſſe ſcholis edoctus dignovit: In Tertio ſinu carcerem figunt antiquorum Patrum, & puerorum deceſſorum ante uſum rationis cum ſola culpa originali, & inter Chriſtianos ſine Baptiſmo; licet de his aliter ſentiat Sanctus Auguſtinus, aliique ex priſcis Patribus. Itaque facere Terram integre ſolidam, res eſt aleæ plena, & a communi ſacrorum Doctorum ſenſu nonnihil aliena.

Gilbert. in Phyſic. de Magnet. Galil. Dialog. 3. del ſiſtema.

Apud Platon. in Phædon.

V. Bellarmin. Controver. tom. 1. De Purgat. lib. 2. cap. 6., & ſeq. & tom. 1. lib. 4. c. 12. & 13. alioſque paſſim.

II. Hæc ipſamet ſententia a Philoſophorum cœtu communiſſime reſpuitur, præcipue a Char-

Charteſianis, qui, quum velint Terrenum vorticem circa Solarem volutari, ſecumque Terram rapere, conſequenter juxta ſua principia, (quibus minime adhæreo) centrales Terræ particulas ſolutas eſſe, & verſus ſuperficiem perpetua volutatione propelli, putant, atomorum ramenta illa, quæ particulas primi ſui elementi appellat Des-Chartes, atque has (ingenioſa quidem commenta Mechanica, utinam vera) in mediam Terræ regionem impingentes partim per poros extra ſolidam Terræ partem in fluidum aërem exilire ſtatuit: alias impingere in duriorem terrenæ regionis materiam, ibique in fluidos ſuccos converti, qui erumpentes in extimam Terræ portionem, ibi vi etiam caloris Solis molles Terræ partes coagulant, gignuntque Sales varios, Sulphur, Mercurium, quæ tria rerum principia Chymiſtæ faciunt. Ubi vero in ſolidiores Terræ partes offendunt, ibi Cryſtallum, Adamantem, gemmaſque alias ſucci illi coagulant, quas Solis vi progigni putant ex Charteſianis aliqui.

V. Rohaul. Phyſic. p. 3. c. 1. n. 3.

Renat. Des-Chart. Princip. Philoſ. p. 4. §. 70.

Rohault. loc. cit. cap. 7.

Verum etſi caloris vi lapides concreſcere poſſe fulminis experimento animadvertit Des-Chartes, quod interdum in lapidem duriſſimum omnia obvia rumpentem converti, compertum eſt recentiori experimento auri fulminantis, ut dicitur, vel pulveris tonantis; nihilominus ex Plinio, aliiſque habemus Cryſtallum, & adamantes ex liquida materia vi frigoris concreſcere.

Des-Chart. Meteor. c. 7. §. 10.

Plin. lib. 37. cap. 2., & cap. 4.

Gaſſen. Syntag. Philoſ. p. 2. ſect. 3. lib. 3. cap. 2.

III. Præterea quærit Gaſſendus, num lapides

pides ſobolis propagandæ vi polleant? Et quidem Theophraſtus aliquos lapides parere voluit; quocirca Plinius ſcriptum reliquit: *Theophraſtus, & Mutianus eſſe aliquos lapides, qui pariunt, credunt*. Additque Franciſcus Rueus matronam quamdam Luxemburgenſem duos ſervaſſe hæreditarios adamantes, qui ſtatis temporibus congenerem ſibi prolem emitterent. Quæ quidem fabuloſa exiſtimo, ut & cetera, quæ hic auctor habet de generatione lapidum a ſideribus: licet in fodinis ſuccos quoſdam aptam terram in gemmas congelantes, & compingentes eſſe, non inficias iverim.

Theophraſt. lib. de Lapidib.

Plin. lib. 39. cap. 18. in princ.

Franciſc. Rueus De Gemmar. ort.

Lapidibus etiam vegetationem aliqui tribuunt, ut Georgius Baglivus in Romana Academia celeberrimus.

Bagliv. De Lapid. vegetation.

Neque vero tractu temporis gemmas has in terra enatas putarim; ſed initio a ſummo conditore fodinas metallorum cum foſſilibus hiſce gemmis creatas ex Geneſis auctoritate colligo, ubi de Phiſone fluvio e terreſtri Paradiſo erumpente dicitur: *Ipſe eſt, qui circuit omnem terram Hevilat, ubi naſcitur aurum, & terræ illius optimum, ubi invenitur Bdillium, & lapis Onychinus*.

Geneſ. cap. 2. v. 12.

IV. Sed qui de pretioſis lapillis ediſſerunt (ediſſerunt vero non pauci, inter quos non prætereundus Sanctus Epiphanius Salamine in Cypro Archiepiſcopus, qui hanc ipſam materiam attigit integro libro ad Diodorum Epiſcopum dato: *De duodecim gemmis in veſte Aaronis*, quem

Plin. Natur. Hiſt. lib. 7.
Alber. Magn. De Ort., & cauſſ. ſubter.
Georg. Agricol.
Magn.
Levin. Lemn.
Boët. De. Lapidib.

Ulyſſ. Aldrovand. Cordat. in lib. De Subtilitat.
Franciſ. Rueus De Gemm.
Conrad. Geſner. De Rer. foſſil. lapid. & Gemmar. lib.
Marin. Merſenn. in Geneſ. ad c. 2. verſ. 12. p. 14.
Beccan. in Hiloſcop.
Athan. Kircher. in Mund. ſubterr.
Joh. Qnirin. De Foſſilib.
Bagliv. de lapid. vegetation.
Cabeus, & Alii quamplures.
V. Filipp. Buonān. Ricreatione degli occhj, e della mēte, delle Oſſervazioni delle Chiocciole.

quem Conradus Geſnerus primum Græce, & Latine typis evulgavit; quemque genuinum puto, etſi ſpurium credat Guilielmus Cave) plerique e fodinis animalium cornua, dentes, & oſſa ubertim effoſſa fuiſſe tradunt; quæ Gigantum lipſana incaute nonnulli crediderunt, quos merito redarguit P. Athanaſius Kircher in Mundo ſubterraneo, aliique; non enim vera oſſa, denteſque ſunt, ſed lapides ita figurati, quemadmodum præcipites fluviorum aquæ, ut Anienis, bellariis ſimillimos gignunt lapides. Nec non montium cacumina exeſos lapides marina teſtacea effingentes parturiunt. Quæ tamen e ſalo in cataclyſmo prodita, ac generalis Diluvj veſtigia eſſe contra Sancti Auguſtini, ac rectam ratiocinationem nonnulli, etſi cordati viri, putant; quo potius ducimur ad credendum Aquaticum viventium genus non periiſſe, teſtaſque omnes, ac marinas conchas, arenis, ſcopulis, duriſſimiſque ſaxis, obruentibus terram aquis, tenacius adhæſiſſe. Sed & in mari plura lapideſcere, ut coralium, & pſeudocoralium, compertum eſt, quæ lithophyta proinde vocant, ut Botanici Zoophyta plantas animales. In nidis aquilarum ubertim gemmas inventas tradit Geſnerus; fortaſſe, ut mihi facile perſuadeo, quod volucrum genus anguloſos lapillos avidiſſime diglutiat ad conterenda in ventriculo interius duriori membrana veſtito cibaria.

Conrad. Geſner. De Rer. foſſibil. lapid., & Gemmar. lib. c. 11.

In viſceribus quoque animantium concre-
ſcere

ſcere notiſſimum eſt; non ſolum in renibus, & veſica, ſed in corde bovis pretioſum lapidem adinventum fuiſſe tradunt Ulyſſes Aldrovandus, atque Geſnerus.

His addam, quod habetur de *Glandula Pineali*, quam cerebri potiſſimam partem facit Des-Chartes: hanc enim lapidis duritiem contraxiſſe in homine adhuc vivente, & ſentiente diligens, ſed jactabundus Anatomiſta comperit.

V. Mirum quot, & quantas aniles fabulas produnt ſuperſtitioſi quidam, vel veteratores augures, qui ſtrias, lineaſque diverſas, verrucas, maculaſque in gemmis rimantur, e quibus felicia prædicere, aut noxia portendere conſueverunt; quotque virtutes illis plerumque falſas, deceptores, vel decepti quidam medici tribuant; quamque ſumtuoſas medicinas, ac pharmaca ex iis Pharmacopolæ miſceant, temperentque, ut plurimum inutilia; quemadmodum rectiſſime anonymus Gallus artis medicæ optime gnarus patefecit, qui potiora medicamenta nullo, vel parciſſimo ſumtu comparanda pauperes docuit. Le Medicin Des pauvres.

VI. His de gemmis opportune libatis, ad eas, quæ in Surrentino ſolo ubertim olim, rarius modo effodiuntur, veniamus. Eæ non ex pellucidarum, & rutilantium genere ſunt, ſed velut *Turcheſiæ* obſcuræ plerumque, atque opacæ, ac diſcolores; rubræ etiam aliquæ, cœruleæ aliæ, virides, flavæ, fuſcæ, quibus nobiles virgines, matronæque auro vermiculato opere

conglutinatis, torques, monilia, armillas, anulos, aliaque muliebria ornamenta ſibi olim comparabant. Porro vir, qui illarum plurimas coacervaverat, quum eas mihi oſtendiſſet, curioſe item ex me ſcitatus eſt, quid ſentirem, num a loci natura productas, aut artefactas, aut aliunde ab antiquis illuc delatas ſub vetuſtorum ædificiorum ruinis daretur invenire; ipſe enim putabat, naturaliter editas eſſe, ex eo præcipue motus, quod in ardentes fornaces dejectæ nec liqueſcant, nec ductiles evadant; quod ad naturam lapidum, eorumque definitionem univerſe facere Phyſici plerique fatentur.

Quam tamen conjecturam infirmam, inanemque eſſe monebam. Comminuti enim ſilices cum cineribus plantæ *Kali* admiſti, in vitrum vehementi igne converſi liqueſcunt; ut contra cineres ſalibus ſcatentes dureſcunt; liquida etiam vehementi calore lapideſcere, cum Charteſio ante meminimus. Certius argumentum dignoſcendi adulteratas gemmas eſt lima, quam non capiunt naturales, atque ſinceræ, ut Rueus, & alii Gemmarii docent.

V. Rueum De Gemm. lib. 2. c. 7. Vetcher. alioſque.

VII. Memoratos igitur Surrentinos lapillulos non foſſiles a naturali ſolo productos, ſed artefactos, pondere, & lima a peritis depreheñſum eſt; quorum major copia intra antiqua ſumtuoſa rudera inventa; encauſta etiam, vitraque miris rutilantia coloribus effoſſa; dumque ibidem Eccleſiam regerem, fonticulus in antiquis

Digitized by Google

tiquis ruinis talibus lapillis, encauſtiſque mirifice ornatus, repertus eſt. Illos eadem arte commiſtos puto, qua maſſæ diſcolores noſtra ætate conficiuntur ad Muſivas imagines effingendas.

# CAPUT V.

## *De Oræ Surrentini Promontorj, quam mare diſtinet, fœcunditate.*

I. AGe modo poſtquam e cæcis Surrenti fodinis ad luminis auras egreſſi ſumus non continuo Promontorj ardua conſcendamus ſed quas mare alluit amœniſſimas oras, ac litora, proximoſque ſcopulos herbis, muſcoque veſtitos luſtremus. Heic opportune mihi in memoriam redit dies illa, qua, dum Sirius Cœlo arderet, ut nunc, quum Romæ hæc ſcriptito, prædicatione, aliiſque Epiſcopalibus curis fatigatus ad animi remiſſionem una cum tribus gravibus ſacerdotibus A. B. C. levem cymbam conſcendi, quam lente remiges agitabant, paſſimque umbroſas cryptas illas ſub rupibus nulla artis, ſola naturæ ope frequentibus æſtuantis maris ictibus excifas ſubibamus, quas diſertiſſimus Pater Nicolaus Giannettaſius affluenti ſtylo lectoribus deſcripſit, vel potius ob oculos poſuit. Tum conchas varie configuratas colligebamus, quemadmodum Scipio, & Lælius ad Cajetam, & Lucrinum, teſte Tullio, animi gratia conſueverant.

Giannettaſ. in Æſtat. Surrent.

Cic. lib. 2. de Oratore.

II. Tunc A. unus e ſodalibus inquit: Optarem, ut aliqua ex hiſce turbinatis conchis *Nautilum* indicaret, quem perbelle deſcriptum lego apud nuperum ſcriptorem Societatis Jeſu, e qua familia qui prodeunt libri, ceteris omnibus antepono. At, reſumſit ſodalis alter B. non inter conchas mihi videtur Piſcis hic recenſeri a Plinio, cujus, ſi recte memini, hæc ſunt verba: *Inter præcipua autem miracula eſt qui vocatur Nautilus, ab aliis Pampilus. Supinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut miſſa omni per fiſtulam aqua velut exoneratus ſentina facile naviget: poſtea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in aura, ceteris ſubremigans brachiis, media cauda ut gubernaculo ſe regit; ita vadit alto liburnicarum ludens imagine, & ſiquid pavoris interveniat, hauſta ſe mergens aqua*. Nautilus igitur cauda pollens, ſeu Pampilus non inter teſtacea, Conchaſque recenſendus, ſed, ut idem Plinius paulo ante notaverat, inter Thynnorum aſſeclas, ſequaceſque, vel potius in Polyporum numero reponendus, ut Ariſtoteles Hiſtoria Animalium, & Athenæus Dymnoſoph. lib. 7.: item Ælianus, & Oppianus ἁλιευτικῶν poëmate, qui hæc a Plinio mutuari videntur.

Plin. lib. 9. c. 29. ieſin.

Nautilus piſcis cujus generis?

Idem ibidem c. 15.

III. Tum ego: De Piſce hoc apud omnes de conſtructione navium ediſſerentes plurima mentio eſt; a quo navigiorum ideam primo homines accepiſſe putant. De eodem fuſe ego in meis

meis lectionibus nauticis recitatis in Academia Ducis Methymnæ Cetiæ diſſerui. Quod vero ad intellectum laudatæ Plinianæ auctoritatis facit, ſi recte memini, is ſermonem inſtituens de piſcibus ſine ſanguine in tria partitur genera; imprimis in ea, quæ mollia appellantur: deinde in contecta cruſtis tenuioribus: poſtremo in teſtis veſtita duris. Aggreditur capite ſequenti genus, ſub quo Loligines primo comprehendit ſagittarum in modum ſupra aquas volitantes, quas ſæpe inter navigandum penes hæc litora offendimus; deinde Sepias atramento mare offuſcantes, ut piſcatorum fuſcinas deflectant; tertio Polypos, quorum multa mira narrat. Hos in plura genera, ſeu ſpecies, ut Dialectici noſtri dicerent, diſpeſcit; inter quæ ultimum, & omnium mirabiliſſimum Nautilorum, quos conchæ, ſeu molli cruſtæ annexos eſſe alibi declarat dicens: Navigant ex his *Veneriæ, præbenteſque concavam ſui partem, & auræ opponentes per ſumma æquorum velificant*. Itaque non incongrue P. Bonannus inter conchas nautilos reponit; quinimmo nudius tertius Fori noſtri phylaciſta viſendum exibuit Polypum a benevolo piſcatore ſibi dono datum e tenui concha exilientem, quæ navis puppim referebat, cujuſmodi P. Bonannus figuram excudi curavit. Nautili, ut ceteri Polypi duo habent brachia acetabulis tamen, ſive caliculis carentia, habent & caudam biſulcatam, quam peculiariter ad coitum, & pro temone inter natandum, ut ceteri piſces, immo, & volu-

V. Lazar. Bayſ. De Re Naval. & Lil. Greg. Gyrad. De Navig. c. 5. Plin. lib. cap. 28.

Idem cap. 29.

Idem ibidem cap. 33. in fine.

Bonann. delle Chiocciole coll. 1. p. 4. fig. 13.

volucres adhibent; prout optimus Mathematicus Johannes Baptiſta Borellus demoſtravit.

Sed præ omnium nautilorum conchis ea admirabilitatem movet, de qua Mariſotus: *Nautilorum conchas plures vidi, una ceteris commendatior extat in pinotheca amici mei Soiroti Divione. Pedalis latitudo conchæ, profunditas digitorum ſex. Levitas interna, externaque mirabilis, & par coruſcantibus margaritarum conchis. Prora, puppiſque in ea altiore tabulato, quam medium cataſtroma. In prora exiguum foramen, ceu recipiendo malo. Latius aliud in medio conchæ, præcipui mali locus. Ibi concha ſubrogata in ſulcos videtur tranſtra referre, in quibus remiges ſedent. Adeo illa certis ordinibus ad proram, puppimque porriguntur. Inter quæ crediderim viſos nautilos, & brachia, ceu remos agitare, & membranas exercere, atque extendere veluti vela. Alveus pro ſaburra, piſcis excrementis impeditur, vixque tribus aquæ cyathis exiccatus impletur.*

Claud. Moriſot. in orbe Maritimo lib. 2. cap. 47.

At vero tertius ex noſtro ſodalitio C. jucundior, & feſtivior, nunquam fabellis iſtis meipſum ludificabor, inquit, ego, qui adeo miris rebus, etiam ſi videro, numquam fidem habebo; arrident ſatius mihi tot in Plinio illuſiones detectæ, quas Italicus recens ſcriptor congeſſit. Et quæ adverſus antiquos hiſtoricos pudenda mendacia crimini dantur præcipue Herodoto, quem Italicorum princeps Lyricus

.... *Di Greca iſtoria padre*

Lionardo di Capua nel Parere.

Langoletto Farfalloni di Farfalloni.

Petrar.

nun-

nuncupavit, hoc eſt fabuloſæ, ut merito exponit Mazzonius.. Et in re noſtra, nonne fabuloſa, quæ de unionum generatione a concha Cœleſti rore impleta Plinius habet? vel quæ de Echeneide, ſeu Remora?

Mazzoni Difeſa di Dante.

IV. At ego: In hiſtoria naturali plura Plinium fabuloſa congeſſiſſe haud dubium, quod fidem ſuam Relatoribus promptiorem, quam par erat, expoſitamque præbuerit. Verum non omnia prorſus rejicienda. Quid tu diceres de iis, quæ narrantur de Draconibus Aſacharum Aſachæorum Æthiopum, eos ſcilicet, qui maximi ſunt in maritimis eorum, quaternos, quinoſque inter ſe cratium modo implexos, & erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi per medios fluctus? Diſpeream, C. reſpondit, ſi unquam animum inducam, ut credam hæc poëtica phantaſmata ab auctoribus invecta, ut lectorum animos in admirationem alliciant. Si ideo fidem addere renuis, inquio, quod mira iſta ſint, longe mirabiliorem magneticam, & ſuccini vim, attractivam negabis, & hirundinum, aliarumque volucrum ingenia in nidificatione, aliaque multa de Lithophytis, aut Plantis Zoophytis, vel non aliter fructum gerentibus, niſi maris, & feminæ conjunctione, aut quæ de Bombyce, & ſimilibus in dies obſervamus.

Dracones navigantes.

V. Gyraldum De Navigiis.

V. Dum dulcibus hiſce colloquiis frueremur, phaſelo ad ſcopulum prope pagum Surrentinum, qui Meta nuncupatur, pervenimus; quum

quum omne ſcopulus, decreſcentibus aquis, mare evomuiſſet; in eum deſcendimus, ubi inclinatus ego, ſiccum ibi tophum exiliſſimis foraminibus veluti terebratum intueor; quumque in eum intentius oculos defixiſſem, quid ſolerti animo contemplaris, Præſul? ait unus e nautis, ſub foraminibus illis marini Dactyli deliteſcunt, qui fructus Palmæ terreſtris figuram imitantur, & ceteras marinas conchas ſapore ſuaviſſimo vincunt, ſtatimque pluribus exciſo in locis ſcopulo Dactylum unum, quod rariſſimi ſint, adinvenit, atque extraxit. Gaudebam ego tum, quod cibum nunquam antea deguſtatum libare poſſem, & multo magis, quod in memoriam occurrerant Plinj verba illa: *Concharum in genere ſunt Dactyli ab humanorum unguium ſimilitudine appellati*. His natura „ in tenebris remoto lumine alio fulgore clare- „ re, ac quanto magis humorem habeant, luce- „ re in ore mandentium, lucere in manibus, at- „ que etiam in ſolo, atque veſte, decidentibus „ guttis, ut procul dubio pateat ſucci illam na- „ turam eſſe, quam miremur etiam in corpore. Etſi non adeo rarum lucis phænomenum hoc, quin aliis etiam rebus conveniat; idem enim præſtant in tenebris Felis oculi, Noctilucæ, Cicindelæ, Cantharides, putreſcentia Defunctorum oſſa. Obſervavi aliquando exciſum arboris truncum, corruptumque leguminis omphacium noctu argenteo lumine micuiſſe; quod lucis æthereos globulos hæc non implicent, ita ratiocinarentur Charteſiani,

Dactyli Marini rari in Surrentin. Scopulis.

Plin. lib. 9. c. 61. De Dactylis.

Marinorum Dactylorum fulgor.

teſiani, ſed celerrime, vel recta urgeant, impellantque, vel cogant reflecti ita, ut aſpicientium retinam comprimant, ob quam compreſſionem lumen videmus, ut & ii, quibus pugno, vel ſimili vi oculus contunditur. Tunc ſodalis noſter A. Bunanaj ſtudioſus: Siquid eſt in me ingenj, quod ſentio quam ſit exiguum, ait, in naturam horum fructuum marinorum ſæpiſſime contemplandam contuli, ex quibus mihi viſus ſum deprehendiſſe, non omnia animantia ex ovo, ut celeberrimus Franciſcus Redius poſt Johannem Olivam acerrime contendit, verumque eſſe Ariſtotelis effatum, quædam animantia vivipera, alia ovipera, alia ſponte naturæ enaſci. Nonne marini hi Dactyli in genere animalium licet imperfectorum reponendi, quos in ſcopulis ipſis ſponte enaſci quis dubitet?

VI. Dubito ego, reſpondit B. ſi enim ſponte ſua in ſaxis enaſcerentur, ad quid foramina hæc pertuſa? ad attrahendum fortaſſe exinde elaſticum aërem? At vero viventia hæc ſine craſſiore aëre vitam, motumque indepta, cur ſine eo vitam protrahere nequibunt? nonne cordatius erit putare, foris Dactylos iſtos ab ovis excluſos, denticulis poſtea fores haſce ſibi aperuiſſe, & petroſa extruxiſſe domicilia ad habitandum? Vah, reponit A. adeo duri dentes molliuſculis iſtis piſciculis, ut lapides corrodere valeant, quos vix ferri acumine arietaveris? Nihil id mirum, reſumit ille; inſectum vidi, quod viſcoſum

Dactyli num ex ovo excludantur.

O ſcoſum

ſcoſum potius humorem, vel mobile Gummi primo intuitu referebat, navium ſolida tabulata terebraſſe, & apud tuum Patrem Bonanni legi *De Bolanis* piſciculis, qui tenerrimi quum ſint, ſaxoſas ſibi cavernas ad ſtabulandum effodiunt, alioſque plurimos vermes arida quoque ſaxa arrodere; quapropter in me cupido inceſſit hæc numerandi, annotandique quæ de eorum ortu, & progreſſu comperero.

Bonan. par. I. c. 5.

Immenſum opus aggrederis, tunc ego, quod nec nudis oculis, neque microſcopio adjutis multiplex Phyſicorum ſocietas longos poſt annos expleverit. In unius enim arenæ granulo irregularis figuræ, & velut in monticulum acuminato hujuſmodi inſtrumenti ope foramen inſpectum eſt, e quo inſectum prodibat, lente in cacumen conſcendens, ubi veluti ad auras apricabatur, deinde antiquam repetebat domum. In omnibus elementis nedum animalia ineſſe compertum eſt, verum etiam in ipſorum animantium liquoribus, ſanguine, lacte, lympha vermiculos, in carnibus ipſis, & inter ungulas, in plantis, in arboribus, Gallis, Bullis, oleribus vivere experimentalibus Phyſicis exploratum eſt. Nullibi autem legi, quod obſervavi in fœniculorum vacuis caulibus, exile ſcilicet foramen, diſſectoque caule intra ejuſdem inane e foraminis regione ovum inveni, e quo vermiculus excludebatur, quod ab alio vermine ibidem procreatum fuiſſe arguo, qui in chryſallidem primo, deinde in papilionem con-

Ohochius in micrographia.

Obſervatio auctoris de ovo in fœniculorum caulibus.

converſus pertuſo fœniculo inſtar bombycum ſericorum evolaverit; de quorum ingenio, ac mirabili opere etſi egregium poëma conſcriptum ſit: non tamen bombycum ſericorum peculiare eſt, quod illis tribuitur; ſimilia etenim naturæ myſteria ſpectabam aliquando in Corylorum convolutis quibuſdam foliis, ubi perſimiles bombyces aſcondebantur.

Hjeronymus Vida De Bombyce.

VII. Verum ne a conchis marinis digrediamur, & ab iis teſtaceis, quæ inter ſcopuloſa ſaxa deliteſcunt, putas ne ita pauca, & ea ſola genera eſſe, quæ ad ſcriptorum notitiam pervenerunt? Ego ſane multo majora credo argumento ductus lumbricorum, qui in arida tellure abſconduntur. Num vero hæ omnes ſpecies principio a Deo creatæ fuerint, non auſim definire. Quod ſi exiles aliquas e tellure vel marinis arenis ſponte prodiiſſe decernas, nihil vetabit aſtruere nova in dies progigni poſſe. Ita de Anguillis ſtatuebat elegantiſſimus ſcriptor hoc ductus argumento, quod in nonnullis fæculentis ſtagnis aqua omnino exhauſta, & limo detracto Anguillæ denuo generentur, ubi aqua acceſſerit pluvia. At ego: Ita pariter Ranas ex pluviis guttis, & pulvere generari putabant olim craſſiores rerum obſervatores, quas ex ovis recentiores excludi, pluvia deſcendente, animadverterunt. Illud autem aſſerere non verebor, inter conchas e figurarum, colorumque varietate non illico diverſas naturas, progenieſque arguendas;

Jo:Bruyerin.Campegius De Re Cibaria lib. 18. c. 4.

O 2 venuſte

Plin. lib. 9. c. 33. venuſte enim Plinius Conchas eſſe dixit : *in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, Lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, levibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato: jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim diviſa, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, denſata, porrecta, ſinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis.*

VIII. Tantam porro figurarum in teſtaceis, colorumque varietatem, quantam hæ noſtræ rupes, & ſcopuli complectuntur, ſpecificam, ut Dialectici dicunt, diverſitatem in illis minime indicare puto; eam omnem aliqui in tres ſpecies ſecernunt, *univalvorum* ſcilicet, *bivalvorum*, & *turbinatorum*. Neque Plinj ſententiæ adhæreo cochleas ejuſdem naturæ facientis cum Cancris, atque Paguris, Echinis, ac Echinometris, & multo minus, quum aquatiles cochleas communis generis exiſtimat cum terreſtribus ſe domo exerentibus, quas *Limaces* peculiari nomine appellamus. Natura quoque, ac generatione diſcriminandas arbitror a Locuſtis, Elephantibuſque, quibus capiendis a noſtris piſcatoribus naſſas cum eſca paratas paſſim nacti ſumus.

V. Martinum Liſter. De Chocleis. Plin. lib. 9. c. 31. & 32.

Non vero diverſas genere ab his noſtris Purpuras, Indicaſque Conchas uniones generan-

rantes, quas marinas divitias idem auctor appellat, ſabuloſam earum generationem recenſens. Idem ibidē c.33. 34. & 35.

Divitias maris, inquit tunc B. unus e ſodalibus, qui longum, mœſtumque ſilentium veluti contemplans tenuerat, multi e barbaris has noſtras Cochleas dicerent, qui eas loco auri, argenti, ac cuſi æris impendunt.

IX. Verum quidni maris divitias mullos dicemus, non quidem Lutarios, qui viliſſimi habentur, ſed qui alga veſcuntur, & oſtreis, aliorumque piſcium carne, barbaque gemina inſigniuntur inferiore labro, quorum copioſa in hiſce ſcopulis fætura, quum Aſinius Celer e Conſularibus, hoc piſce prodigus, Claudio Principe, unum mercatus ſit octo millibus nummûm? Mulli piſces ſelectiſſimi. Plin.lib.9. c.17

Octuaginta fortaſſe libras pendebat Mullus hic, ait B., tanto pretio emtus, & ſimilis illi, quem Licinius Mutianus, teſte eodem Plinio, in mari rubro captum fuiſſe prodit. At vero tantæ magnitudinis Mulli minus jucunde ſapiunt: quatuor librarum non raro ad hujus Promontorj oram capti; ſed tantæ magnitudinis nedum minus etiam gratus ſapor, ſed mali ſucci habentur piſces a Celſo, qui *in nimiam magnitudinem exceſſerunt*. Plin.ibidem c.17. V. Cornel.Celſ. De Medic. lib. 2. cap.21.

X. Quod, ſi ita res eſt, ſaporum differentiam non a victu tantum piſces mutuantur, ut elegantiſſimus De Re Cibaria ſcriptor ſtatuebat, qui piſces alios carnivoros facit, alios alga, & cœno, & conchis victitantes, alios lentore quodam Jo.Bruyerin.Campegius De Re cibar. l. 18. c. 5.

dam

dam ſuo depaſtos, nonnullos etiam eſſe, qui ſuum genus, hoc eſt, alter alterum edat; quinimmo ſi ad noſtra hæc litora unquam auctor hic conveniſſet, longe aliter ediſſeruiſſet de hoc negotio. Piſces enim ſunt, quos Boopas Græco vocabulo nuncupamus, quod Βοὸς ὀφθαλμοὺς ἔχουσι, ut recte Ariſtophanes Byzantinus contendebat contra eos, qui a voce bovina nomen deductum putabant; numquam enim boare hunc piſcem audivi; & Sardæ quoque levidenſe piſcium genus Autumni tempore jucundiſſime ſapiunt; quod caſtaneis a carduis excluſis, atque in mare a ſuperioribus caſtanetis torrentium vi abreptis avidiſſime veſcantur; quo cibo pingueſcunt, & gratiſſime ſapiunt, ut proinde *Boopas, & Sardas caſtaneas*, vulgo, *Vope, e Sarde caſtagnare* nuncupemus, & pro ſelectiſſimis piſcibus in menſis tunc temporis apponimus. Ficus enim, & omnigena ferme poma appetentiſſime piſces comeſſe vidi; quinimmo & braſſicas, olera, panem, & fercula, pulmentaria ferme omnia, quæ a navigantibus in mare dejiciuntur, vel ab incolis harum domorum, quæ rupibus Surrentinis, & mari imminent, poſtquam menſas removent, & in mare lintea excutiunt; immo & quæ a Cœnobitis hiſce etiam in locis habitantibus affluentia jura, & juſcula e cacabis in mare projiciuntur, atque ita lautiſſimam vitam viventes, eludendis piſcatorum decipulis, potiſſimum Sargi unice ſtudent; quemadmodum non longe a Surrento, teſte Plinio: *In Stabiano Cam-*

Athenæus Dipnoſoph. lib. 7.

Plin. lib. 32. c. 1.

*Campaniæ ad Herculis petram Melanuri in mare abjectum panem rapiunt, iidemque ad nullum cibum, in quo hamus ſit, accedunt.*

Sed cerne, ad me converſus ſubdit, Præſul, ubi phaſelus ille nutans ſubſidit; ibi cavus ſcopulus latet verno tempore muſco, & alga, ac tanta nigrarum mænarum copia refertus, ut adjacens mare impleant. Retibus circumjactis Piſcatores verſus nativum ſcopulum reducunt, quo quum pervenerint, retia, ne in rubum, aut ſaxum implexa lacerentur, ſublime magna vi ſubrigunt, & naviculas id genus piſcium onuſtas ad litus vehunt, quos viliſſimo pretio vendunt, etſi alia tempeſtate ſicci, & inſipidi, tunc tamen craſſeſcunt, & ſapiunt, divina providentia factum diceres, ut commodius Surrentini ſolennem abſtinentiam cuſtodiant. Sua cuique rei tempeſtas data eſt: nec æque ſemper ne ipſi quidem plani piſces, qui pro ſpina cartilaginem habent, Rajæ, Paſtinacæ, Squatinæ, Torpedines, Lamiæ, Aquilæ, Ranæ ſapiunt. V. Plinium l. 9. c. 24.

XI. Tu rem cibariam nimium callere videris, tunc ego; at ipſe, nunquid & hoc mihi vitio vertes? reſumit. Tuus Pater Giannettaſius, qui improbo labore tot poëmata, orationeſque compoſuit, & modo hiſtoriam Neapolitanam exarat, &, quod longe laudabilius, aſſiduis pietatis operibus navat, prædicationi, confeſſionibus fidelium excipiendis, aliiſque, nonne ſelectiſſimum Leucophagium, odora lagana, laudatiſſimas buc-

ceas

ceas condit, tibique interdum dono mittit? In uno quoque PP. Jeſuitarum opuſculo de Cathedris in univerſitatibus ſtudiorum literariorum inſtituendis una de Re Cibaria, ac Culinaria pomeridiana hora præſcribitur. Tu igitur, inquit, prius eorum egregia opera, & Patris Giannettasj ſacros labores addiſce, tum Eutrapeliæ virtute animum demitte: interim ſiquid aliud habes de piſcibus ad hanc plagam confluentibus, proſequere.

Bruyer. l. 18. c. 5.

XII. Habeo præſertim contra Bruyerinum, qui Hiatulam, Thynnos, Murænas, Lupos, Dentices, Amias, Orphos, Mullos, Capitones carnibus unice victitari putat, quos ego etiam carnibus cum marinis herbis, & terreſtribus fructibus promiſcue depaſci comperi, quibus ad hanc plagam Pelagii Ceti, immaneſque maris Belluæ quoque irretiuntur; elapſo anno monſtrum horrendum, immane, ingens his pabulis allectum nimis ad actam acceſſit, ac refluente mari in arenam impegit, piſcatorumque multa præda remanſit.

Ariſt. Hiſtor. Animal.
V. Campeg. l. 18. cap. 1.
De Oppiano V. Franciſc. Patrizo poëtic. Decad. Hiſtorial., & Gerard. Voſſ. De poër. Græc.
S. Hieronym. in Ezechiel. c. 4.
Plin. l. 32. c. 11.

Quo nomine appellatus Cetus ille, rogat A.? ignotum reſpondit B. Neque enim piſcium omnium enumerata genera puto ab ipſo quidem Ariſtotele, qui de illis, opitulante Alexandro Magno, omnium Græcorum primus copioſiſſime ſcripſit. Sanctus Hieronymus ex Oppiano celeberrimo Ciliciæ poëta 153. genera diſtinguit. Plinius vero 156. licet libro 9. non plura quam

79. ſe-

79. fecerit. Verum idem Plinius plura ab Ovidio nomina poſita fatetur, quæ apud neminem alium reperiuntur; quod fortaſſe in Ponto naſcantur, ubi Halieuticon volumen ſupremis ſuis temporibus inchoavit. Vitulum marinum aliqui credebant. Sed longe aliter illum exhibet Plinius. Plin. lib. 9. c. 13.

Balæna fortaſſe Bellua ea fuit, ait A., cujuſmodi in hoc Crateris mare interdum ex Oceano penetrarunt. Deo gratias, quod nullum Jonam deglutiverit. Neque Balæna, reponit B., tam prope hæc litora accedere potuiſſet, neque Balæna Prophetam illæſum abſorbere, ut Aldrovandus, & Rondeletius arguebant, quod anguſto ſit gutture. Piſtrin potius cum Gaſſendo putarim, de qua & pluries Plinius.

V. Cornel. a Lapid. in Jonam c. 2. Petr. Gaſſend. Phyſic. ſect. 3. l. 1. cap. 3. Plin. l. 9. c. 14.

XIII. Præcipua magnitudine inventos fuiſſe Thynnos fert Plinius. Hyeme degunt in Oceano, ubi aquæ egelidæ, ut putat Pater Fournier; ſed vere novo redeunte ad fretum Gaditanum accedentes, circa æquinoctium vernum in Mediterraneum noſtrum ingrediuntur non ſingillatim, neque gregatim, ſed in aciem plerumque octoni, vel ſenideni, vel duodeviceni inſtructi uno veluti duce præeunte inſtar Gruum: ita Mediterranei percurrunt oras herboſa pabula carpentes uſque ad Pontum Euxinum, ubi, teſte Plinio, nec alibi fœtificant. Cordilla appellatur partus, qui fœtas redeuntes Autumno comitatur. Limoſæ vero a luto Pelamydes incipiunt vocari, &, quum annuum exceſſere tempus, Thynni.

P. Jo. Fournier Hydrograph. l. 4. cap. 29.

P At

At A. Meras fabulas his Plinius comminiſcitur, quibus plurimi piſcatores decepti logos funditant, ſed fortaſſe excuſandus Plinius, quod hæc ab Ariſtotele lib. 6. Hiſt. Animal. mutuatus ſit: Ariſtotelem vero purgare minus feliciter ſtudet Rondeletius.

V. Ulyſſ. Aldrovand. De Piſcib.

Pelamydes ſiquidem verno quoque æquinoctio apparent, quæ ovaria geſtant, & fœtificant, & proinde aliud prorſus piſcium genus a Thynnis eſt. Speciei ſimilitudine fortaſſe hallucinati, quæ diximus commenti ſunt auctores, ſed perſimiles quoque Scombri, quorum femellæ ovarium, mares ſaccum lactarium geſtant, illæ pariunt, hi lactant, lac in mare paſſim fundentes, quod fœtus avidius ſorbent. Lactaria hæc in ſartagine fricta oleo, & ſale, ac pipere condita quam jucundiſſima in menſis ſunt; nec ſapidior cibus, me judice, apponi poteſt, niſi forte ſapore vincantur a lactariis piſcium, quos gladios, & Xiphias dicunt ab enſe, quem in rictu gerunt. Is piſcis omni ex parte ſapit; non ita Thynni, de quibus Plinius: *Hi membratim cæſi, cervice, & abdomine commendantur*. Sed callidi piſcatores gurgulionem, ſeu epiglottidem detruncant, ſibique ſervant, vel carius edonibus venditant, *muſillos* a figura barbare appellant. Hæc pars ſapidiſſima; quod fibras carneas macras cum adipoſis alternatim habeat; ſuaviſſimus eſt cibus, ſtomachum tamen aliquanto abundius aſſumtus lædit; quod piſcibus omnibus commune ita, ut mirer eo-

V. Plin. lib. 32. cap. 2., & cap. 11. Idem lib. 9. c. 15.

rum

rum plures maxime noxios a Celſo ad victum commendari, & grandes Cetos pro valentiſſimis cibis haberi. Celſus tamen refutatur a L. Nonnio.

Corn. Celſ. Medicin. lib.2.c.18.

Nonn. de Re Cibar. lib.3. c.13.

XIV. Verum piſcium omnium ſaluberrimum, & ſapidiſſimum puto eum, quem Surrentini *Ricciolam* vulgo appellant, & ſæpe ſæpius in Thynnorum retia hac in plaga incidit.

Hunc putat P. Giannettaſius delicium noſtrum, Glaucum eſſe, de quo fabulati ſunt antiqui in piſcem ex egregio natante fuiſſe converſum; firmaturque ſciti recentis medici auctoritate * ſcribentis, Glaucum in abdomine album, in dorſo cyaneum colorem induere, ut prorſus noſtra *Ricciola*. Laudatiſſimum hunc piſcem, & ſapidiſſimum omnium, quot quot guſtarunt, fatentur, &, quod rariſſimum prædicant, nihil olidi viri emittit, quo ceteri piſces omnes comedentium manus, ſcutellas, menſas, triclinia ipſa inficiunt. Hoc genus piſcium Surrenti laudatiſſimum omnium, qui alibi capiuntur, ex antiquiſſimo Q. Ennio poëta didicimus ſcribente:

Giannett. in Halieutic.

* Johannes Jonſt. Hiſt. naturali De Piſcibus l.1. tit.1. art. 5. Vide De Glauco fuſe diſſerentem Ulyſſem Aldrovand. lib.3. De Piſcib. Glauciſcū quoque appellat Plinius l.33. cap. 11.

*Surrenti ſas emas Glaucum Cumas apud*.

At ubi, ego inquio, Ennj hic aptiſſimus locus? In Fragmentis Fageticorum, reponit A., ſeu Phageſiorum, ut placet Hieronymo Columnæ Ennj egregio enarratori, quo nomine ethnici Romani appellabant *Feſta* illa, in quibus epulis, potuque profuſa hilaritate explebantur.

Verum B. interrumpens colloquium no-

ſtrum, hunc Ennj verſum, ait, diverſimode a Criticis legi memini; nam aliquibus lectio hæc probatur:

*Surrenti Helopem ſac emas, Glaucum apud Cumas.*

Scaligero vero, quem Columna recipit:

*Surrenti Lopadas, Glaucum Cumas apud.*

At ego: prima lectio potius mihi arridet; nam de Helope Ovidius in Halieutico:

*Et pretioſus Helops noſtris incognitus oris.*

Lopades vero inter ſapidiſſimas Conchas recenſet Paraſitus medicus apud Plautum.

*Adducite Lopades, Echinos, Oſtreas.*

Quod teſtaceorum genus non ita præcellens; quare prima lectio potius retinenda.

Itaque, proſequitur B., & Glaucus Ricciola eſt, & inter piſces propter pinguia Surrentinorum ſcopulorum pabula ſaporis obtinet palmam. Laudatiſſimi præ ceteris ſunt, qui in hac noſtra verſantur ora, ut antiquiſſimus Ennius monuit.

*Surrenti ſas emas Glaucum, Cumas apud.*

Neque Paulo Jovio aſſentior aſtruenti ex omnibus piſcibus, qui opiparis apponuntur menſis, nullum e mari, amnibus, aut lacubus *Sturione* proceriorem, ſapidioremque eſſe; *Ricciola* enim, ſeu mavis dicere, Glaucus omnium præſtantiſſimus. Sed neque eidem aſtipulor contendenti eum, quem *Sturionem* dicimus, pridem a Latinis appellatum fuiſſe Silurum, quum Acipenſer dictus videatur ex iis præcipue, quæ Macrobius de

Macrob. Dier. Saturnal. l. 3. c. 9.

de hoc piſce abunde ediſſerit. Silebat tantiſper B., quum C. incœpit.

XV. Plura erudite ſane retuliſtis de Glauco, ac de Thynnis, qui quum adeo grandes, & adipoſi ſint, jure merito nitidiſſimus, & elegantiſſimus poëta noſter Jacobus Sannazarius carpi videtur a Julio Cæſare Scaligero, quod in Eclogis cecinerit: Sannaz. in Eclog. Piſcator.

..... *Leves veniunt ad pabula Thynni.* Scalig. in Poëtic. lib. critic.

non enim levitatis epitheton eos decet, tardi, & ponderoſi quum ſint.

At criticus ipſe potius inſimulandus, reponit A., nonne magnæ molis Delphin? eo nihilominus nullum animal expeditiori, ac velociori motu cietur; *Volucre* enim *ocyor eſt, ocyor telo*, ut inquit Plinius. Plin. lib. 9. c. 8.

XVI. Sed poſtquam de Delphinis incidit ſermo, inquit B., quorum longam ſeriem in mari exultantem cernimus, jucundiſſimam, & ingentem, quæ fit horum ope, piſcationem Præſuli noſtro enarremus. Quam rarum Delphinorum ingenium, & lenitas erga homines ſit, nemo fortaſſe ignorat; quod nautis ingruentes tempeſtates prænuntient, ut venuſtiſſime poëta Dantes: Dant. Infern. Cant. 22.

*Come i Delfini quando ſanno ſegno*
*A' Marinai con l' arco della ſchiena,*
*Che s' argomentin di campar lor legno.*

Ita ut non inter fabulas reponendum eſſe videatur, quod de Arione Lesbio ſcriptum eſt. Video enim Delphinos, *Feras* heic vulgo appellant,

lant, id piſcatoribus ſponte ſua exhibere, quod venatoribus inſtructi venatici canes. Jam noſtis, puto, duorum generum Acos reperiri, primum ſelectius, quod *Aguglie* nuncupamus, deterius alterum, quod *Caſtaudelli* in vulgus dicitur. Acum Ariſtotelis, & Acum Oppiani appellat Jonſtonus. Horum capturæ leves, oblongæque piſcatoriæ naviculæ uſui ſunt; has conſcendunt ſelecta robore pubes, celerrimeque remis agitant. Ut primum moveri eas e litore intuentur Delphini, celerrimo natatu, ſeu potius, volatu præeunt. Hos tamquam infenſiſſimos, ac potentiſſimos hoſtes Aci perhorreſcentes aufugiunt, atque illico invicem veluti in cylindricum glomerantur agmen, acutiſſimoſque rictuum mucrones tamquam lanceas ad hoſtium impetum, ardoremque reprimendum objiciunt. Ut ita denſatos illos aſſequuntur piſcatores, nudati aliqui pueri in mare ſeſe immergentes ſubtus coactum agmen retia ducunt; hos natantes ut vident Delphines, ne lædant, verſo ſquamoſo dorſo, ſupini levigatum, cartilagineumque ventrem exhibent; abblandiuntur natantes, amanteſque ſui Delphinos impoſitis jam antea nominibus vocant; Retium capita dehinc remigibus porrigunt, qui illa ſublime elevant, naviculaſque præda complent. Hujuſmodi verbis ultro, citroqne habitis lætiſſima illa conſumta eſt dies. Ac Sole jam ad Occaſum vergente, veſpertinæ, nocturnæque preces nos, ajo, ſollicitant, ut ad propria remeemus.

CA-

Plin. l. 9. c. 51. in fine *Acus* ſive *Belone* unus piſcium dehiſcente &c. & l. 32. c. 11. *Belone*, quos aculeatos vocamus.

Jo. Jonſton. Hiſt. Natural. De Piſcib. lib. 1. tit. 2. cap. 1. art. 17. punct. 1. & 2.

# CAPUT VI.

## *De Surrentini Soli fertilitate.*

I. QUum Terræ faciem alicubi ſterilem eſſe, alibi fertilem, aliquo in loco mirabili fœcunditate dotatam videamus, cauſſam veſtigans Rei Cibariæ copioſiſſimus, & diligentiſſimus ſcriptor, præcellentiſſimorum fluviorum irrigationi tribuit. Fallitur nihilominus; nulla ſiquidem aqua ad Terram ſaginandam pluvia aptior. Ego vero ex nitro potius Terræ fœcunditatem præcipue oriri autumo, de quo jure merito acerrimi ingenj Philoſophus ſcriptum reliquit: *Nitrum deprehenditur eſſe veluti ſpiritus terræ, operaturque, ut ea remaneat juvenilis*. Proindeque etiam ſtercoratur, quod ſtercus præcipue Caprearum plurimo nitro abundet; quare Columella docet, *Terram neque ſeneſcere, nec fatigari, ſi ſtercoretur*. Quapropter ſi e ſtercore extractum nitrum aqua diluatur, eaque florum teſta irrigetur, ſtatim illi vireſcunt, & plus ſolito frondeſcunt, & olent: nullum præbente eo vaſe propter fimum injucundum obtutum, aut fœtorem. Navi vero agricolæ non ſtercorant agros, niſi poſtquam fimum, ſordeſque alias in cumulum coactas diu detinuerunt quouſque præ fermentatione nitrum ſeparari, eliquarique incipiat.

Jo. Bruyerinus Campegius lib. 4. cap. 14.

Bacon. Bar. De Verulam. in Hiſt. vit. & mort. n. 48.

Terræ fertilitas ex nitro.

Columell. De Re Ruſt. lib. 2. cap. 1.

II. Sed non prætereundum eſt heic, deceptos

Plat. in Tim. Ariſt. 4. Meteor. ſum. 3. cap. 2. Agricol. lib. 3. De Natur. foſſil. Bernard. Cœſius Mineralog. lib. 3. cap. 4. Michaël. Mercat. in Metallothec. Arm. 2. cap. 8. *Sal commune nimium diſſimile a Nitro.* Plin. Nat. Hiſt. lib. 18. cap. 17.

ptos ſane fuiſſe magnos viros, qui nitrum putarunt perſimile ſali communi. Etſi enim externa ſpecie ſimilia videantur, diverſiſſimos tamen pariunt effectus, ut in pluribus rebus non raro evenire videmus. Sal quippe communis Terram potius areſacit, & plantarum exiccat ſemina: ubi nitrum mira fœcunditate campos, agroſque afficit; quare Virgilius, cujus meminit etiam Plinius, cecinit:

Virg. Georg. lib. 1. v. 193.

*Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,*
*Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,*
*Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.*

V. Bernard. Cœſ. De Mineral. l. 3. c. 4. ſect. 1. n. 9.

Præterea ſapore etiam diſtat ſal commune a nitro, quod hoc guſtum triſti amaritudine torquet; præcipue nitrum illud, quod, exiccata Nili aqua, relinquitur: quæ quidem aqua, inundante ipſo Nilo, immenſos, quos alluit agros, propter nitri copiam mirum in modum fœcundat. Quare Dioſcorides præ ceteris a vero aberravit, quum ſales omnes æquali vi pollere ſtatuit.

Virg. in Georg.

III. Stipularum quoque cineres plurimum continent nitri; quare agros incendere monet Virgilius. Non autem aſſentior Falloppio putanti ex quolibet exuſto corpore nitrum elici, ſi ex ejus cineribus fiat lixivium; quum ſalem communem omnia lixivia, non vero nitrum purum deponant, ut pariter relinquit aqua maris lento igni admota, vel Solis vi vaporata; neque enim verum eſt, quod antiquiores aliqui, vel ſimpliciores crediderunt, aquam ſcilicet in ſalem mutari.

Pe-

Peculiares quoque in medicina uſus præſtat Nitrum, & præſertim cum aceto inſtillatum Franciſcus Valeſius purulentas aures, earumque ſonitum ſanare tradit. Valeſ. In Sacr. Philoſ. cap. 61.

IV. Nitrum ab Halinitro, ſive Salpetra diſtinguunt nonnulli; hujuſmodi putant Sal illud, quod parietibus innaſcitur, vel in opacis cryptis reperitur: & unicum hoc uſui eſſe apud Pharmacopolas tradit non ignobilis Chymiſta Lemery. Joſeph quoque Donzellus celebris medicus Neapolitanus nitrum a Salnitro diſtinguit. Vera quidem hæc, & diverſimodæ naturæ nitrum haberi puto juxta ea, quæ refert Plinius. Diſcrimen intra Nitrum, & Halinitrum. Lemer. Curſ. de ChyM. Donzell. Pharmacop. l. 3. Plin. l. 31. c. 10.

V. At illud pro certo habeo, Surrentinam ſcilicet tellurem tanto puriſſimo nitro prægnantem eſſe, ut aërem ipſum illius emiſſione ſalubrem reddat, idemque aquæ impertiatur, quæ triformem figuram accipit fluiditatis, conſiſtentiæ in glaciem, & vaporum, quos exhalat, & in quos abit: primam figuram a propria natura partium, ut tenet Des-Chartes, teretum anguillarum inſtar; ſecundam ex nitro, unde frigus, concretio, ac dilatatio; tertiam ex calore, unde diſſipatio.

Propter hoc naturale puriſſimum nitrum fit, ut Promontorium Surrentinum ſponte ſua ferat, nutriatque Cytiſum, Thymum, Serpyllum, Sampſucum, ſive Amaracum, Pulegium, Rutam, Saturejam, Origanum, Nepetam, Fœniculum, Cuminum, Aniſum, Caryophyllon,

Lapathum, Arthemiſiam, Mentham, ſexcentaſque hujuſmodi ſuaveolentes herbas, quarum ſemina, ſive ova, ut ajunt, ex aëre decidunt, vel una cum pluviis dilabuntur. His paſtæ Vaccæ adeo pingue, & copioſum lac gignunt in mammis, ut ex ipſis & caſeus gratiſſimus exprimatur, & vituli alantur ita ſapidi, ut omnium ubique locorum præſtantiſsimi, & celeberrimi, ut revera ſunt, habeantur.

Plin. lib. 31. cap. 10.

VI. Neque te moveat quod advertit Plinius, ubi de Nitri generibus, & confectariis medicinis, atque obſervationibus affatim ediſſerit, nihil ſcilicet gignere, aut alere; quum in Salinis herbæ, & in mari tot animalia, tantæque algæ nutriantur. Id ipſe rejicit in Nitri adulterationem factam in Ægypto. At vero in Nitria, ubi immenſa Nitri deſerta, neque adulteratum eſt, neque fœcundum. Dicas igitur potius, ſimilem eſſe Nitri naturam marium animantium genituræ, quæ ita actuoſiſſima, ac ſpirituoſiſſima eſt, ut ova in feminarum utero fœcundet, quum ipſa per ſe ſteriliſſima ſit. Itaque Nitrum quo purius, eo facilius aqua dilutum poros Terræ penetrat, dilatatque, & ſemina, ſive ova in apertum prodire cogit, eorumque alimentum ita extenuat, ut per exiliſſimos ſeminum ductus ingredi poſſit, per quos eodem circumpulſo juxta recentiorum Phyſicorum obſervationes plantæ aluntur, creſcunt, atque fructificant. Plura circa Nitrum qui volet, videat experientiſſimum Robertum Boyle.

Cur Nitrum in Nitria ſterile.

Boyl. tentamina circa partes Nitri.

VII. Ter-

VII. Terræ præterea fertilitati confert ſitus, & adſpectus ad Cœli plagam, quem diverſimode Palladius deſcribit, & ex eo Petrus Creſcentius, legendus ſane Italice factus propter linguæ nitorem. Creſcent. dell' Agricoltura lib. 1. cap. 17.

# CAPUT VII.

*De ſelectiſſimis frugibus Surrentinis, & primum de Oleis, & de Citreis malis.*

I. QUantum humanæ vitæ utilitatis, & commodi præſtet Oleum, ad nauſeam uſque exaggerant Columella, Palladius, Theophraſtus, Porta noſter, aliique, qui & ejus uſus recenſent, in cibis ſcilicet condiendis, in medicamentis conficiendis, in tenebris micanti lumine diſcutiendis, &, quod omnem excedit laudem, nedum in divini templi Candelabro, & in Chriſtifidelium Eccleſiis adhibetur: ſed etiam ad ungendos Reges, & Sacerdotes a Deo in antiqua Lege, & in nova, & ad Sacramenta conficienda a Jeſu Chriſto Domino Noſtro deſtinatum eſt. Jo: Bapt. Dort. De Vill. l. 6. c. 31. Olei plures uſus.

II. Apud Ethnicos ipſi etiam gladiatores luſus, ac ſpectacula præbentes oleo ſibi corpus ungebant. Comœdi quoque, ac Tragœdi eodem ſibi os liniebant: nec non olivarum ramis ſuperſtitioſa turba ſibi tempora ornabat, quum

Q 2 ſeque-

ſequeretur victimam, quæ ducebatur ad aras, ut innuere videtur Tibullus his verſibus:

Tibull. lib. 2. eleg. 1.

*Carmine fulgentes eat ut ſacer agnus ad aras,*
*Vinctaque poſt olea candida turba comas.*

Ad vitæ utilitatem quo perfectius eſt, & ſuavius, eo præſtantius, ut etiam illud, quod lumen alit; nullo enim fœtore inficit ædes. Quare præſtantiſſimum erit oleum Surrentinum e perfectiſſimis oleis eductum, de quibus teſtatum reliquit Porta:

Port. in Vill. lib. 6. cap. 12.

*Surrentini colles lætis etiam olivetis conveſtiuntur in maris proſpectu, quibus vivum, ſanum, lætumque ſubeſt Solum*, a quo oliveta aluntur, præcipue inter prærupta, duriſſimaque ſaxa; *Oleum* enim *de ſaxo duriſſimo* extollit Moyſes;

Deuteron. c. 32. v. 13.

lapides ſiquidem illi plurimo ſulphure abundant, quod a pluviis ſolutum olivarum arboribus pinguem, & ad ignem concipiendum aptam materiam, alimentumque miniſtrat.

III. Hinc etiam arguo, non a ſalibus tantum duritiem concreta, ſolidaque corpora mutuari, ut Varenium opinari jam diximus. Bitumen namque, quod ſulphuris nomine comprehenditur a Chymiſtis, ſolideſcere, ac denſari conſtat in Electro, & in Naphtha in Aſphalte, Gagates quoque durus, ac pretioſus lapis bitumine concretus eſt, ut recens nobilis Philoſophus animadvertit.

Perchot in Phyſ. p. 2. ſect. 5. cap. 2.

IV. Præterea marmora in Græcia effoſſa ſi leviter ferro atterantur, ſulphur redolent; atque ita antiquarj, quum in ancipiti ſunt, Græca ab

Roma-

Romanis marmoreis ſignis, aliiſque cœlatis marmoribus diſtinguunt.

Itaque ſaxoſæ Terræ alendis oleis aptiſſimæ, quarum liquor ibi ſuavior, ubi parum, aut nihil vitrioli, aluminis, vel mercurj immiſcetur, & ubi non limoſa, aut paluſtris Terra, ſed aridior; quemadmodum etiam de caule cecinit Horatius:

*Caule ſuburbano, qui ſiccis crevit in agris*
*Dulcior, irriguis nihil eſt dilutius hortis.*

V. Sed illud ſane præſtantiſſimum, & ſuaviſſimum oleum erit, quod ex cumulatis olivis, vel ſponte ſua, vel prima, ac levi præli preſſura, minime ruptis, aut expreſſis ſamſis diffluit. *Virgineum* oleum vulgo appellatur, *Lixivium* vero a Columella ajente: *Plurimum enim refert non miſcere iterationem, multoque minus tertiationem cum prima preſſura; quoniam longe melioris ſaporis eſt, quod minori vi præli quaſi lixivium defluxerit.* Sed poma citrea, e quorum corticibus preſſis ſpiritoſum quoque, ardenſque oleum exilit, nos modo jucundiſſime alliciunt, avocantque ab olivis.

Colum. De Re Ruſtic. l. 12. c. 7.

Oleum lixivium præſtantius.

VI. Citreis pomis Surrentini agri adeo ſcatent, ut jure merito dixerit Porta noſter: *Surrentinus item Mons, & Amalphiæ litora, ubi fœcunda, lætiſſimaque citrea conſpiciuntur, ut non amplius Heſperidum Horti deſiderari poſſint.* Sed & in Perſia, & in Media, & in Italia gigni, non tantum in Africa docet Cloatius ex Homero apud Macrobium. Vidi-

Citrea Surrentina præſtantiſſima.

Jo. Bapt. Port. Vill. lib. 5. p.161. v. 20.

Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 14.

Vidimus nos ex exteris primo Surrentum adventantibus aliquos ad jucundum ſpectaculum hortorum hujuſmodi malis uberrimorum, ac ſtipatorum ſumma admiratione inceſſitos, alios ingenti voluptate perfuſos, lætitiaque geſtientes.

VII. Ipſi quidem horti omnigena harum plantarum varietate diſtincti ſunt, quarum peculiaria nomina vix apud Græcos, Latinoſve invenies μηλέα Περσικὴ, & Μηλέα Μηδικὴ appellantur generaliter a Theophraſto, ita etiam a Virgilio in Georgicis, & Dioſcoride, deſumtis nominibus, e regionibus, unde advenere. Ab Ariſtophane Grammatico poma ὀξύκλα propter acidum ſaporem. Pamphilus apud Athenæum Μῆλα ἑσπερικὰ vocat ab iis, quæ in Heſperidum hortis naſcebantur: licet Agretes in rebus Libycis oves fuiſſe contendat aureo vellere, non poma aureo cortice obtecta, quæ ibi ab Heſperidibus Atlantis montibus circumſeptis, & pervigilis Draconis cuſtodia ſecure tuebantur.

Citreorum malorum nomina peculiaria non accepimus a Græcis, vel Latinis.

V. Porr. Vill. l. 5. pag. 259. n. 10. V. Natal. Comit. Mytholog. De Heſperidib.

Ceterum hujuſmodi fructuum ſpecies omnes quei latine efferas, haud invenies; proindeque Italica vocabula uſurpavit Porta; præter enim aureum malum, quo vocabulo *il Merangolo, o Citrangolo* indicare putant Virgilium, quum cecinit:

Porr. VIII. lib. 5. cap. 6., & 7.

Mala aurea apud Virgilium ecloga *Marangoli*.

*Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.*

nullum aliud habuiſſe videtur antiquitas. Hoc idem Græce τὸ ϱαϱάντζιον dictum invenimus apud Scholiaſten Nicandri. Alias citreorum ſpecies Itali-

Italice nuncupavit, ut *Limones*, *Ponceria*, proprie a Neapolitanis *Ponſini*, *Pomo d' Adamo*; quæ mala præcipue Ponceria poſtquam accurate deſcripſit, ſubdit: *Ferunt id litora Surrentina, & Amalphea, quamvis minori copia, quam ſupradicta genera*; non quaſi vero hujuſmodi arbores difficilius ibi radices figant, vireantque, ſed potius, quod ea poma viliora quum habeantur, non adeo coluntur; neque enim alii ſunt uſui, quam ornandis cibariis. Sciti namque architriclini iis odora ſigna, imagineſque ſculpunt, menſiſque apponunt, vel aliter elaboratis fercula eſui jucundiora reddunt.

Porta 16. cap. 9.

Ponceria quibus uſui.

VIII. Porro Citreorum genera quum plurima ſint, & notiſſima, ea omnigena odore gratiſſima, & ubertim ferunt Surrentini horti, in quibus quædam a natura, quædam ab agricultura mira ſane ſunt. A natura quidem, quod, quum eæ arbores ſuapte molles ſint, ac delicatiſſimæ ita, ut ab æſtivis ſolibus, & a rigida bruma tegendæ ſint, Surrentinæ tamen a ſudo Cœlo mali nihil patiuntur, eo magis quod ſtipata eorum arborum frequentia altera alteram tegere, ac fovere videatur; proindeque tanta ſolertia in rudi agricola non eſt exquirenda, quantam Palladius, vel noſter Jovinianus Pontanus, aut Porta in his colendis citreis exigunt.

Pallad. Jovin. Pontan. in Heſper. hort.

Ab arte autem ſpectatæ Surrentinæ Citri mirum id habent, quod in ejuſdem Plantæ ramis plura, ac diverſiſſima malorum genera inſerantur,

tur, atque ubertim ferat, alatque idem ſtipes proprios, ac degeneres ſimul foetus. Id etiam admiratione dignum, quod ita refert ſæpius laudatus Porta: *Viſitur Surrentinis in hortis genus Citrei, quod ex artis mangonio productum exiſtimo, quodque acris medullæ loco aliud citreum affert eodem pediculo, quo continens cortice, & integro citreo, quo nihil mirabilius videri poteſt.*

Port. ibidem lib. 5. cap. 5.

IX. Inter citreas iſtas arbores apud omnes ſcriptores maxime in ſacris Bibliis Cedrus celeberrima habetur, quæ duplex eſt; altera, quæ magnum caudicem, ac procerum habet, quæque montes amat, ut inquit Plinius, Græcis κεδρελάτη dicitur, ab Hebræis vero גפר ideſt *Ghopher*, ut Philo Judæus, & Thalmudiſtæ interpretantur; atque ex hujus cedri tabulis fabricatam volunt arcam Noë. Sed hæc duplicis etiam ſpeciei eſt juxta eumdem Plinium. *Quæ floret, fructum non fert, fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat novus*. Si tamen vera eſt hæc narratio de Cedro non floreſcente, & fructificante; in multis enim deceptus Plinius. Ex caudice hujuſce magnæ Cedri & tigna domorum conficiebantur, ut ex ſacra Scriptura accepimus, & ſimulacra Deorum ex laudato Plinio.

De Cedro nonnulla recenſentur.

Plin. Hiſt. Natur. lib. 16. cap. 18.

Phil. lib. 1. De Antiqu. Bibl. V. Urſin. In Arboret. Biblic.

Idem Plin. l. 13. cap. 5. & lib. 23. cap. 5.

Reg. lib. 3. c. 5. *Miſit Hiram ad Salomonem ex Libano tigna Cedrina, & Abiegna.*

X. Hujuſmodi ingentes Cedri Surrenti non extant, ſed ambitioſæ illæ exili ſtipite, quarum fructus optatiſſimi, exteriori cortice etiam leviter preſſo ſulphureo liquore, eoque uberrimo, atque ſpiritibus quam maxime prægnanti emanant, quem

quem Saccharo permiſtum *Elæoſaccharum Surrentinum* appellant ſovendæ ſtomachi debilitati, ac diſſolvendæ craſſiori pituitæ aptiſſimum; at cibus hic modice ſumendus. Uſum vero hunc Olei Citrei, aliorumque citreorum incompertum puto fuiſſe antiquis, etſi Plinius de multis oleorum generibus verba faciens Cupreſſino oleo citreum annectit inquiens: *Cupreſſinum oleum eoſdem effectus, quos myrteum, idem Citreum*. Non enim de ſpiritali iſto corticis Citreorum oleo intelligit. Eorum autem odorem venenis contrarium eſſe noverunt, & plerumque citrea veſtibus interjiciebant ad eas odoras reddendas, necandaſque tineas, ut ex Homero, & Nævio oſtendit Cloatius apud Macrobium.

Spiritus citreorum incompertus Antiquis.

Plin. l. 23. c. 4.

Macrob. Saturnal. l. 3. c. 14.

XI. Cortex quoque cum interiore alba medulla ſaccharo conditus tamquam bellaria, & pulchralia ſuaviſſima ſecundis menſis apponuntur. Intimus vero acer, ac gelaſinus ſuccus ad medicinas conficiendas paſſim pharmacopolis uſui eſt. Flores autem malorum aureorum unguentariis plurimos uſus præſtant. Frondes quoque odoræ, ex quibus ſerta conficiuntur, vel calathi, fructuumque plena quaſilla pulchre operiuntur.

Corticis Citreorum uſus.

XII. Quoniam vero locum Iſaiæ retuli poſt Cedrum Spinam commemorantis, quænam ſit ea Spina, & num Surrenti reperiatur, heic dicamus, ut aliquando ſcrutati ſumus. שטה Settim Hebræi appellant. Sanctus Hieronymus Spinæ albæ tradit referre ſimilitudinem; *Unde omnia*

Spina alba quid.

R *ligna*

S. Hieronym. in Iſai. locum cit.

*ligna Arcæ facta ſunt, & Tabernaculi inſtrumenta, quæ appellatur Settim.*

Plin. l. 15. c. 28. & l. 24. c. 12.

Sed Plinius ſcribens: *In papyris, & ferulis, ſpinaque alba caulis ipſe pomum eſt*, non cohæret cum ſancto Hieronymo, neque cum Hebraico ligno Settim. Nos vero albam Spinam a ſancto Hieronymo indicatam eam putamus, quam *Azzarola* vulgo nuncupamus, ut ex Dioſcoride, & Theophraſto deducebamus. Eademque omnino eſt, de qua Ovidius in Faſtis. Meſpilum pro Alba Spina accipiunt alii, quæ fructus fert criſtata baſi, non vertice, ut inquit Porta, quod parcendum Angelo Politiano canenti:

De Meſpilo v. Plinium l. 15. c. 20. De Spina alba, Acanthio, & Acacia l. 23. c. 12.

.... *Regum imitata coronas*
*Meſpila*

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Poëtis enim quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Utraque arbor Surrenti extat. Prima rarior eſt, poſterior ſatis frequens, ſed inter ſilveſtres habetur.

# CAPUT VIII.

## *De Selectis Pomis Surrentinis.*

Cic. de ſenectut.

I. NOn ſegetibus ſolum, & Pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ latæ ſunt, ſed etiam hortis, & pomariis, inquit Cicero. Has a Tullio enumeratas Georgicas partes excoli in Romanis villis, ad miraculum uſque magnificentiſſi-

tiſſimas rebar ego juvenis adhuc, priuſquam Romam convenirem; putabamque illas in portiones diſtribui, quarum una aſſignaretur alienigenis rariſſimis ariſtis, ſegetibuſque apte alendis, ut Βουκέρω, ſeu Fœnogræco, Ervo, Seſamo, Segetes raræ. Goſſipio, Fabæ illi Indicæ, quam *Caffè* nuncupamus, aliiſque id genus raris plantis. Arvo autem joci, vel eruditionis, aut voluptatis gratia marmorea ſigna apponerentur Segetiæ Deæ, Cereris, Latonæ, Apollinis, eorumque etiam numinum, quæ a ſuperſtitioſa antiquitate Semones, quod ſementes curarent, nuncupata ſunt. Sed præſtat animadvertere, hanc primam agriculturæ a Tullio recenſitam partem conſulto a Romanis Proceribus negligi, indignum ducentibus, vilioribus iſtis ad quæſtum potiſſimum comparatis ſelectiſſimas Villas inficere.

II. Aprica prata in oculorum deliciis habent, quæ modo in circuli figuram diſpeſcunt, modo in quadrati, aut in parallelogrammi, penes ea ad ſedendum lapides aptant tanta arte dolatos, ac ſcultos, ut nativam, quam longe deſeruerunt, ruditatem viviſſime exprimant. Arbuſta neque ad vites continendas, quas cannis fulciunt, neque ad fructus ferendos conſerunt, nihil e Villis præter luxum, otiumque, & quietem captantes.

Hortos proinde olitorios, aut viridaria Villis minime inſerunt; coronarios ita dictos, quod exinde florum corollæ nectantur, ſummo ſtudio colunt, & multigena olentiſſimorum florum varieta-

rietate complent, quibus toto anno terra veſtitur, atque ornatur.

Pomaria vel nulla, vel modica admodum in vaſtiſſimo ſpatio comprehendunt. Citros in altis teſtis enutriunt, quas totum annum ſub ſudo Cœlo habere loci natura non patitur. Vineis, & Vinetis ſeorſim locum præbent ad Autumnale vindemiarum delicium; mirum, quanto opificio cellæ vinariæ, domuſque ad vindemias ſtructæ, & decoratæ ſint.

III. Itaque qui immenſas *Villas Eſtenſes*, *Farneſias*, *Burgheſias*, *Pamphilias*, *Ludoviſias*, *Mediceas*, *Corſinas*, *Matthæorum*, *Juſtinianorum*, aliorumque primo exorſi fuerunt, non integræ agriculturæ ideas mente agitabant, ſed ut plurimum opacorum Nemorum, ſilentium Lucorum, umbroſarumque Silvarum. Ad fundum enim, quem ad multorum milliariorum ſpatium muro vallabant, aditum per multas fores excellenti architectura paravere. Terrenum totum arboretis plerumque e Silvis eradicatis compleverunt Platanis, Pinis, Abietibus, Laricibus, Juniperis, Quercubus, Ilicibus, Fagis, Lauris, Buxis, Fraxinis, Ornis, Tiliis, Carpinis, Alnis, Salicibus, Ulmis, Populis, aliiſque ſilveſtribus arboribus, quæ vel in rectam lineam hinc inde digeſtæ, & in ſummam proceritatem elatæ latiſſimas vias aperiunt, adeo oblongas, ut oculi in medio conſtituti obtutum ipſorum fines refugiant. Sunt porro arbores cum

in cul-

in culmine, tum in lateribus ita tonſæ, emendatæ, & in ordinem redactæ, ut ne folium quidem promineat folio. Quandoque arbores in quincuncem, vel tranſverſæ in decuſſem diſpoſitæ viculos, anfractus, laberynthoſque conficiunt. Nonnumquam ſummi rami in fornices ſinuati longiſſima, opaciſſimaque exprimunt antra.

Sunt præterea viæ ad ſtatutos paſſus marmoreis ſtatuis ſupra baſes, plinthoſque refertæ: crebris etiam fontibus præruptas rupes, horridos ſcopulos, editoſque montes repræſentantibus, e quibus aqua leni murmure proſiliens, mœſtum ſilentium, locique reverentiam commendat. Hæc per Euripos molli clivo diffluens in ſtagna, ac lacus affabre concinnatos, velut Dianæ ſacros recipitur, ubi Olores, Aquilæ, Anſeres, Anates, Anaticulæ, Fulices, aquatileſque aliæ innatant aves.

Continent Villæ tetrica luſtra, clauſtraque Ferarum, Pecudum, Cervorum, Capreolorum, Leporum, Danorum, Cuniculorum.

IV. Plures in Villis pro Colonis erectæ domus, ſed quæ Dominis ipſis in meditullio immenſæ molis aſſurgunt, præ ſublimioribus columnis, periſtyliis, præ exquiſitiſſimis ſignis qua marmoreis, qua æneis, tabulis quoque marmoreis ſcitiſsima Anaglyptice cœlatis, quibus exteriores ipſarum domorum parietes incruſtati ſunt, Ovidianam potius Solis Regiam, quam villicas ædes refer-

referre videntur . Hinc eſt , quod intuentium animos admiratio , ac ſtupor opprimat ; & vix credes , tot , tantaque Græcæ , Romanæque architecturæ veſtigia Romæ , quæ toties a barbaris everſa , ac ſolo æquata fuit , adhuc ſupereſſe . Illud tamen incommodi habent adeo celſæ Villæ , ut æſtate in iis ruſticari propter aëris craſsitiem , mineraleſque exhalationes periculo ſit ; hyeme præ multo humore , unde pituitoſæ diſtillationes , moleſtæque excitantur tuſſes .

V. Longe diverſæ condendis Villis Neapolitanorum licet locupletiſſimorum , ac Surrentinorum ideæ , utpote qui corporis ſanitati , & animi hilaritati in primis ſtudent , atque intendunt ; proindeque in villica domo ſaniſſimum aërem , amœniſſimumque proſpectum requirunt , ut ad Meridionalem plagam vergat . Ante valvas ſacras imagines udo tectorio depingi curant , hilareſque hiſtorias , aut fabulas , ſed modeſtas in capite viarum aquario plerumque ſubactu exprimi . Parietibus citreas plantas admovent , quæ ſparſis perpetuo virentibus ramis , ac foliis illorum rudem ſcabritiem ſcitiſſime tegunt . Vias hinc inde ſepiunt Roſetis , Nardi ſpicis , Libanotide , Leucoiis , Spartis , quorum flores induſtrioſæ apes depaſtæ ferant dulcia mella . Topiariis quoque operibus paſſim , & perbelle ornant . Æſtivos Soles contegunt pergulis , quas generoſiſſimis inſtruunt vitibus . Hæ foliis gratiſſimas præbent umbras : pendentibus vero Botris , qui vel aureos globulos , vel tumen-

mentes pyropos exprimunt, jucundiſſimum aſpectum, illecebroſioremque exhibent cibum. Hortos olitorios Botanices ſtudioſi quandoque ad eruditionem, vel ad medicos uſus rariſsimis conquiſitis plantis conſerunt. In primis vero Pomaria omnigenorum ſelectiſsimorum pomorum comparant, quæ ferax tellus feliciſsime alit.

VI. Proinde ſi theatralibus pompis alliceris, & mirandæ artis ſtudio teneris, Romam pete; ſi corporis ſanitatem, incolumitatemque præoptas, Surrentum, quo Roma nos modo revocant, quæ ſelectiſsima ibi naſcuntur poma, & qualia in Veneris, ac Cupidinis manibus inſculpi ſolent, non caduca, non vermiculoſa, ſed ſana, ac ſapidiſsima. Plin. lib. 15.

VII. Perſica primum mihi obveniunt, quorum abunde Plinius, quæque in quatuor genera diviſa invenio; primum Præcociorum dictum, quod æſtate citiſsime matureſcant, Βερίκοκκα inter poſteriores Græcos ſcriptores nuncupata a *Simeone Sethi*, ut apud Romanos *Bricoche*, Neapolitanis *Criſomole* nomine e Græco, & Latino ſermone compoſito, quaſi aurea mala: His nullibi ſapidiora, aut grandiora, præſertim iis, quæ Alexandrina audiunt, aut uberiora ita, ut præ copia ipſa vileſcant, tametſi quum primo Romam delata fuere, ingenti pretio vendita tradat Plinius, qui pomum innocuum *experiri* (*expetiri* alii legunt) ægris teſtatur; ab Averroë quoque commendantur.

Plin. ibid. c. 12. & lib. 23. c. 6. V. Ludov. Nonn. in Diætetic. l. 1. cap. 32.

Aliud

Aliud genus Duracinorum eſt, Romæ *Perſiche Duraci*, Neapoli *Percoche* dictum, quibus inter Perſica palmam tribuit Plinius. Ea maximopere excoluntur Surrenti ab rei villicæ ſtudioſis ita, ut in ingentem magnitudinem excreſcant. Cetera Perſica laudatiſsima. Commentitium putat Plinius, quod fama evulgaverat, venenata ſcilicet ea in Perſia olim produci, tranſlata autem deinde in Ægyptum a terra mitigata fuiſſe; quare & Columella cecinit:

Plin. loc. cit.

Plin. l. 15. c. 13. circa finem.

*Stipantur Calathi pomis, quæ barbara Perſis*
*Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis.*
*At nunc expoſito pravo diſcrimine lethi*
*Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.*

Columell. De Re Ruſtic. l. 10.

Sed profecto diſcrimen transductorum Perſicorum minime negaſſet Plinius, ſi ea noſcere potuiſſet, quæ ſequioribus ſeculis de *Hyjucca* Mexicana, & Canedana ad noſtram notitiam pervenerunt, de qua planta refert celebris Medicus Monardes: *Nec minore admiratione dignum eſt, omnem Yiuccam in Continenti naſcentem, tametſi ei, quæ ad S. Dominicum naſcitur ( ex qua* * *Cazavi fit ) ſimilem, ſalutarem eſſe, ejuſque* * *fructum edulem, & ſuccum inde manantem potabilem, nullamque noxam afferre: eam autem, quæ ad* * *S. Dominicum provenit ( quacumque tandem ratione edatur ) ejuſque ſuccum non coctum perimere. Locorum vero naturam tanti momenti eſſe, ut quod ſalubre alimentum in Continenti præbet, id in omnibus inſulis præſens ſit venenum. Quemadmodum Columella de Perſico ſcribit,*

Monardes in Hiſtor. Medicam. ex novo orbe delator. latine facta ex Hiſpano ſermone a Carolo Cluſio cap. 53.

* Panis Americanus.

* Alii radicem.

* Inſula.

De Hyiucca V. Franciſcum Gomara Hiſt. Gener. Julium Cæſ. Scalig. De ſubtil. ad Cardan. ipſû Cardan. & copioſam diſſert. Tobiæ Aldini in deſcript. Rariorum Plantarum Horti Farneſiani.

*bit, pernicioſum venenum in Perſide fuiſſe, at ubi in Italiam translatum fuit, noxium illum ſuccum depoſuiſſe, & ſuavem, ſalutaremque præbuiſſe.*

VIII. At præ ceteris jucunda, ac ſapidiſsima ducebam poma, quæ Nuces perſicæ apud nos indigitantur, dummodo valde matura ex arbore carperentur; tunc enim delectantem ferunt colorem flavum cum rubro commiſtum, ſuaviſsimum efflant odorem, & ambroſio ſucco blandiſsime guſtum titillant. Nux molluſca quoque dicta a Cloatio, aliiſque penes Macrobium laudatis, præter communiorem agriculturæ magiſtrorum morem, qui nuces dicunt omne pomum, quod foris duro, ligneoque cortice tegitur, intus vero continet, quod eſui eſt, ut idem notat. Nux molluſca appellatur a Suevio, cujus verſus de Hortulano præſcribente Moretum, ita mendoſe exaratos legimus:

Macrob. Saturnal. l. 3. c. 12.

Idem ibidem cap. 14.

*Admiſce tu Acca baſilicis partim,*
*Partim quod nomen ſit denique fertur;*
*Propterea quod qui quondam cum Rege Ponti*
*Nomine Alexandro Magno, fera prælia bello*
*In Perſas retulere, ſuo poſt inde reventu*
*Hoc genus arboris in prælatis finibus Grais*
*Deſeruere, novos fructus mortalibus dantes.*
*Molluſca hæc Nux eſt, ne quis ſorte inſcius erret.*

Sed Macrobium carpit recens * medicus Plinj fretus auctoritate, qui inter Nuces juglandes Perſica, & Baſilica optima genera Græcos enumerare ait, & Ponticas, dirioreſque, ac molluſcas,

* Ludovic. Nonn. in Diætetic. lib. 1. cap. 10.

Plin. l. 15. c. 22.

ſcas, ſeu teneriores diſtinguit. Suevium quoque a Macrobio laudatum ad ſuas partes traducere ſtudet, quod in Moreto Nuces, non Poma immiſceri conſueverint; quæ expoſitio obtineret, ſi unicum Moreti genus habuiſſent veteres, apud quos varia inveniuntur, ut multo plura apud nos. Utquumque res ſe habeat, nobis Perſici Pomi genus Nux Perſica hodie dicitur, quod ſelectiſſimum Surrenti, deſpectum alibi, gracile, & decolor vidi; propterea quod non omnis fert omnia Tellus.

Sed moroſus ſane evaderem, ſi omnia, quæ producit poma frugifera felix Surrentina tellus, proſequi vellem.

IX. Quid Piros dicam multo plurium generum, quam enumerantur apud Plinium, & laudatum modo Macrobium, & meliori inſitione, quam præſcribit Columella? Quid mala Punica, ſeu *Granata*, de quibus plura eruditiſsimus Porta noſter Plinium emendans? Quid Mora præterea candida, de quibus elegantiſsimum extat Epigramma Sannazarj, quæque e cruore Thysbes ruborem induiſſe fabulati ſunt poëtæ; quare Columella:

Plin. l. 15. c. 15. Macrob. l. 3. c. 15 Columell. De Arborib c. 33.

Port. Vill. l. 5. cap. 31.

*Cumulataque moris*
*Candida ſanguineo manat fiſcella cruore.*

At quis omnia pretioſiſsima, ac ſapidiſsima pomorum genera Surrenti naſcentia vel nominare valeat? Satis erit dicere omnia poma, omnes fruges, omnia olera Surrenti ſapidiora eſſe propter tellu-

tellurem, ut diximus, nitro ſcatentem, quam alibi; exceptis iis plantis, aut frugibus, quæ paluſtria loca amant. Omitto igitur Amygdala, Ceraſa, Zizypha, Tuberes, de quibus Plinius, & Theophraſtus, ac plurima malorum genera. Sed non intacta præteribo dulciſsima Pruna, de quibus naturales omnes hiſtorici, præcipue Plinius, qui undecim eorum genera numerat.

Plin. l. 15. c. 14.

Idem l. 13. c. 10. & lib. 15. cap. 13.

X. Celebrat in primis Pruna Damaſcena, & myxas; has non inter ſativa, ſed inter ſilveſtria poma annumeranda putat ſæpius laudatus Nonnius, qui corruptum Iſidori locum reſtituit, & Caſauboni lapſum emendat. Ex myxis vina fieri in Ægypto Plinius tradit. Nunc vero ex omnibus Prunis, ſuccoſiſque pomis Vinum elici poſſe, præcipue ex Ceraſis in comperto eſt apud Chymiſtas, & ex Vino ſpiritum, ſive Aquam ardentem.

Pruna Damaſcena ibidem cap. 5.

lib. 1. cap. 32.

XI. Inter Pruna Surrentina præcipuum locum ea obtinent, quæ Pruna Januenſia vulgo dicuntur, miræ magnitudinis; hæc Autumno matureſcunt, præcocia minus ſapida, poſteriora dulciſſima alvum leniter, utiliterque emolliunt. Tam ſapida nunquam alibi deguſtavi. Eminentiſſimus Cardinalis Cantelmus tum ob familiæ amplitudinem, tum propter non vulgarem literaturam omni memoria recolendus, tanti ea faciebat, ut pomorum nullum iis diceret poſſe comparari.

XII. Sed quid de Ficubus Surrentinis dicam? pomum hoc ab omnibus naturalibus hiſto-

Plura de Ficubus illarumque Generibus apud Plinium lib. 23. c. 7.



Digitized by Google

Athenæum, Columellam, & Nonnium l. 1. c. 40. J. Bruyerinū, alioſque.

Colum. Agric. l. 10. circa finem.

ricis laudatiſſimum. Bifera eſt arbor, triferam alii faciunt. Fructus etiam aridus, ſuavis, & utilis. Ficus cum prunis connectit Columella:

*Tunc præcox biſera deſcendit ab arbore ficus,*
*Armeniiſque, & Cereolis, pruniſque Damaſci*
*Stipantur calathi.*

XIII. Verum non ita miſtim plerumque parantur Surrenti. Sed ex virenti, florentique myrto elaborantur ab agricolis caniſtra navis inſtar plerumque ſinuata; ea iis ficis implent coloni, quas *Paradiſi* vocant, & vere dixeris ex Terreſtri Paradiſo adveniſſe. Eæ ſunt primæ fici Junio menſe matureſcentes, quæ uſque ad ſecundas perdurant; ſummo mane ex arbore colliguntur multo rore madeſcentes, ac roſcidæ, neque alibi, quam in pediculo manibus delicate, molliterque attrectatæ. Atque ita in illiuſmodi caniſtris venuſte, concinneque compoſitæ ſparguntur roſis, caryophyllis, ut nos dicimus, Violis, Narciſſis, & odoratiſſimis Calthæ floribus. Inde tam belle ornatæ vel proſtant in plateis, vel donantur.

XIV. Inter multigenas ficus arbor quædam in intecto gallinario adoleſcebat, quum ego Surrentinam Eccleſiam adivi; ficus, quæ ſponte enata cenſebatur fortaſſe ex ſemine, ſive ovo ibidem ab alite aliqua relicto; quum illam eradicare vellet colonus, inhibui; ubi tamen in proceram, patulamque arborem excrevit, ficus tulit nigro putamine, tantæ magnitudinis, ut nullibi tales

les groſſi viſi ſint; Maligranati inſtar interius, & tam ſuavi ſapore, ut magnates omnes appeterent tamquam cibaria ſuaviſſima. Aliis in ficis per totam ferme Diœceſim inſita eſt, ſed nullibi tantæ magnitudinis, neque tam exquiſiti ſaporis eſt.

# CAPUT IX.

## *De Vinis Surrentinis.*

I. VIr plane doctus, ſed in Surrentinos plus æquo animatus, infanda hujuſmodi effutire auſus eſt; ſcilicet, præter plurimam, ac frequentem Vinorum celebrationem nihil aliud apud antiquos ſcriptores de eorum civitate memoratu dignum reperiſſe. Lividum quidem, ac mordax dictum. Celebrantur profecto a Græcis, Latiniſque ſcriptoribus Vina Surrentina, aliaque præclariſſima, quæ ea civitas a natura obtinet, ornamenta: memorantur quoque incolarum antiquitates Græcæ, Romanæ, ac Barbaræ: recenſentur pervetuſta, ac magnificentiſſima ædificia. Enarratur optimus Reipublicæ ſtatus, virorum, artiumque præſtantia, &, quod potiſſimum eſt, veræ Religionis vetera, ac numquam ſatis pro dignitate laudata exordia, qua de re in prima parte actum eſt.

Camill. Pellegrin. nell'Apparato alla Campagna Felice diſc. 2. n. 44. pag. 335. *Oltre la molta, e frequente lode de' vini Sorrentini non veggio, che dagli Antichi Scrittori il nome di queſta Città ſia ſtato in coſa di momento mentuato.*

II. At vero huic auctori ignoſcendum, utpote viro, qui illuſtrandis hiſtoriis omnem ætatem traduxit, e quibus Heroum fortitudinem in-

ſuſci-

ſuſcipiendis bellis, contemnenda morte, gerendis victoriis, ampliandis ditionibus tantummodo mirari, & ſuſpicere didicit. Quod ſi Philoſophiæ plurimam navaſſet operam, intellexiſſet quidem veram gloriam, ac præclariſſimam laudem non inde Communitatibus advenire, quod belligeros, immanes, tumultuoſoſque viros aluerint, qui magnos civerint motus, ut finitimorum prædia, ac bona occuparent. Nam *inferre bella finitimis*, ut inquit S. Auguſtinus, *& inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, & ſubdere, quid aliud, quam magnum latrocinium nominandum eſt*. Hinc rectiſſime olim Tullius: *Suſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſſam, ut ſine injuria in pace vivatur*, proſequiturque in hanc ſententiam. *Reipublicæ* pax duobus decertandi officiis conſervatur, per diſceptationem ſcilicet, & per vim. Quumque illud proprium ſit hominum, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. An vero improbum ducit Peregrinius dictum illud: *Paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum*. Anteferendas fortaſſe putat auctor hic, qui unam vinariam laudem Surrento ultro ironice impendit, Marj, Syllæ, Catilinæ, Cæſaris, Pompej perturbationes, juſque datum ſceleri, concitatam eorumdem opera, ac dilaceratam undequaque Rempublicam, ut Lucanus queritur:

*In ſua victrici converſum viſcera dextra*:

eorum virtuti, qui publicæ quieti, ac tranquillitati

S. Auguſt. De Civit. Dei lib. 4. c. 6. in fine.

Bella ob ſolam dominandi cupiditatem improbantur.

Cic. De offic. l. 1. pag. 28.

Cic. ibidem.

litati populorum ſtuduerunt, & operam impenderunt. Execrabimur L. Quintj Cincinnati Abjecti Conſulis, atque exercitus liberatoris moderationem, ac temperantiam, qua tanta uſus eſt, ut ab aratro vocatus ad Dictaturam venerit, ac rurſus, faſcibus depoſitis, quos feſtinatius victor reliquit, quam ſumſerat Imperator, ad ſuos eoſdem juvencos, & quatuor jugerum avitum prædiolum redierit? Idemque de C. Fabritio, & Curio Dentato ex conſimili cauſſa dictum velim. Hi vere beatum, felicemque exiſtimabant illum, Colum. De Re Ruſt. cap. 1.

*Qui procul negotiis,*
*Ut priſca gens mortalium,*
*Paterna rura bobus exercet ſuis.* Horat. Epod. ode 2.

III. Re vera nihil tam honeſtum, nihil tam volupe, nihil tam utile, quam agriculturæ ſtudium. Quocirca, ut ſapientiſſimus Cato teſtatur, priſci Romani bonum virum quum *laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum*, eumdemque etiam doctum merito habitum; quocirca Romanorum ſapientiſſimus Varro annum octuageſimum agens tres libros de Republica ſcripſit; & quamplurium doctiſſimorum Philoſophorum, ac poëtarum, qui de agricultura Græce, Punice, Latineque ſcripſerunt, Elenchum in principio adornavit. Nec mirari deſinebat proſa, & carmine feliciſſimus Columella, queî fieret, ut ceteræ artes tanto ſtudio, tantiſque comparatis magiſtris addiſcerentur: *Sola* (perpende nitidiſſimi ſcriptoris verba) *res ruſtica,* Cat. de Re Ruſt. in princ. Laus ſtudj rei ruſticæ. Varr. lib. De Re Ruſt. cap. 1.

*ſtica, quæ ſine dubitatione proxima, & quaſi conſanguinea ſapientiæ eſt, tam diſcentibus egeat, quam magiſtris*. Quæ doctus hic auctor proſequitur, in memoriam revocent ii, qui Latinorum ſcriptorum lectione delectantur, vel adeant, qui eos percurrere neglexerunt; exinde profecto intelligent, quantis afficiendi ſint laudibus priſci illi Surrentini, qui rem ruſticam, & præcipue vinariam excoluerunt, cujus auctorem unum e Diis fecerunt Ethnici; nos vero ſapientiſſimum, ingenioſumque Noëmum, a quo poſteri artem vinum perficiendi, ſervandi, medendique hujuſmodi didicerunt.

IV. Sed, ut eô, unde flexit oratio, redeamus, duo Vinorum genera facit Plinius, alterum proprium, atque ex Uvis expreſſum, factitium alterum, cujuſmodi eſt Omphacium, Adynamon, quod fit ex Muſto, & Aqua. Factitium quoque fit e Milj ſemine maturo, ex Loto arbore, ex Cypria fico, ex palmis (quarum ſuccum potant non modo Orientales, ſed etiam interiores Africani, ut ex recentibus hiſtoriis accepimus) ex oleribus, aliiſque frugibus, ex quibus Vino perſimilis liquor elicitur, cujuſmodi eſt apud Septemtrionales *Birra*. De Hydromelite, & Oxymelite abunde idem Plinius, deque Mulſo, aliiſque factitiis Vinis.

Plin. l. 14. c. 16.

Plin l. 16. c. 17.

Vinorum ex uvis 80. genera

Idem l. 22. c. 24.

V. Vinorum vero naturalium ex Uvis expreſſorum 80. genera ex toto cognito tunc orbe collegit Plinius, quorum duas partes extitiſſe vult

vult in tota Italia, in qua fertiliſſima orbis regione plures Vinorum differentias enumerat; ex colore quatuor refert, album, fulvum, ſanguineum, & nigrum. Sed plures alii colores deſignari poſſent, ſi de hac re ſermo nobis eſſet ex profeſſo. Franciſcus Redi Vinum Fragorum colorem æmulans memorat in ſuo Dithyrambo verſum mutuatus a Johanne Baptiſta Marino, niſi forte hunc cum ſanguineo velis confundere. Aliud Gilvi etiam coloris profert ex Galeno Athenæus.

Idem l. 14. c. 9.

Red. Ditirambo Un bel color di Fragola matura.

Athen. in Dipnoſophiſt. l. 7.

Ab Italiæ regionibus complura Vinorum genera gradatim juxta eorum præſtantiam refert, & laudat idem Plinius, primumque locum tribuit ei, quod gignitur in ſinu Adriatici maris non procul a Timavo fonte, ſaxeo colle maritimo afflatu paucas coquente amphoras. Atque hoc eſſe putat, quod Græci miris celebrantes laudibus Pictanon appellaverunt. Sed Vinum Setinum præferebat Auguſtus, ex Uvis ſcilicet, quæ naſcebantur prope Setiam, de qua Martialis:

Plin. l. 14. c. 6.

*Pendula pampineos, quæ ſpectat* (a) *ſetia, campos.*

Martial. lib. 13. Epigr. 109.

(a) modo *La Rocca di Mondragone*

Ubi modo hæc Vini præſtantia longe deferbuit. Secundas partes dat Plinius Vinis Falernis, ex quibus Vina *Fauſtina*, quorum alia auſtera, dulcia alia, quædam tenuia. His æquiparat Vina Surrentina.

Plin. loc. cit.

Falernis etiam æquiparat Papinius Statius de Surrentinis Vinis canens:

*Qui Bromio dilectus ager, colleſque per altos*
*Uritur, & prælis non invidet Uva Falernis.*

Stat. l. 2. & 3.

Et alibi: T *Cla-*

*Claraque cum molli juga Surrentina Lyæo* .

Port. in Vill.l.7. cap. 5.

Dioſcorides, & Galenus, quos laudat Johannes Baptiſta Porta, volunt Surrentinum poſt annum vigeſimumquintum aptum eſſe potui . Et ſane reperiuntur ibi pergrandia vaſa fictilia anguſto orificio , quæ Vino plena, obturato, picatoque ore ſub terram antiqui reponere conſueverunt.

Judicium Tiberij, & Caligulæ de vinis Surrentinis.

VI. Verum hæc nihil cohærent cum iis , quæ Tiberius Cæſar, & C. Caligula aſſerebant penes eumdem Plinium : Ille eſſe *generoſum Acetum* : Hic *nobilem vappam* . Quamobrem putamus Surrentina Vina præſtantiam ſibi non a generoſitate arceſſiviſſe, ut laudati Dioſcorides, & Galenus opinati ſunt, ſed a tenuitate , facilitateque in digeſtu ſemper fuiſſe probata, ut hodieque convaleſcentibus proſunt . Quod & innuere videtur Horatius, ubi Catium Epicureum inducit monentem illum rei potatoriæ recte conſuluiſſe:

Horat. Sermon. l. 2. Sat. 4.

*Surrentina vafer qui miſcet fæce Falerna*:
exilitate enim Surrentinum craſſitiem Falerni diſſolvit, & hujus fervorem illud ſua tenuitate retundit.

VII. At vero quod celebrata a multis ſuavitas, ſalubritaſque in Vinis Surrentinis hoc temporis deſideretur, fortaſſe in culpa ſunt ignari Medici, avidique ruſtici. Illi, quod perſuaſerint Vina alba omnia ſtomachi cruditates alere, ventoſitateſque ciere: Hi , ut facilius vendant , album , vel flavum colorem in rubricantem immutant , comparatis rubris, vel nigris exteris vinaceis ,

quæ

quæ cum muſto miſcent, quod perinde poſt paucos menſes in amarum ſaporem abit. Itaque acrius in Medicis ſtudium, melior cura in agricolis expetenda. Præcipue vero, quod vites Aminææ, quas tantopere extollit Columella, ex iiſque Vini conficiendi artem docet, album effundant, ut liquet ex Servio, qui Aminæum Vinum dictum vult, quod ſit quaſi ſine minio, & firmiſſimum eſſe, inquit Virgilius ita:

Columell. De Re Ruſt. l. 3. c. 2.

*Sunt & Amineæ vites, firmiſſima Vina.*

At Aminæum a regione dici monet Macrobius, Aminæum Salernum eſt ex Ptolemæo; non vero ſunt agri Falerni, ut putat Ferrarius. His vitibus refertos eſſe Surrentinos colles tradit Porta; conjicitque eas eſſe vites, ex quibus modo *Græcum Vinum* exprimimus, parum ſolida conjectura; nam Græci Vini in Italia ſeorſim meminit Plinius a nobis laudatus. Quum igitur alba Vina Surrentina ex validis Uvis efficiantur, non eſſet gratiſſimus color alienis vinaceis adulterandus.

Aminææ, quæ Aminæa regio, & mendum Ferr.
Virg. 2. Georg.
Ptolem. l. 3.
Ferrar. in Lexic. Geograph.
Porr. in Vin. l. 7. cap. 5.
Error Jo. Bapt. Portæ.

Vina Surrentina alba

VIII. Illud etiam heic non omiſerim, minime ſcilicet redarguendum Antonium Mancinellum Horatj enarratorem, qui in illo poëtæ

Mancinellus enarrator Horatj recte putat Maſſica vina eſſe vina Surrentina.
Horat. Od. 1.

*Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,*
*Nec parum ſolidò demere de die*
*Spernit.*

Putat Maſſica Vina eſſe Surrentina, quæ *Maſſacana, ſeu Mazzacana* vulgo nuncupantur contra pleroſque, qui Maſsica Vina putant ea, quæ fert mons Maſsicus, modo *Montedragone*. Etenim Pli-

V. Ferr., & Baudrand. in Lexic. Plin. loc. cit.

nius inquit : *Certant Maſſica ex Monte Gaurano Puteolos, Bajaſque proſpectantia*. Mons Gauranus, qui Puteolos, Bajaſque proſpectat, ac veluti ſpeculatur, eſt mons Surrentinus, modo *Gaurano* vulgo dictus. Alter enim Gauranus prope Sinueſſam Puteolos, vel Bajas minime ſpectat. Maſſica igitur ſunt ex Gaurano Surrentino.

Exod. c. 24. v. 9. Levit. c. 25. v. 3. & ſeq. Ubi V. Cornel. a Lapib.

IX. Hæc de fertilitate Surrentinæ telluris, quam merito cum Promiſſionis Terra a ſupremo numine Hebræis donata comparaveris, illo uno tantum ſervato diſcrimine, quod juſſum a Deo fuerit ſeptimo quoque anno requieſcere, ut Sabbati myſteria ab omni cultura vacantes contemplarentur, & ut uberiores fructus poſt requiem terra viribus inſtaurata produceret. Promontorio vero Surrentino nulla requies traditur, ipſius terra vomere, aratro, ligone ſemper proſciſſa, atque agitata; quumque ibi agricultura exerceatur, non proinde res pecuaria omittitur, aut villatica juxta triplicem Varronis rei ruſticæ diviſionem. Nec tamen ipſa tellus ſeneſcit, aut effœta evadit. Sed poſtquam de Re Vinaria aliquid libavimus, nonnihil ſubnectere non importunum.

Varr. De Re Ruſt. lib. 3. in Proœm.

CAPUT X.

# CAPUT X.

## *De Poculis Surrentinis.*

I. MIræ levitatis fictilia antiqua vaſa Campana, eaque depicta inveniuntur: plurima in ſuo Muſæo ſervabat Antiquitatis, & copioſæ Bibliothecæ ſtudioſiſſimus Joſeph Valletta. Duos ſelectiſſimos typis exhibuit Michaël Angelus Cauſeus Pariſienſis. Verum inter omnia vaſa Campana Surrentinas Teſtas præſtitiſſe refert Plinius, ubi de Plaſtices inventoribus agens inquit: *Maxima pars hominum terrenis utitur vaſis, Samia etiam nunc in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Arretium in Italia: & calicum tantum Surrentum.* Martialis quoque:

Cauſ. apud Græv. in Theſaur. Antiq. R. tom. 12.

Plin. l. 35. c. 12.

*Accipe non vili calices de pulvere natos,*
*Sed Surrentinæ levis toreumata rotæ.*

Per Synecdóchen levitate rotæ calicum exiguum pondus, atque excellentiam indicat: & peculiarius alibi:

*Surrentina bibis? nec murrina picta, nec aurum*
*Sume, dabunt calices hæc tibi Vina ſuos.*

Itaque murrinis, ſive aromaticis vaſis, aureiſque egregie fabrefactis, quotquot recenſentur ab erudito viro Lazaro Bayſio, præſtare vult fictilia Surrentina. Sed præter allatas auctoritates de poculis Surrentinis, & de præſtantia argillæ, unde conficiuntur, accipe Græcum Epigramma Macedonj primo editum a Luca Holſtenio:

Lazar. Bayſ. De Vaſcul.

Holſt. in Not. ad Stephan. Byzant. De Urbib.

Συρίντε

Συρέντυ στηχεῖα μυελίπνοε χαῖρε κονίη
  Καὶ Πολλεντίνων γαῖα μελιχροτάτη.
Αἷς ταῦθ' αἱ στιπόθητοι ἀφῆς βερμιώδεα πῆλον,
  Φύρησαν Βάκχῳ στιζυγέες Χάριτες.
Πλῦτυ, καὶ πενίης κοινὸν κτέαρ· οἷς μὲν ἀνάγκης
  Σκεῦος, τοῖς δὲ τρυφῆς χρῆσι περισσοτέρη.

Quæ Carmina pro tironibus linguæ Græcæ ſic verto:

*Salve pulvis Surrentine ſcaber, ſed velut unguentum ſuavem odorem ſpargens,*
*Et Argilla, quæ mellis inſtar flaves magis, quam illa Pollentinorum.*
*Permittas, ut ex te præ ceteris confecta vinaria pocula optatiſſimæ*
*Trigeminæ Charites miſceant Baccho.*
*Divitiarum, & Paupertatis communis poſſeſſio, quibus equidem*
*Neceſſitatis vaſa, iiſdem deliciarum uſus ſatis luxurioſus.*

II. De qua vero Pollentia Poëta heic intelligendus ſit, quum multæ extent, non ſatis explicat; putamus tamen de illa in Liguria deinde exciſa, de cujus creta nunc etiam in pretio habentur, quæ conficiuntur vaſa, & vulgo *Majolica* dicuntur.

Alia vaſa menſurando Vino apta, quæ Cato de Re Ruſtica agens enumerat, Surrenti quoque confecta indicant Jureconſulti, præcipue Proculus Sabini Antagoniſta hac Labeonis, & Trebatj ſententia: *Qui Vinum Surrentinum in urnali-*

Cat. De Re Ruſt. cap. 10.

L. Qui vinum ff. De Tritic. Ol. & Vin. legat.

*nalibus habebat diffuſum, ut tibi Vinum legaverat in amphoris: omnia, illud quoque Vinum, quod in urnalibus fuiſſet, legatum fuiſſe Labeo, & Trebatius reſponderunt.* Urnalia hæc vaſa quid ſibi velint, exponit clariſſimus Antonius Auguſtinus, dicta nempe ab urna, ut ab amphora amphoralia, a Congio Congiaria. Amphora duas urnas capiebat.

Anton. Auguſt. Emendat. & opinion. l. 2. c. ult.

L. Quum vinum L. Vinum L. Vino ff. eodem.

Atque hæc de adjumentis Surrentino ſolo a Natura, ſeu ab æterno opifice traditis ſat ſit curſim indicaſſe. I nunc, & Peregrinio aſſentire ſine ulla conjectura aſſerenti, adeo felicem telluris partem recentius fuiſſe habitatam, & a Capuanis conſtructam; quaſi trunci fuiſſent, ac ſtipites antiquiſſimi Terræ incolæ, qui loca paluſtria, inamœna, infœcunda amœniſſimis, ſaluberrimis, fertiliſſimis prætuliſſent; illa incoluiſſent, hæc ſupra omnia & vepribus, ac dumetis veſtita, falcibus, raſtris, aratris impurgata, & inaperta reliquiſſent.

Peregrin. loc. cit.

# LIBER II.

## *De Civilibus Antiquiſſimis Surrentinis Structuris.*

RErum abundantiam, ac naturæ bona, quibus Surrentina regio ditata eſt, breviter percurrimus; cuncta enim complecti tam operoſum eſſet, quam ea, quæ pretioſiora, ac rariora ſunt ad vitam tuendam, proſequi; modo incolarum vetuſtatem, genus, indolem, publicorum ædificiorum magnificentiam deſcribere aggrediamur; in tertio libro Reipublicæ formam, initium, progreſſum, atque exceſſum, interitumque expoſituri.

## CAPUT I.

*Inquiritur primus Surrentinæ Urbis Conſtructor.*

Caraf. Iſtor. Napol. lib. 1. pag. 5. *Sorrento Città antichiſſima, e nobile edificata da'*

I. VEtuſtatem Surrentinæ Urbis quum omnes tam noſtrates, quam exteri fateantur: primordia tamen reperire, utpote rerum longe diſſitarum,

rum, difficillimum putant; quapropter aliqui ad fabulas confugiunt, alii ad incertos auctores; a recentioribus alii, antiquiſſimis omiſſis, rem hanc repetunt.

*Greci, come ſcriſſe Iginio, è detta Sirento dalle Sirene, che vi abitarono, la cui grandezza appare dagli antichi edificj &c.*

Surrenti antiquiſſima conſtructio.

II. Eruditiſſimus vir Pater Giannettaſius loci amœnitate, ac quiete mirifice delectatus hæc tradit: *Eſt autem Surrentum antiquiſſima Italiæ urbs, quam Græcum quondam ducem (& hunc Ulyſſem nonnulli fuiſſe putant) ædificaſſe ferunt. Hic, condito in Promontorj fronte Minervæ fano, quum deinde Surrentinos colles & ſoli ubertate, & ſitus amœnitate nobiles adſpexiſſet, ibi urbem poſuit, & a loci deliciis, & voluptatibus Surrentum appellavit. Annius in Pſeudo-Beroſo Saræ Regiæ mulieri originem tribuit; alii ab Oſcis, Opiciſque antiquiſſimis Campaniæ populis ortum habuiſſe veroſimile putant, a quibus plurima Campaniæ loca ædificata ſcriptores tradunt. Olim Picentinorum princeps, inde Campanis urbibus annumerata, & Neapoli, Capuæque, æmula, quibus nec amœninate, nec nobilitate ceſſit; immo Neapoli felicior, quod non unam, ſed plures Sirenes jactet. Vicinis Rebuspublicis non inferior; fuit & Romana colonia, & nobile municipium, ut vetuſta lapidum monimenta fidem faciunt. De illius admirabili ſitu, atque amœnitate plura in noſtris Æſtatibus, & Autumnis &c.* Ita præclara literatura expolitus vir breviſſime aliorum opiniones collegit, nullas diſcuſſit. Properanter etiam aliqua, & forte oſcitanter inſeruit. Nos ejus dicta, & ſcriptorum opiniones cunctantius, accuratiuſque examinan-

Nicol. Parthen. Giannet. in Hiſt. Neap. Dec. 1. l. 2. pag. 34.

Circa extructionem Surrentinæ Civitatis ſententiæ indicantur.

V

minantes, videamus primo, quanta fides adjungenda ſit Annio Viterbienſi, & illi ab eodem edito Beroſo Chaldæo: Quæ etiam Sara illa Regia mulier Surrenti extructrix. Poſtea de Ulyſſe inquiramus: num ipſe civitatem excitarit, an vero illo priores Sirenes? Deinde de Oſcis, Opiciſque: num auctores hi fuerint, primique fundatores civitatis? Tum, an Picentinorum Princeps fuerit ipſa civitas? Poſtremo nunquam Coloniam, ſed Municipium Romanorum extitiſſe firmabimus.

## ARTICULUS I.

*Nulla fides habenda Beroſi Chaldæi Hiſtoriæ evulgatæ ab Annio Viterbienſi. Commentitia eſt Reginæ Surrentinæ urbis excitatricis Aſſertio.*

V. Thom. Stanlej. in Hiſt. Philoſ. Orient. apud Pneumatolog. Jo. Clerie. tom. 2.

I. CHaldæos Orientalium omnium antiquiſſimos Sophiæ, Aſtronomiæque cultores fuiſſe ex Diogene Laërtio, Cicerone, Diodoro Siculo, Strabone, Suida, Joſepho Hebræo, aliiſque minime dubitandum. Ex illis enim prodiere Zoroaſtres, Belus, aliique. Sed Chaldæorum ſapientum poſtremus fuiſſe creditur Beroſus, qui primus in Græciam ſcientias invexit, præſertim Aſtronomiam; quapropter ei, ut tradit Plinius, *Ob divinas prædictiones Athenienſes publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuere*. De eodem mentio eſt apud Vitruvium, Joſephum, alioſque antiquos.

Plin. Hiſt. Natur. l. 7. c. 47. Vitr. l. 9. c. 7. Joſeph. Hebr. Antiq. l. 5. & contra Apion.

II. Ve-

II. Verum quo tempore floruerit, non ſatis conſtat, neque an plures fuerint Beroſi. Non deſunt qui illum faciant æqualem Moſi, quos merito rejicit Caſpar Barthius laudatus etiam a Stanlejo. Sanctus Juſtinus martyr in Paræneſi ad Græcos circa finem, de Cumana Sibylla hæc habet: *Hanc Babylone natam Beroſo, qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, ad Campaniæ oras neſcio quomodo perveniſſe ferant, ubi reſponſa dediſſe in urbe, Cumæ nomen eſt, ſexto a Bajis, (qui locus thermas Campanas habet) lapide vidimus.* Stanl. l.1. ſect.1. cap. 6.

Quum vero eam Sibyllam Tarquinio Priſco, vel Tarquinio Superbo libros ſuos obtuliſſe ſcriptum, ſeu potius fabulatum ſit, ex conſtanti fama ea Sibylla floruit circa annum ante Chriſtum natum 553., ſeu Periodi Julianæ 4181., & paulo ante illam annorum curriculo ejuſdem pater Beroſus Chaldæus.

At vero Tatianus ſancti Juſtini Martyris diſcipulus, a cujus doctrina poſt Magiſtri mortem diſcivit, laudatus ab Euſebio Cæſarienſi, inquit: *Beroſus vir Babylonius, idemque Beli, quod illorum numen erat, Sacerdos, qui Alexandri vivebat temporibus, in ea, quam tribus libris Antiocho poſt Seleucum tertio ſcripſit, Chaldæorum hiſtoria &c.* Euſeb. in Præp. Evang. l.1.c.11.

Cuinam ex Antiochis tres libros hiſtoricos nuncupaverit Beroſus, Antiocho ne Sotero, an Antiocho Deo hujus filio, anceps eſt Stanlejus. Geſnerus etiam in notis ad Tatianum cenſet, Beroſum vixiſſe non tempore Alexandri Magni, Philippi Stanl. l. 1. c.6.

Voſſ. De Hiſt. Græc.

Macedonis filj, ſed ejus Alexandri, qui in Syria regnavit poſt Demetrium. A Geſnero tamen acriter diſcrepat Gerardus Voſſius.

Ricciol. in p.2: Chron. præfix. ad Almageſtum novum.

Pater Jo: Baptiſta Ricciolus, poſtquam de Beroſo commemorato à Plinio verba feciſſet, ſubdit: *Cave hunc confundas cum antiquiſſimo illo, ſive hiſtorico, ſive fabulatore Beroſo, quem Euſebius in annum ante Chriſtum 1272. Orpheo, & Muſæo coævum confert.* Sed quis credat genuino Beroſo fabulatoris notam affigi poſſe? De quo diſertiſſimus Huetius ait: *Chaldaicæ Hiſtoriæ florentiſſimus ſcriptor Beroſus, quam ex vetuſtis quidem annalibus Chaldæorum collegit.* Rurſus haud recte memini, num alter Beroſus commemoretur ab Euſebio præter illum, de quo mentionem habet Tatianus, qui idem prorſus eſt, ac Beroſus Plinianus, de quo etiam Marshamus. Atque hunc ferunt antiquiſſimas ſiderum obſervationes CCCCLXXX. millium annorum demonſtraſſe Ariſtoteli, de quibus inquit Cicero: *Condemnamus ſtultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ qui CCCCLXXX. millia annorum, ut ipſi dicunt, comprehenſa continent.* Sed hæc Ciceronis verba cum Plinio minime cohærent tradente: *E diverſo Epigenes apud Babylonios DCCXX. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet gravis auctor in primis, qui minimum Beroſus, & Chriſtodemus CCCCLXXX. annorum.*

Petr. Dan. Huet. Demonſt. Evang. p. 1. prop. 4. c. 2. n. 10.

Marsham ad Seculum XVII.

Cic. de Divin. l. 1. edit. Paul. Manut. 1571. pag. 86.

Plin. Hiſt. Natur. l. 7. c. 56.

III. Quum vero extra aleam ſit, Beroſum aliquando floruiſſe præ aſtrorum peritia celeberri-

mum,

mum ; & propter Chaldaicam hiſtoriam commendatiſſimum, ejus tamen deperdita opera deſiderabantur ; quæ P. Johannes Annius, ſive Nannius Viterbienſis e Dominicana familia primum in lucem edidit cum aliis vetuſtiſſimis deperditis auctoribus, ac Ferdinando Catholico Hiſpaniarum Regi nuncupavit, ſedente in Romana Sede Alexandro VI.

Edita opera Criticorum mentes exercuerunt. Aliqui genuina, & autographa eſſe putarunt; alii ſpuria, & commentitia. Nonnulli vera, ſed interpolata. Quælibet pars patronos habuit validiſſimos.

V. Anton. Poſſevin. in Bibliot. ſelect. l. 1. c. 15., & 16., & Nuperrim. Scriptor. Gimma Idea dell' Iſtor. dell'Italia tom. 1. c. 3. alioſque.

IV. At vero poſtquam ea diligentiſſime excuſſit egregius Theologus, eruditiſſimuſque Dominicanæ quoque familiæ alumnus, & Canarienſis Epiſcopus, ac validiſſimis rationibus ut ſpuria improbavit, obſirmatæ impudentiæ eſt illa tamquam vera, & genuina recipere. Licet ego putem exorbitaſſe aliquantulum doctiſſimum Canum in repudiando Philone hiſtorico ab eodem Annio typis evulgato, ut fabuloſa habentem archiva quatuor Monarchiarum, quæ tuetur Annius in Philone, & Metaſthene.

Beroſi editio Anniana a Melchiore Cano exagitatur, & improbatur, ut etiam a Claudio Verderio in Anniani Beroſi Cenſura.

Melchior. Can. De Loc. Theolog.

Conſule Zerbelot. Bibliothecam Orientalem.

V. Quantum ad Beroſum adde, quod in ipſo puriſſimi Latini ſermonis conſultiſſimus vir Luſitanus advertit, ſcilicet verba fieri de civitate Lugdunenſi, quam poſt Julj Cæſaris obitum extructam fuiſſe liquet, adeoque multo poſt ipſum Beroſum, idemque fortaſſe ex Luſitano mutuatus notat Du-Pinus.

Cæſar. Varray in Dialog. cui Titulus : *Cenſura in quemdam auctorem, qui ſub falſa inſcriptione Beroſi Chaldæi circumfertur*.

Lud. Ellies Du-Pin Novelle Biblioth. tom. 1. Diſſer. Prelim. §. 4.

Inter

Gimm. Idea dell' Iſtoria dell' Italia tom. 1. cap. 3.

Inter eos autem, qui genuinum opus habent, eſt Pater Thomas Mazza, Hyacinthus Gimma, aliique; &, dum hæc ſcriptitabam, in lucem prodiit opuſculum eruditiſſimi viri De Antiquitatibus Viterbienſibus una cum nitidiſſima oratione Latina Apologetica pro Annio Viterbienſi, in qua hæc eloquentiſſime probanda proponit auctor de Annio: *Ajo igitur ab illo nihil ſuppoſititium, nihil dolo malo confictum. Ajo tantum abeſſe, ut finxerit, ut multa non intellexerit*. Cui quidem aſſertioni, Annium ſcilicet deceptum potius, quam deceptorem fuiſſe, facile aſſentior, contra quam ſentit collectaneus quidam ſcriptor, qui Annium impoſtorem facit fretus auctoritate Latini Latinj Viterbienſis ab Antonio Auguſtino relata. At neque Marianus, neque Tullius, aut Demoſthenes tuebitur unquam, verum, ac genuinum eſſe Beroſum ab Annio evulgatum, quod dilucide inferius patebit.

Franceſco Mariani Breve Notizia dell' Antichità di Viterbo.

P. Stefano Menochio nelle Stuore part. 5. c. 63.

Sapienter igitur Pater Giannettaſius Beroſum hunc Pſeudo-Beroſum appellat; minus recte tamen, quod de hoc Pſeudo-Beroſo refert circa conſtructionem Surrentinæ civitatis factam a Regina Sara, de qua re nihil prorſus apud Pſeudo-Beroſi textum, neque apud Annianas animadverſiones, vel notas datum eſt invenire. Rejecta ergo fabula de Sara Beroſiana ulterius perquiramus.

De Ann. Viterb. plura apud Patré Coronellum in Biblioth. Univer. tom. 3.

ARTI-

Digitized by Google

## ARTICULUS II.

*De Oſcis, Opicis, atque antiquioribus Campaniæ Incolis Pelaſgis.*

I. CIrca Oſcos, & Opicos, quos aliqui faciunt urbis Surrentinæ extructores, ut diximus cum Parthenio Giannettaſio, animadvertendum, non duas fuiſſe gentes, ſed quos Opicos Græci, Latini Oſcos dicebant ab oris fœditate, ut præcipue notat Feſtus, atque inde *oſcene loqui* ortum eſt. Sidicini poſtea appellati, teſte Strabone, quorum princeps urbs Teanum Sidicini cognomine nuncupata, ad differentiam Teani Apuli, cujus oppida plurima etiam memorantur apud antiquos: licet Virgilius Oſcos a Sidicinis diſcriminare videatur, dum populos Campaniæ ſub Eleuſo militantes enumerat, ideo fortaſſe, quod ab Oſcis Sidicini progeniti; Cecinit enim:

Qui Opici, aut Oſci an unus populus

Feſt. De verbor. Signif. verb. Oſcus

Qui Sidicini.

Virgil. Æneid. l. 7. v. 727.

*Et quos de collibus altis*
*Aurunci miſere patres, Sidicinaque juxta*
*Æquora, quique Cales linquunt, amniſque vadoſi*
*Accola Vulturni, pariterque Saticulus aſper,*
*Oſcorumque manus.*

II. Utquumque ſe res habeat, illud certe innuitur apud A. Gellium a Phavorino Philoſopho, non primos ſcilicet fuiſſe Opicos, vel Oſcos, aut Sidicinos, qui e Græcia in Campaniam advenere.

Digitized by Google

re. Is enim ad compeſcendum tumorem adoleſcentis cujuſdam, qui obſoleta, & rancida verba in communibus colloquiis uſurpabat, inquit: *Curtius, & Fabricius, & Coruncanus antiquiſſimi viri noſtri, & his antiquiores Horatj illi Trigemini plane, & dilucide cum ſuis ſabulati ſunt; neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelaſgorum, qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis locuti ſunt.* Aurunci igitur, Sicani, & Pelaſgi juxta Phavorinum, aut Gellium omnium primi in Italiam advenerunt: ita tamen ut Phavorini verba oratorio more incrementum ſumentia ab antiquis ad antiquiſſimos perveniant.

A Gell. Noct. Attic. l. 1. c. 10.

Aurunci, Sicani, & Pelaſgi antiquiſſimi Italiæ Incolæ.

III. Auruncos eoſdem eſſe, atque Auſones, qui Italiæ, ſive Auſoniæ nomen fecerunt, diſertiſſime docet Feſtus. Neque de illis Auſoniis intelligendus, qui prodierunt ex Ulyſſis, & Circes filio Auſone: ſed ex illo, qui ex Atlante, & Callypſo natus fuit, ut memoriæ proditum eſt. Atlantis vero ætatem Euſebius ſtatuit anno 431. poſt natum Abraham, hoc eſt, anno ab Orbe condito 2379. licet Petavius putet regnare cœpiſſe anno 2346. Theodorus vero Krickius anno periodi Julianæ 3146. hoc eſt, Orbis conditi 2416. ante primam Olympiadem 792. At vero modo conſtabit, Pelaſgos anteriores fuiſſe Auruncis, Auſonibuſque, qui utramque Lyris ripam occupaſſe dicuntur; & ab Opicis, & Oſcis minime diſtinguendos, neque ab iis, qui Aborigines a Dionyſio Halicarnaſſeo, aliiſque nuncupantur.

Feſt. De Verbor. ſignificat. verb. Auſonia.

Euſeb. in Chron. cap. 1. & 2.

Krick. De Prim. Ital. Colon.

Dionyſ. Halicar. Roman. Antiquit. lib. 1.

IV. De

IV. De Sicanis memoratis ab A. Gellio fertur, hos ex Hiſpania ſub Duce Siculo primum in Siciliæ inſulam adveniſſe, teſte Servio, & Solino, ſed nimis oſcitanter, & inſcite; Siciliam enim multo ante Siculum Ducem habitatam fuiſſe conſtat ex Thucydide, Diodoro Siculo, Dionyſio Halicarnaſſeo, aliiſque, qui ſcriptum quoque reliquerunt, Siculos, ſive Sicanos partem aliquam Latj occupaſſe; unde ab Opicis expulſi fuerunt. Cum illis vero Sicanis multi ex Opicis commiſti in Trinacriam abierunt; quo etiam quamplures e Phœnicia appulerunt ita, ut in una, eademque inſula triplex adhiberetur ſermo; quapropter Lucius Apulejus trilingues Siculos dixerit. Plato vero verebatur, ne nimium adauctis Phœnicibus, vel Opicis in alterutrius harum gentium poteſtatem lapſura foret Sicilia, & in Græcæ prorſus linguæ oblivionem.

Solin. in Polyhiſt. Serv. in lib. 7. Æneid. v. 328.

Plat. epiſt. 8. ad Dionem.

V. At vero Pelasgos, quos ultimo loco ex priſcis Latj incolis commemorat Phavorinus apud Gellium, primos e Græcia in Italiam adveniſſe docet Plinius his verbis: *Latium antiquum a Tiberi Circejos ſervatum M. paſſuum longitudine L. Tam tenues primordio imperj fuere radices, colonis ſæpe mutatis, tenuere alii aliis temporibus Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.* Clarius paulo poſt idem auctor Italiæ XI. regiones juxta diviſionem Auguſti deſcribens, inquit: *A Silaro regio tertia, & Ager Lucanus, Brutiuſque incipit, nec ibi rara incolarum mutatione. Tenuerunt eam*

Plin. l. 3. c. 5.

Dionyſ. Halic. l. 1. Antiq. Rom. vult Pelasgos adveniſſe in Italiam poſt Aborigines.



Digitized by Google

Macrob. Saturn. l. 5. circa finem. *Pelaſgi, Oenotrii, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maxime populi*. Macrobius quoque Anagninos a Pelaſgis oriundos facit, Duce Hernico.

VI. Porro Græcorum patrem fere omnes cum Euſebio faciunt Javan filium Japhet. Hujus aliquem nepotem per Cethim natum Jovem ab atavo appellatum fuiſſe, a vero non abſimile remur: ſed plures fuiſſe Joves fere omnes conveniunt ex Tzetze, Iſacio, Pauſania, qui a Græcis Reges omnes Joves dictos fuiſſe tradit; antiquiſſimus tamen omnium habetur ille, quem Athenis regnaſſe, pluresque mulieres compreſſiſſe ferunt, aut potius fabulantur; is ex Niobe Pelasgum ſuſcepit, teſtante Dionyſio Halicarnaſſeo. Pelaſgos a Rege Pelasgo Jovis, & Niobes ex Phoroneo natæ nomen ſortitos.

V. Natal. Comit. in Mytholog. De Jove.

VII. Quod ſi Chronologiam eorum adventus ſcrutari libuerit, audiamus primo Diodorum Siculum, (qui omnium primus inter hiſtoricos Græcos fabulis abſtinuiſſe creditur) hic de Gallis Tranſalpinis verba faciens ait: *Galli, qui Tranſalpinas Italiæ regiones habitabant, validis clauſtra illa copiis tranſgreſſi terras inter Apennini, & Alpium juga occuparunt, Tyrrhenis, qui illic habitabant, ejectis. Hos nonnulli ex duodecim Tyrrheniæ oppidis eductos tradunt. Alii Pelaſgos eos faciunt, qui ante belli Trojani tempora Deucalionis a Theſſalia diluvium fugientes ibi locorum conſederint*.

V. Melchior Can. De Loc. Theolog.

Diodor. Sicul. Bibliot. Hiſt. l. 14. & l. 1. c. 38.

Deucalion vero regnare cœpit anno orbis con-

Juxta Petav. De Doctrin. Tempor. l. 13.

conditi 2442. poſt cœptum regnum anno 28. contigit famigeratum illud diluvium, teſte Sancto Clemente Alexandrino, qui rei notitiam ſe accepiſſe tradit ab antiquiſſimo Chronologo. Itaque juxta hunc computum Pelaſgi in Italiam venerunt anno mundi 2470. & ante Trojanum excidium 330.

S. Clem. Alexandr. l. 1. Stromat.

Verum in rebus adeo involutis, ac tenebricoſæ antiquitatis obſcuritate ſuffuſis, in quibus ſacræ Scripturæ Cynoſura non ducimur, antiquorum profanorum auctorum, qui deperierunt, luce carentes nutamus.

VIII. Ipſe etiam Dionyſius Halicarnaſſeus Romanarum antiquitatum ſolertiſſimus ſcrutator, qui deperditos vetuſtiſſimos libros Porcj Catonis, inter primos urbium Italiæ conſtructores colligentis, & Caj Sempronj, aliorumque vidit, diſſidentes etiam ſententias narrat. Omnes tamen conveniunt Græcos primum in Italiam trajeciſſe, *& ex iis, qui Achajam aliquando incoluerant, multiſque commigrarunt* ( verba ſunt Dionysj Latine facta ) *ætatibus ante Trojanum bellum, non ulterius tamen definiunt, neque Græci generis, cujus fuerint, neque urbem, ex qua profecti, neque tempus, neque migrationis Ducem, quave uſi fortuna, ſedes patrias reliquerint. Verum Græca uſi fabula ne unum quidem eorum, qui Græca ſcripſere, auctorem adhibuerunt. Veritas igitur in occulto. Sin autem eſt ſermo eorum verus, non alicujus utique generis coloni fuiſſent, quam ejus, quod nunc Arcadicum dicimus,*

Dionyſ. Halicarn. lib. 1.



Digitized by Google

*neque hi Græcorum primi ſinum Jonium trajicientes Italiam incoluerunt ſub Oenotrio Lycaonis filio, qui quartus erat ab Ægeo, & Phoroneo, qui primi in Peloponneſio regnarunt. Nam Phoroneus quidem Niobes pater fuit, hujus autem & Jovis filius, ut dicitur, Pelasgus; Ægeique filius Lycaon alter, Lycaonis Oenotrius decem, & ſeptem ætatibus ante Trojam obſeſſam. Hoc enim tempus erat, quum colonos in Italiam miſerunt Græci*. Dehinc hujuſce migrationis cauſſam ſubdit Dionyſius, quod ſcilicet Lycaonis 22. extarent filii, quibus Arcadia dividenda ſupererat, Oenotrio pars, quæ ei contingebat, anguſta nimis videbatur; quare alias petiit ſedes.

Quot annos complectatur unaquæque ætas vide apud laudatum Krickium.

IX. Ex hac Dionysj diligentiſſima diſſertatione illud firmiſſimum educitur, Italiam a Græcis variis temporibus huc advenientibus frequentem, ac incolarum plenam fuiſſe factam, præcipue a Pelasgis, qui ex Peloponneſo, modo *Morea*, migrarunt. Verum enim vero quum hæc eadem exagitans Dionyſius in dubium revocet, num veri aliquid ſapiant eorum opiniones, qui homines æternos faciunt, aut e terra veluti fungos prognatos. Horum errores vel naturali ratiocinatione heic mihi in animo eſt profligare.

ARTI-

## ARTICULUS III.

*Probatur, Homines neque æternos eſſe potuiſſe, neque ſponte e terra natos.*

I. MUndum, totamque rerum univerſitatem in tempore fuiſſe creatam facillimo negotio evincet Chriſtianus Theologus, poſtquam libros Moyſis divinæ auctoritatis eſſe, argumentis evidentis credibilitatis demonſtraverit; non difficiliter rem etiam naturali ratiocinatione probari poſſe adverſus Atheos, & Scepticos, vel Academicos puto; idque breviſſime ita: Omne, quod a ſeipſo non extat, ſed ab agente cauſſa realiter diſtincta, nequit eſſe æternum: utcumque producatur ſive per imperium, poteſtatemque voluntatis creantis, ſive actione, momento, vel tractu temporis abſoluta. Si enim aliter ſentias, caveſis, ne Divinam Ideam æternam Mundi cum opere ipſo confundas, atque miſceas, quæ duo maximopere ſunt diſtinguenda; illa enim ejuſdem ſubſtantiæ eſt cum artifice, æternoque rerum parente, & Verbum Dei appellatur; hoc ex ea, & per eam effectum, adeoque poſterius. Quocirca Ethnici Philoſophi, qui Mundum æternum per errorem aſtruunt, cohærenter Mundum ipſum Deum eſſe ingenitum, & a ſeipſo, contendunt, ut videre eſt præſertim apud Lactantium; abſurditatem enim, Lact. De Origin. Error. c. 5. & 6.

ac

ac repugnantiam implicare rebantur dicere unam eandemque rem originem trahere, & ſine origine, hoc eſt, æternam eſſe.

Porro hominem non poſſe eſſe a ſeipſo ſatis apertum eſt. Quod enim a ſeipſo eſt, & nemine prorſus, ut ſit, indiget, id omnes, infinitaſque perfectiones a ſeipſo nullius indigum obtinere poteſt, ut apertiſſimum eſt: humanum vero genus nedum infinitis caret perfectionibus, ſed ſummis imperfectionibus ſcatet, & plurimis malis, ærumnis, anguſtiis, horridæque morti a principio obnoxium fuit. Non igitur a ſe eſt, neque proinde æternum. Moleſtiſſime heic fero, S. Thom. 1. p. quæſt. 46. art. 2 quod a Scholarum Choriphei, & incomparabilis Theologi S. Thomæ Aquinatis opinione diſſentiam, qui putat: *Mundum non ſemper fuiſſe, ſola fide teneri*. Et paulo poſt: *Unde demonſtrari non poteſt, quod homo, aut Cælum, aut lapis non ſemper fuit*. Sed tanta apud me vis rationis, ut etiam ab excellentiſſimis magiſtris deflectere interdum ſuadeat; eo magis, quod animadvertam, a tanto magiſtro in hoc negotio aliqua ex parte diſcedere præcipuum ejus enarratorem Cajetanum, qui monet Thomiſtas, atque hortatur, ut *cauti ſint in concedendo mundum potuiſſe eſſe ab æterno*. Exiſtimamus proinde plura fide teneri, quæ naturali ratiocinatione demonſtrari evidentiſſime poſſunt; quum ſcilicet propter revelationem aſſenſum præbemus nihil ad rationem attendentes; atque ita fide credimus Dei perfectiſſimi exiſten-

tiam:

tiam: animam humanam ſpiritualem, & immortalem eſſe, &c. quæ naturali ratiocinatione ipſa optime adhuc demonſtrare aliqui ad præſcriptum V. Lateranenſis generalis Concilj conati ſunt, ita pariter, & mundum non eſſe æternum fide divina docemur, nec poſſe eſſe æternum demonſtramus.

II. Sed rurſum aliam demonſtrationem profligantem mundi æternitatem ipſa S. Thomæ principia ſuppetunt, qui ex Boëtio definit æternitatem, ut ſit *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Itaque quod in æternitate conditum eſt, indiviſibiliter, & ſine temporis ſucceſſione ut permaneat, opus eſt. Quapropter ſi fingas nullum diviſibile tempus fuiſſe a Deo creatum, adhuc quod in indiviſibili æternitate creatum eſt, duraret. Non aliter atque ſubſtantia ſpiritualis partium, vel quantitatis expers nullo extante loco exiſtere poſſet; quod ſi ita, in æternitate, & ipſo Deo coævus mundus indeſtruibiliter prorſus perſeveraret, & perinde indeſtruibilis eſſet, quod aſſertum divinæ prorſus omnipotentiæ adverſatur. Igitur omne, quod a Deo creatur, diviſibili tempore, non indiviſibili æternitate efficitur, niſi velis contradictoriis locum facere, & aſtruere cum magni nominis recenti Philoſopho Deum efficere poſſe, ut idem ſimul ſit, & non ſit. Quod & mentis ratiocinationem evertit, ipſamque auctoris tamdiu, ut ferunt, elaboratam Philoſophiam, ut alibi patefecimus.

S. Thom. 1. p. quæſt. 10. art. 1.

Renat. Des-Chartes in Epiſtol.

III. Poſt-

III. Poſtquam demonſtravi, neque hominem, neque aliud quidpiam præter Deum poſſe eſſe æternum, facilius erit evincere, primos homines nequaquam potuiſſe a terra gigni, atque in lucem educi, ut nonnulli antiqui Philoſophi autumarunt, qui Dionyſium Halicarnaſſeum in hoc negotio ancipitem, & dubium reddiderunt. Homo quidem animal eſt præſtantiſſimum, & rationis capax: Tellus autem rationis expers; evidentiſſimum vero eſt a nemine tradi poſſe, quod nullo prorſus modo continet neque actu, neque virtute, quod principium niſi apprime teneas, omnis tibi veritas elabetur.

Homines e terra natos fuiſſe voluit Abydenus Rerum Aſſyriarum ſcriptor apud Euſebium l.9. Præpar. Evang. & penes S.Cyrillum Alexandrinum lib. 1. contra Julianum.

IV. Impetum hujuſce rationis frangere fortaſſe conarentur antiqui illi Philoſophi, qui homines e terra prognatos faciunt, primo dicentes, Tellurem ipſam interiori ſpiritu informari, ac mente cieri.

Virgil.

*Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Quo tamen non retunditur ictus; ſi enim pro mente illam molem agitante æternam, increatam, omnipotentem indicas mentem, & undequaque infinite perfectam, ex ea, juxta præcedentem demonſtrationem, opus eſt, ut prodierit inſenſata tellus, atque intelligentia carens, ineptaque proinde ad producendum per ſe ſenſitivam, & multominus intelligentem ſubſtantiam, ut etiam viventes plantas, & olera ſine ovis, ſeu ſeminibus.

V. Ve-

V. Verum Timæus ille Locrenſis, &, qui illum excepit, Tullius, putarunt fas non eſſe ab optima, & probiſſima mente fieri niſi pulchrum, & optimum, quumque non intelli- „ genti intelligens præſtet, decuiſſe pulcherri- „ mum mundum intelligentem fieri, & animum „ includi in corpore, in animo mentem: atque „ ita pulcherrimum mundum animal eſſe nemini „ quidem eorum, quæ nobis nota ſunt ani- „ mantia, ſimile; quod hæc ſive homo, ſive pe- „ cudes, inchoata ſint potius, non abſoluta; quod „ autem perfectum, pulchrum, & omni ex parte „ abſolutum imperfecto haud ſimile eſt; quocir- „ ca homines, & bruta animantia imperfecta, „ & partes pulcherrimi Univerſi maximi, abſo- lutiſſimique Animalis eſſe ducunt, e quo Deos natos faciunt, & Lares, quos δαίμονας Græci appellant.

V. Platon. in Dialog. inſcripto *Timæus*, & Tullium De Univerſitat.

VI. Hanc quoque falſiſſimam opinionem heic proſternere naturali ratiocinatione non abs re erit. Peto enim, quorſum hanc univerſalem mentem creatam obtrudere? Nonne ſatius eſt putare, mentem increatam, & infinite ſanctam, & probam per ſe omnia curare? quemadmodum ſanctior eſt, ac probior princeps ille, qui per ſe negotia expedit, quam qui per adminiſtros. An dubitaveris fortaſſe defatigatum iri mentem illam infinitam tot occupationibus diſtentam? quemadmodum Epicureus Lucretius cecinit:

*Omnis enim per ſe Divûm natura neceſſe eſt*

*Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,*
*Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.*

Cui ſententiæ Sinenſes Athei accedunt. Sed ſic eſt Ethnicorum Philoſophorum cæca caligo, ac tenebræ, ut infiniti intellectus infatigabilem aciem noſtro homuncionum imbecilli ingenio metiantur.

Magis mirum, Chriſtianos Philoſophos non didiciſſe ab eorum erroribus ſecedere. Perſimile enim eſt quod Anglus recens ediſſerit de natura, putans creatam inſenſibilem eſſe, atque corpoream, quæ potentia obedientiali omnia a mente demandata perficiat: tum ut exponat quî fiat, ut voluntas creata, quæ nec tangere, nec urgere poteſt corpus, virtute locomotiva polleat (quam actionem ſummo rerum opifici A. Malebranche ad nutum mentium creatarum immediate tribuit) cum ut Deum quieſcentem, & nullis negotiis perturbatum faciat. Sed non vacat ſententiarum tot monſtra refellere; quibus protinus evellendis a nobis indicata ſatis conferunt. Modo concludendum, non niſi a mente increata & Tellurem ſine mente, & hominem rationis participem, & cetera cuncta creata fuiſſe, Philoſophice quoque probari.

R. Cudvvorthus apud Cleric. in Biblioth. ſelecta tom. 2.

VII. Quid etiam, quod ſi Tellus initio hominem producere valuit, cur non etiam maturius producit? Quid? Modone effæta facta eſt? An non commentitiam prorſus, atque ridiculam habebimus Etruſcorum illam perſuaſionem

a Tul-

a Tullio relatam? qua *Tages* quidam dicitur in agro *Tarquinienſi, quum terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repente, & cum eo affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia: ejus aſpectu dum obſtupuiſſet Bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, totamque brevi tempore in locum Etruriam conveniſſe: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia verba exceperint, literiſque mandaverint: omnem autem orationem fuiſſe eam, qua Haruſpicina diſciplina continetur*. Memoratam fabellam pluribus irridet eo loco Tullius. Cic. De Divin. l. 2. pag. 119. editionis Aldi.

De eodem Tage mentio apud alios antiquos ſcriptores. Servius libros de Haruſpicina, & Sacris Acheruntiis ſcripſiſſe tradit; quod tamen allatis Tullj verbis liquido adverſatur, quibus conſtat, Etruſcos ipſos, quæ a Tage acceperunt literis commendaſſe. Serv. in Æneid. lib. 10.

Putant plerique, Tagem illum malignum aliquem ſpiritum fuiſſe juvenili ſpecie indutum, ut homines futurorum cupidos Haruſpicina, Extiſpicio, Magia, Sortibus, Incantationibus, Judiciaria Aſtrologia, aliiſque vetitis divinandi generibus nequiſſimis præceptis juvaret; quem e terra, non e Cœlo dilabi Deus O. M. permiſit, ut minus deciperet. V. Gerard. Jo: Voſſ. De Origin. & progr. Idololatr. lib. 1. cap. 40.

Ego potius fabellam hanc Tagis e tellure proditi puto, qua callidi urbium ſtructores ex Tito

 Livio

Liv. Hiſt. lib. 1. paulo poſt init.

Livio *obſcuram, atque humilem conciendo ad ſe multitudinem, natam e terra ſibi prolem mentiebantur*. Quos imitatus eſt Romulus, quum aſylum aperuit.

At quandonam ſimilibus quiſquiliis moliendis, excogitandiſque defuit ætas? nedum a Græcis, Latinis, Italiſque poëtis Larvas, Lares, Lemures, Dryades, Napæas, Nymphas commentas invenies, de quibus longa colloquia habent vetulæ noſtræ prope ignem ſtamina nentes, & vulgo Italice generatim *Monacelli* appellantur; verum etiam rigidi cujuſdam Regularis ingens volumen legiſſe memini Hiſpano ſermone exaratum, *De los Duondos*, cujuſmodi viſa illa Hiſpani appellant, qui contendit animantia eſſe ex putri nata; atque in hujuſmodi nugis gravis ille Regularis bonas horas terebat.

Plin. Hiſt. Natur. l. 5. c. 16. & 17. Solin. in Polyhiſt. c. 35.

VIII. Neque rurſus te decipiat Plinj, ejuſque pediſſequi Solini de Eſſenis occidentalem partem Aſphaltitis lacus incolentibus narratio, gentem appellantium *ſolam, & in toto orbe præter ceteras miram, quod ſine ulla femina, Venere abdicata, multa annorum millia perpetuo duraverit*.

Non enim hæc dicunt, quaſi inter ampliſſimum Eſſenorum cœtum homines non ſeneſcerent, neque perirent, aut infantes ſponte orirentur; ſed quod in dies ad illorum inſtitutiones, & vitam ſectandam novi homines convenirent, atque in deſideratorum locum ſufficerentur.

Plura de Eſſenis, quos ſanctus Epiphanius Oſſe-

Oſſenos promiſcue appellat, Joſeph, & Philo Judæus, qui miris laudibus eorum ſeveram moralem Philoſophiam extollit, caſtitatemque, quam devovebant, & a vitæ ſanctimonia nomen illis factum eſſe docet. Cujus auctoritatis oblitus Pater Auguſtinus Calmet nominis etymon ignorari perhibet; de quorum etymologia abunde Salmaſius. Cardinalis Baronius Chriſti Evangelium eos ſine cunctatione ſuſcepiſſe putat.

S. Epiphan. adverſus Hæreſes l. 1. hæres. 10. & 19. Joſeph. De Bell. Jud. l. 2. c. 8. & Antiq. l. 1. c. 14. Phil. in lib. cui titulus: *Quod liber ſit, qui virtuti ſervit.*

Baron. tom. 1. Annal. in Proleg.

Arctiſſimis ſane, & rigidiſſimis Monachis, vel Regularium familiis præ vitæ inſtitutione comparandi. In eo tamen decepti, quod dominatum omnem execrarentur, præſentibus Anabaptiſtis Hæreticis præcinentes. Tempore abeunte molliores evaſerunt ita, ut ex eis caſtitatem non amplius voverent, ſed ducerent uxores. Atque hæc, quæ diximus ad elevandam Plinj, & Solini auctoritatem, ſatis pro tempore ducimus.

IX. Præterea nedum hominem mente, ac ratione pollentem, ſed nullum animal e terra gigni poſſe firmabunt recentiores Philoſophi, qui abolita antiqua diſtinctione animalium oviparorum, viviparorum, & ſponte naturæ venientium, omnia ex ovo naſci validiſſimis experimentis detexerunt: ova vero partim intra femellæ uterum, partim extra excludi. Quæ quidem Bruta ſenſu quum polleant, ſeu anima ſentiente, nequeunt eam obtinuiſſe a ſenſationis experte Tellure.

Inventum Pauli Olivæ excitum a Franciſco Redi, Harvejo &c.

Neque ulla experientia, aut ratio juvat Philo-

V. Antonianam Margaritam, & Renat. Des. Chartes.

* Pardies P. Daniel in Itinere per Mundum Charteſi, aliique De Brutorum animabus tractantes.

Philoſophos illos, qui bruta mera automata faciunt; in quos merito invehitur optimus Anatomiſta Isbrandus de *Diermeimbroich*, aliique doctiſſimi * viri.

X. Creatum igitur hominem eſſe in tempore, naturali etiam ratione conſtat; idemque perſuaſum fuit antiquiſſimis quoque pleriſque Ethnicis; quod ad Moſis vetuſtiſſimos omnium libros, præcipue ad Geneſim animum appulerunt. Hinc divinam ejus, quam hauſerunt, ſapientiam magna ex parte imitati ſunt, ut Euſebius de Præparatione Evangelica indicavit, & ſanctus Juſtinus Martyr, aliique, & in libris de perenni Philoſophia abunde docuit clariſſimus Epiſcopus Eugubinus Auguſtinus Steucus, cujus felicem audentiam, & patefactam viam ingreſſi ſunt Gerardus Jo: Voſſius, Daniel Huetius, Samuel Bochartus, aliique; quare nos e ſacra Scriptura antiquiſſimos Campaniæ cultores repetemus.

## ARTICULUS IV.

### *De Diluvio quædam libantur opportuniora.*

I. HOminum, cunctarumque rerum creatarum æternitatem naturali etiam ratione profligari poſſe, jam diximus. Peculiaria vero creationis, quod ſcilicet a Deo ex limo terræ in Terreſtri Paradiſo formatus fuerit homo &c. ſola fide aſſequimur. Sic etiam nulla ratiocinatione crea-

creata animantia communi cataclyſmo periiſſe omnia præter octo animas ex hominum genere, & ex animantibus brutis mundis, ut e volatilibus quatuordecim cujuſlibet generis, ex immundis uniuſcujuſque generis quatuor, quæ in Arca Noëmi a communi naufragio, exitioque divina providentia erepta fuerunt, ſola fide divina obtinemus. Geneſ. c. 7. v. 2.

II. Quinimmo univerſalis illa, immaniſque aquarum diluvies, quæ quindecim cubitos altiorum montium exceſſit cacumina, ex humana ratione ſummas patitur difficultates, ut etiam quod quadraginta dierum ſpatium ad tantam aquarum excretionem juxta Phyſica experimenta non videatur ſufficiens. Quas difficultates ut quidam declinarent, literali Scripturæ ſenſu abjecto, ad figuras, & myſteria confugerunt. Alii aquas firmamento ſuperiores in terram defluxiſſe putant; priores incredulitatis nota inurendi, ſecundi Phyſices inſcitia. Omiſſa enim indagine centri gravitatis ſuperiorum illarum aquarum, & ſtatuto terræ centro pro centro totius Univerſi, methodum tradidit Galileus calculandi tempus, quod gravia proportionaliter accelerata in deſcenſu e Cœleſtibus regionibus impenderent. Computum abſolvit celebris Mathematicus Neapolitanus, dimenſa diſtantia ſingulorum planetarum a terra ex parallaxi, & facta conjectura diſtantiæ fixarum, reperitque quamplurimos annos ad gravium deſcenſum intercedere oportere; quod quidem temporis ſpatium ad caſum earum aquarum e Cœlo requi-

V. S. Auguſt. De Civit. Dei lib. 25. cap. ult.

Galil. della Nuova Scienza Dialog. 3.

Antonius Monforte.

requiſitum ſacræ Scripturæ videtur omnino contrarium.

Thomæ Burnet. De Terra antediluviana ſyſtema

III. Thomas Burnetius Anglus, ut naturalium aquarum Diluvj cauſſas exponeret, novam Telluris theoriam excogitavit. Antediluvianam tellurem ovalis figuræ ſine ulla montium ſcabritie, ſed apprime levigatam poſuit exteriore cruſta ſolida, duraque, interius liquido humore refertam; ac proinde terram a priſcis ovo comparatam fuiſſe arbitratur. Calore Solis deinde diſſoluto, ac diſrupto cortice, ac veluti putamine, in ima circa centrum ruentes partes graviores, liquidam illam materiam ſupra, & circumquaque impuliſſe; quod ſyſtema exorſus eſt, ut ipſemet dicit, ne extraordinariam, & miraculoſam Dei providentiam in cataclyſmo inveheret juxta doctrinam S. Auguſtini diſertiſſime docentis circa hoc negotium refellendos eos, qui dicunt aquarum naturam ſuper Sidereum Cœlum exiſtentium non potuiſſe in terram fluere ſine Dei miraculo recurrendo ad Dei omnipotentiam.

S.Auguſt. De Geneſ. ad liter. l. 2. cap. 1.

Verum quamvis adeo ſcrupuloſus hic Auguſtinianæ regulæ circa pondus aquarum propugnatorem ſe acerrimum prodat: tamen per totam ſuam Theoriam non modo ſanctum Doctorem deſerere, ſed etiam ei maxime adverſari quiſque animadvertit.

Burnet. in Theor. Tellur. cap. 2.

IV. Hoc ſyſtema a ſacra Scriptura petitis argumentis refellerunt plures; quod etiam ad ſolius Matheſis, & Phyſicas leges provocatum, labo-

laborare, & corruere animadvertes. Duo enim inter multa commentitia aſtruit auctor hic. Primævam ſcilicet antediluvianam Terram per Eclipticam annuo motu delatam axem ſuum ſemper parallelum axi ipſius Eclipticæ ſervaſſe, proindeque continuo eumdem ſitum, ſive aſpectum ad Solem tenuiſſe, ab ejuſque radiis perpetuo eodem modo percuſſam anni viciſſitudines minime paſſam fuiſſe. Verum etſi Terræ motum diuturnum, annuumque quiſpiam admiſerit, locumque Soli dederit (quod abſit a viro Catholico) in centro Univerſi, adhuc Burnetio ratio reddenda ſupereſſet, cur axis ſui parallelismum cum axe Eclipticæ Terra in parallelismum cum axe Mundi deinde mutaverit.

Alterum ejus importabile commentum eſt figura illa ovalis Terræ cum ſuperficie, vel cruſta levigatiſſima, quæ ad animalium nutritionem fuiſſet prorſus inepta, præcipue dificientibus vallibus, montibuſque; unde irriguæ aquæ dimanant, & opportunæ umbræ captantur. Cui objectioni, ut occurreret auctor, figmento figmentum addit, imaginaturque, circa Polos mundi in ovali illa Terra uberius pluvias, gradineſque decidiſſe, ac pruinas, glacieſque concreviſſe, quæ omnia diſſoluta in flumina, irriguoſque Euripos defluere potuerunt, Æquatoremque terrenum verſus labi, tanquam in partem Terræ centro proximiorem, ut patet ex natura ovalis, vel ellypticæ figuræ, in qua *Maxima Ordinata*, Idem l. 1. c. 4. & lib. 2. cap. 5.

Z ſive

ſive axis minor omnium linearum a ſuperficie ductarum ad centrum breviſſima eſt.

Prope Æquinoctialem vero labentes aquæ languidiori motu lapſuræ fuiſſent, & propter minus profundum alveum facile in irriguos fontes abituræ; ut nunc quoque ingentia flumina prope litora retardato curſu, & pluribus diſpertita ramis in mare influunt.

Omnia hæc, ut ſpecioſa fortaſſe ignaris, ita ſcitis mendoſa videntur. In primis enim Terram a ſuis incunabulis contra naturales Creatoris leges compactam fuiſſe imaginatur; gravia namque, quæ verſus centrum ruunt, naturaliter in orbis formam, non in ovalem ſeſe diſponunt.

Deinde aquæ illæ defluentes e Polis Terræ in Æquatorem curſum non ſiſterent, ſed propter adeptam in declivitate accelerationem, impetumque oppoſitum Polum verſus irrumperent, conſcenderentque; quemadmodum e ſublimi projecta gravia, & in duram, imperviamque Terræ ſuperficiem incidentia, licet centro proximiora, non tamen quieſcunt, ſed reſiliunt. Quapropter optime Galileus notavit, quod ſi concipies Terræ diametron perforatam uſque ad utramque Terræ ſuperficiem, per eam injectum lapidem non in centro acquieturum, ſed propter acceleratum impetum verſus Antipodas progreſſurum, prope quos retardato motu iterum verſus centrum, & exinde verſus ſuperficiem, unde dejectus fuerat, proſiliturum, totieſque iteraturum motum, donec amiſſo impe-

tu,

tu, tandem in centro quieſceret; neque aliter defluentibus e Polo aquis contingeret.

Quid? quod addit Burnet flumina, ad maris litora curſum compeſcere, quæ motum ſuum potius accelerant, ubi impingunt in anguſtiores alvei ſectiones; retardant vero ubi ſunt latiores, quemadmodum a doctis viris exploratum eſt. Nilus autem, & alii fluvj ideo in plures rivos diſpeſcuntur, quod a maris fluctibus impediantur, & tanta vi repellantur, ut propterea in partes, & rivos ſcindi neceſſe ſit, quemadmodum vel multo impetu in terram dejectus lapis, vel e ſublimi deſcendens alliditur, & in fruſta ſcinditur.

V. Benedict. Caſtellum & *Dominicum Gulielminum* De Aquar. fluent. Menſura.

Prætereo quod ipſi auctoris ſyſtemati de Terra ovali, & præ motu nullis temporum varietatibus obnoxia, ſed ſemper eodem aſpectu ad Solem verſa, ingentes illæ pluviæ, grandines, glacieſque ad Polos minime congruunt; quinimmo in hoc negotio ſecum ipſe diſcrepat. Verum omnia perpendere contra hunc auctorem non vacat.

V. Redeamus modo ad ejus hypotheſim de Terra cataclyſmo diſrupta, quam ut tueatur, ad omnium antiquorum Sophorum doctrinam perperam provocat; nam ex iis, quæ ſuperius diximus, Socrates, vel Plato in Phædone longe aliter ſentit.

VI. Burnetio ſane quodammodo favere videntur Geneſeos locutiones, quibus dicitur: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. Adducere etiam potuiſſet carmen illud Sibyllæ apud Lactantium:

Geneſ. c. 7. v. 11.

Ἐξ ὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο Θεοῖο
Αὐταῖσι πολίεσσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν.
Γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Lactant. Firm. lib. De Ira Dei c. 23.

Hoc eſt: *Ex quo quum fecerit commemorare Cœleſte Numen ipſis civitatibus, hominibuſque omnibus, Terram obruit mare, diluvio rupto.*

Sed parum præſidj ex his, tum ob dubietatem Sibyllarum, tum quia diſruptio illa abyſſi pars fuit aquarum, quæ Terram abſorbuerunt aliæ ab iis, quæ a Cœli cataractis, ſive e nubibus deciderunt.

De Sibyll. V. Opſopeum, Voſſium &c.

VII. Alii, ut rem abſolverent naturali methodo, diluvium illud non generale, ſed peculiare Syriæ Palæſtinæ ſomniarunt. Hujuſce erroris præcipuus patronus fuit auctor Præ-Adamitarum, cujus opuſculum ſuppreſſo nomine prodiit in Belgio; verum detectus auctor anno 1655. *Iſaacius Peyrerius Principis Condæi a ſecretis* Romam venit, ubi cum impiam ſectam Calviniſticam, tum etiam opus de Præ-Adamitis ſerio ejuravit, ſuumque circa diluvium lapſum; qui nedum ſacræ Scripturæ, ſanctis Patribus, ipſiſque Hebræis Rabbinis adverſatur: verum etiam exoticæ hiſtoriæ, pro qua Joſephus laudat Beroſum Babylonium, Maxacum, Damaſcenum, & Hieronymum Ægyptium. Euſebius præterea, & ſanctus Cyrillus Alexandrinus citant Abydenum Aſſyrium. Lucianus templum Syriæ Deæ a Deucalione conſecratum deſcribens fere omnia de univer-

V. Duas Epiſt. Iſaac. Peyr. primam ad Philotimum, qua exponit rationes, propter quas ejuraverit ſectam Calvini; alteram, quæ eſt deprecatio ad Alexandrum VII. editas Romæ. Neq. credas Bayl in magno Dictionario fictitiã Peyrerj ejurationem facientis; is enim eſt auctor Bayl ut nullum nõ moveat lapidem, ut Catholicæ veritatis triumphos evertat.



Digitized by Google

ſali diluvio, & Arca a Moyſe tradita uſurpavit. Vide quæ præ ceteris contra Peyrerium habet Natalis Alexander, & Pater Cherubinus.

Ceterum peculiaria diluvia plura extitiſſe conſtat ex Platonis Timæo, quæ refert Euſebius in Chronico.

VIII. Ogygis, & Deucalionis nomine Noëmum indicari paſſim putant Mythologi. Verum circa tempus hi non conveniunt ita, ut mirer, virum alioqui non indoctum aſſerere, diluvium ſub priſco Ogyge univerſale fuiſſe, & idipſum a Moſe deſcriptum Geneſ. 6. & 7. quando diſertiſſime ſanctus Auguſtinus: *Quamquam Ogygius ipſe quando fuerit, cujus temporibus etiam diluvium magnum factum eſt, non illud maximum, quo nulli homines evaſerunt, niſi qui in arca eſſe potuerunt &c.* Subditque ex Chronico Euſebj, & ex Hieronymo, trecentos annos Ogygis diluvium poſt Noëmicum eveniſſe. Ex computo vero Petavj illud Ogygis præter propter 543. Deucalionis autem 783. annos poſteriora fuiſſe comperimus.

IX. Verum tot laqueis, & difficultatibus, quæ adeo, ut ſupra diximus, torſerunt magna ingenia, coëgeruntque in monſtroſas opiniones abire, quiſque doctus facile ſe exuet, explicabitque, ſi animadvertat, terraqueam atmoſphæram ad quinquaginta millium circiter paſſuum, ut plerique ſentiunt, altitudinem rapidis particulis Solis vi attenuatis, & in ſublime elatis compleri

cum

Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 1. c. 4. & contra Appionem.

Euſeb. Cæſarien. lib. 9. Præparat. Evang.

S. Cyrill. Alexandri. l. 1. contra Julianum.

Lucian. De Syr. Dea. tom. 3.

Natal. Alexandr. Hiſt. vet. Teſtam. tom. 1. diſſert. art. 4.

P. Cherub. in ſumm. Critic. ſacr. tom. 3. p. 2.

Auctor Anonym. in Libello obſerv. ad Mythologiam Natalis Comitis in Deucalione.

S. Auguſt. De Civit. Dei. l. 18. c. 8. circa finem.

De Deucalionis diluvio ibidem S. Auguſtinus c. 10. dicit, non fuiſſe univerſale ex Timæo Platonis.

Petav. De Doctrin. tempor. l. 10.

cum aëre, ſive potius ſubtiliſſimo æthere cognatis, atque commiſtis: quas ſi divinæ omnipotentiæ mirando imperio ſubito in aquam concreſcere concipias, proclivi, atque horrido imbre naturaliter deſcendere, labique neceſſum eſt. Atque ita tenebis ſenſum ſacræ Scripturæ dicentis: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt*. Cœli nomine aër non raro in ſacris literis indicatur, ut quum ibi dicitur: *Volucres Cœli*, e cujus diſrupto ſinu pluvia fluxit. Itaque vapores illi, qui immane ſpatium circa terraqueum globum occupabant, in minorem molem aquæ, propter amotum, perturbatumque ſubtiliſſimum æterem, ſtipati decidere potuerunt, & celſiſſima montium cacumina operire, quindecim cubitis excedendo, ut ex ſyſtemate orbis pleni ſine ullo vacuo facile explanabis.

Genef. c.7.v.11.

# CAPUT II.

*Profligatur quorumdam opinio exiſtimantium Sem Noë filium Surrentinæ urbis Structorem.*

I. DOlebit fortaſſe quiſpiam vicem noſtram, quod, petita a benigno Lectore venia interdum digrediendi quocumque utilitate, vel ſcribendi voluptate aliqua raperemur, effrænata licentia abutamur; qui, quum de Surrenti primo ſtructore inquirendum erat, ad univerſale uſque dilu-

diluvium evagati ſumus. Verum ſi rem penitius introſpiciet, facile intelliget, nullibi melius quam heic nos penſum noſtrum accurare, cœptumque opus ordinata methodo proſequi.

II. Sunt enim nonnulli, qui a Semo Noë filio 119. annos, poſtquam is orbis alluvionem evaſit, atque ſoteria cum patre celebravit, Surrentinam urbem cum aliis in ulteriore Italia, & ad Tyrrhenum mare excitatam fuiſſe putant. Id vigilantium ferme ſomnium exiſtimo; quod ne temere a me dictum credas, prius quei concinnent hi commentum ſuum, exponamus, tum quam inconcinne, ac lubrice veterum rerum memorias nectant, aperiamus.

III. Iſti igitur ex Pſeudo-Beroſo Anniano hoc primum acceperunt, nempe Noëmum, ſuperato, divina opitulante providentia, univerſali naufragio, plurimos filios procreaſſe, inter quos triginta Gigantes, quibus ex matre Titea Titanum nomen impoſuit; ex filiis cito nepotes, pronepotes, abnepotes Noëmum vix uno elapſo ſeculo cretos vidiſſe, eorumque plurimos ratium ſtructuram, & naviculariam facere docuiſſe. Opportunis deinde comparatis navigiis cum tribus gnatis, quos ante diluvium ſuſceperat, ac magna navigantium copia totum Mediterraneum mare tranaſſe ferunt, atque circumluſtraſſe, orbemque Terrarum iis incolendum, regendumque diviſiſſe, in plura quoque litora deſcendiſſe, atque oppida excitaſſe, præſertim in Umbria

Plin. Hiſt. Natural. l. 3. c. 14.

bria Plinj maxime auctoritate adducti dicentis : *Umbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, ut quos Umbros a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus ſuperſuiſſent*. Quibus verbis ſuaſus Frater Leander Albertus Noëmicæ iſti navigationi manus dedit.

Fra Leandro Alberti Deſcrizione di tutta l'Italia Nel Ducato di Spoleto.

Middendor. De Jur. Academ. Univerſ. orb. l. 3. Gimma Idea dell' Iſtoria d' Italia. tom. 1. c. 4.

IV. Audacius quid addidit Jacobus Middendorpius ( quem e Societate Jeſu perperam facit recens quidam auctor, ſed revera fuit Cancellarius Sorbonicæ Academiæ ) Noëmum ſcilicet Occidentali ea navigatione ad plures portus, & litora applicuiſſe, multaſque Academias inſtituiſſe..

V. Suaves ſane homines talia commiſcentes cum Terentio dixeris. Sed inſipidius, quod addunt alii, Noëmum navigantem ad Romanum litus acceſſiſſe, ſubindeque ad Janiculum uſque viæ peditem ſe dediſſe, ibique ſtetiſſe, ac poſtremo tumulatum fuiſſe.

VI. At vero aniles prorſus fabulas ſapit; quod ſcioli quidam hiſtorici de Semo Noëmi filio in Mediterranea iſta navigatione comminiſcuntur, nempe ad ulterioris Italiæ oras deſcendiſſe, ac quinque extruxiſſe oppida; ad cujus rei fidem captandam efficto quodam Helino Rabbino ( quem nugis gerras addentes primum medicinam docuiſſe volunt in Salernitana Academia ) barbara hæc, atque putidiſſima verba recitant: *Heic ſignificatur, qualiter quidam ſapiens invenit hiſtoriam, quando civitas Salerni conſtructa fuit per Sem filium Noë,* *quan-*

V. Gimma nell' Idea dell'Iſtoria d' Italia tom. 1. c. 4. pag. 28. & 29.

Fra Anton. Mazza De Reb. Salern. aliique laudat. a Gimm. loc. cit.

*quando idem Sem venit ad partes hujus Regni : & ipſe vocavit Apuliam, quaſi Vapuliam a Vaporibus Terræ; ideoque fuit vocata Apulia. Et ipſe Sem fecit quinque civitates nomine incipientes per literam S, prima fuit Sipontum; ſecunda fuit Samnia,* quæ nunc dicitur Beneventum; *tertia civitas Salernum fuit; quarta Surrentum; quinta Sena vetus, quæ in partibus Tuſciæ eſt.*

VII. Dictis ineluctabilem fidem accedere putant ex verbis, quæ habentur in Sequentia, ut dicunt, Miſſæ ſanctorum Fortunati, & Caj hujuſmodi: *O Salernum civitas nobilis, quam fundavit Sem*; atque hanc a Romana Sede probatam fuiſſe ſubjungunt.

Quid ſimile jactitant complures Hiſpani ſcriptores, qui, ut ſuæ nationi nonnihil ab Antiquitate laudis accerſant, non ſolum duas Noë per Mediterraneum navigationes, quas ex Pſeudo-Beroſo, Catone, ac Fabio Pictore elicit Annius, avide excipiunt, ſed inſuper addunt, Hiſpaniæ *litoribus appulſum Noëlam in Gallæcia, & in Aſturia Noëgam extruxiſſe*. In hiſce ſibi placent etiam nonnulli Siculi, duarumque in ea Inſula Civitatum, Cataniæ ſcilicet, & Noës extructorem faciunt eumdem Noëmum. Quibus ſane figmentis licet non pauci adhæſerint, inter quos eſt non inelegans hiſtoricus Hieronymus Rubeus: tamen ea merito irrident Gilbertus Genebrardus, Auguſtinus Torniellus, Jacobus Salianus, omneſque cordatiores Chronologi. Et, ut omnem hiſce fa-

V. To. 4. Hiſpan. Illuſtr.

V. Carrera Nelle Mem. di Catania l. 5. c. 1. & l. 4.

Rubeus in Præf. Hiſt. Ravenn.
Genebr. l. 1. Chronol.
Torniell. t. 1. Ann. 2006. n. 3.
Salian. t. 1. Ann. Mundi 1931. n. 107.

Inveges Parte 1. Degli Annali di Palermo nell' Anno del Mondo 1765.

bellis fidem adimat Auguſtinus Inveges, ſecundam ex illis Noë navigationibus falſitatis evincit. Juxta Saliani enim Chronologiam eo anno accidiſſet, qui nonus eſt ab ipſius Noëmi obitu. Juxta vero Gordonj computum, quo uſus eſt Marianus Valguarnera, qui hæc Anniana commenta refert, ac rejicit, ſecundæ illius navigationis tempore decrepita fuiſſet ætate Noëmus, atque adeo gravis annis, ut minime veroſimile ſit tam longam voluiſſe, incommodamque navigationem inire.

Valguarnera dell' Origine, ed Antichità di Palermo.

VIII. At pudet me quidem, tædetque haſce quiſquilias referre, ac longius profligare, præcipue quum Beroſo Anniano jam omnem fidem abrogaverimus; verum, quia ſapientibus æque, ac inſipientibus debitores ſumus, ab hujuſmodi viris efficta, quantum ſatis erit, ſequentibus propoſitiobus dejiciamus.

## PRIMA PROPOSITIO.

*Noëmus tres filios tantum genuit; horum natu maximus Japhet. Titanes fabuloſi.*

I. Liquet primum ex Sacris Libris, ubi quum non ſemel Noëmi generationes accuratiſſime recenſeantur, ne Kri quidem de aliis gnatis præter tres, quos ſecum in Arca habuit, memoratum, qui quidem non fuiſſent alto ſilentio prætereundi. Itaque quod hiſtoria ſcholaſtica prodit ex Pſeudo-Methodio de Jonito quarto Noë filio pro-

Geneſ. cap. 10. Paralip. l. 1. c. 1. v. 4.

procreato poſt egreſſum ex Arca, nullam prorſus fidem meretur,

II. Secundum aſſertum luculentiſſimo argumento docti ſane viri ex ſacra Scriptura deducunt, Alph. Toſtat. Nicol. Lyran. Natal. Alexand. Hiſt. veter. teſtam. in ætat. 2. diſſer. 1. minime obſtante, quod ab eadem Semus primo loco memoretur, & maximus natu habeatur proinde a S. Auguſtino; legimus enim: *Noë quum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cham, & Japhet*. S. Auguſt. De Civit. Dei l. 8. c. 3. Succeſſive quidem ita, ut primus e liberis natus fuerit, Noëmo quingenteſimum annum peragente, ſubinde alii. Porro Noë Arcam ingreſſus eſt annos natus ſexcentos, hoc eſt, centum annos, poſtquam primum gnatum ſuſcepiſſet. At vero ex eodem Geneſeos libro docemur, Gen. c. 11. v. 10. Semo biennio poſt exactum diluvium natum fuiſſe Arphaxad, dum ipſe Semus centeſimum ſuæ ætatis annum pergeret. Non igitur Sem eſt editus a Noë quingenteſimo ejus ætatis anno, ſed alius quiſpiam ex fratribus; non quidem Cham, qui minimus fratrum quandoque in ſacris literis dicitur. Japhet igitur.

III. Quod vero proxime ſubjunxi, Titanum originem ex fabuloſa poëtarum Theologia prodiiſſe, iis ſatis notum, qui e Cœlo, & Terra Titanes genitos fuiſſe, apud Græcos, Latinoſque poëtas legerunt; Τιτέα enim, quam Noëmi uxorem Pſeudo-Beroſus facit, Terra eſt a radice טיט *tith*, quæ lutum ſignificat. Non me latet, eruditiſſimos viros Auguſtinum Steuchum, Gerardum Voſſium, Danielem Huetium, Samuelem Bo-

chartum clarum feciſſe, omnem ſuam gentes, & poëtas Theologiam ab Hebræorum ſapientia hauſiſſe. At vero illam obnubilaſſe, ac pervertiſſe, extra aleam eſt.

Steuch. De Perenn. Philoſoph. Voſſ. De Orig. & progreſſ. Idololatr. Bochart. De Diſperſ. Gentium.

IV. Obfirmata contentione Bochartus omnia, quæ de Saturno dicuntur a Græcis, atque Latinis Ethnicis, Noëmo tribuenda eſſe propugnat. Quædam tamen ex Adami hiſtoria potius deſcendere putavit Voſſius: ut, quum Saturnum e Cœlo dejectum dicunt, de Adamo e Paradiſo voluptatis expulſo acceperint. Plura etiam Noëmica Jano a gentibus aptata fuiſſe norunt ſolertiſſimi Jeſuitæ Pineda, & Cornelius a Lapide. Ideoque hic ait: *Janum bifrontem, qùia duo ſecula vidit*. Fortaſſe dicere voluit duas priores mundi ætates, antediluvianam, & poſtdiluvianam; duo enim ſecula attigiſſe quamplurimis contigit: Noëmo autem decimum uſque. Quid etiam quod Servius tradit: *Phaleris civitate Tuſciæ inventum eſt ſimulacrum Jani cum frontibus quatuor*. Cujuſmodi exiſtimamus ſigna illa, quæ modo extant in eo Tiberis ponte, qui dicitur ad quatuor capita; ſed de Jano quadrifronte plura vide apud Gyraldum, & Natalem Comitem, quæ nullo pacto ad Noëmum referes, nec ea, quæ de Jano ſcripta reliquit Macrobius, hunc ſcilicet primum Italiæ Regem fuiſſe, & una cum Cameſo regnaſſe, ac duplicem faciem præſetuliſſe, ut ferebabur, propter prudentiam, ſolertiamque regiam; mortuo exinde Cameſo ad ſolum Janum regnum reda-

Samuel Bochart. in Geograph. ſacra T. 1. lib. 1.

Jo. Pined. in Job c. 1. v. 31. Cornel. a Lapid. in Ecclesiaſt. c. 21. 35.

Serv. in 7. lib. Æneid.

Lil. Greg. Gyrald. in Hiſt. Deor. Sytag 4. in Jano, & Vertumno. Natal. Com. Mytholog. Deor. in Saturno. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 5.

redactum fuiſſe : atque ab hoc Jano Saturnum claſſe provectum hoſpitio receptum eſſe, cumque eo regnum adminiſtraſſe: Janum inſuper primum æra ſignaſſe; & quia Saturnus navi advectus erat, ob ejus reverentiam ſervaſſe, ut ex una parte caput, ex altera navis cuderetur, unde illud : *Ludere caput navim*. Hæc, atque alia a Macrobio de Saturno, ac Jano memoriæ prodita Noëmo nequaquam conveniunt; qui ante factam orbis diviſionem Regem ullum in Italia invenire nequiviſſet, a quo claſſe vagans exciperetur. Quocirca facile intelliges, fruſtra adniti eos, qui Noëmi hiſtoriam a Moſe Divino Spiritu exaratam exoticis, effictiſque poëtarum narrationibus ſupplere, ac illuſtrare ſatagunt; quin potius verendum, ne iſtis fœdiſſime illam inquinent, atque conſoriant. Modo dicimus: *Giocare a capo Croce*.

## PROPOSITIO II.

### *Commentitia Noëmi in Mediterraneo hoc noſtro mari navigatio*.

I. Apud Hibernicarum rerum collectorem me legiſſe memini, mulierem quamdam Noëmi neptem Cæſaream nomine, audito diluvj præconio, ad illud vitandum cogitaſſe, eo aufugere, ubi nullus accola culpa ſua locum fœdaſſet, ratam illum futurum a Cataclyſmo immunem; proinde e Syria ſolviſſe cum multis ratibus, quarum plu- In Topograph. Hibern. auctor. Sylveſtr. Gyrald. Cambrenſ. diſt.; cap. 1.

plurimam partem ſalo jactatam amiſit; ac tandem in Hiberniam appuliſſe, ubi, quum ante cœptum cataclyſmum vitam cum morte commutaſſet, ab aſſeclis humo condita fuit.

II. Ad hæc adeo inconcinna, & a vero diſſidentia riſum teneas, lector; haud abſimilia, quæ ex Pſeudo-Beroſo Pater Mazza, aliique hujus farinæ homines de Noëmo proferunt; quin immo multo abſurdiora, quæ peculiariter enucleare omittam. Generatim tamen ſciſcitabor, quorſum Noëmica illa navigatio inſtituta? Ad partiendum, inquiunt, filiis totum terrarum orbem: quaſi vero ex anguſto hoc Mediterraneo freto, pauciſque litoribus tota, quam Oceanus alluit, tellus commoſtrari potuiſſet.

III. Natalis Alexander opinatur, incredibile eſſe quod Noë inter filios totum orbem diviſerit, cujus multo maxima pars non adhuc erat cognita; quam ſententiam abjiciendam duco, utpote communiſſimæ ſacrorum Expoſitorum doctrinæ adverſam. At quei probare poterit auctor hic gratis effictam longæviſſimi Noëmi orbis inſcitiam? Fortaſſe quod Americana regio noviſſimis temporibus a Chriſtoforo Columbo, Americo Veſpucio, Corteſio, aliiſque detecta fuerit?

Natal. Alexand. in Synopſ. De ſecund. Mund. Ætat. cap .a, n. 9.

At meminiſſe oportebat quod Plato in Timæo habet de Sacerdote Ægyptio vehementer reprehendente Græcum virum verbis illis: *Vos Græci ſemper pueri*; quod is miraretur in tabula Geographica intuens Atlantis inſulam longe ultra fre-

fretum Gaditanum collocatam, quam modo Americam dicimus.

IV. Quinimmo Philaſtrius Brixienſis hæreſis damnat eos, qui a Noëmo factam orbis diviſionem tribus ſuis filiis inficiantur. Etſi ſcriptum reliquerit doctiſſimus Cardinalis Bellarminus: *Multa inter hæreſes a Philaſtrio numerari, quæ revera hæreſes non ſunt; proinde cum prudentia legendus.*

S. Philaſtr. Brixien. cujus opus extat in Biblioth. Patr. De Hæreſib. cap. 70.

Bellarm. De Scriptor. Ecclef. in Philaſtrio.

V. Vera itaque Noëmica orbis inter tres filios diviſio, poſtquam ex Heber natus eſt Phaleg, dictante Moſe: *Natique ſunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus diviſa ſit Terra.* Quæ verba non videntur intelligenda cum ſancto Auguſtino de diviſione linguarum in extructione turris Babylonicæ, quæ multo poſt nativitatem Phalegi contigit, ſed de diviſione orbis facta a Noë tribus filiis ſuis. Phaleg porro natus eſt anno 130. poſt cataclyſmum; quocirca in Chronologiæ ignorantiam Noëmicæ diviſionis culpa perperam a Patre Mazza collocatæ ad annum poſtdiluvianum 119. referenda videtur.

G[illegible]

S. Auguſt. De Civit. Dei lib. 16. cap. 3.

VI. Porro diſſidentes Noachichæ diviſionis faſtos facile in concordiam revocaveris, ſi dixeris cum Jacobo Uſſerio ſcito Chronologo, in ipſis Phalegi natalibus Noëmum cum filiis adhuc in montibus Ararati degentem nepotibus ſuis eas ſolum provincias jam dumetis, ac ſentibus obſitas diviſiſſe, quarum memoriam retinebat: hi vero ad vallem Sennearis Orientem verſus quum pro-

Uſſer. in Annalib. Veter. Teſtam. 2. Mund. ætat.

progreſſi eſſent, iniquas, impiaſque ſimultates excitarunt, & de ſtruenda turre cum Nembroto inſolens conſilium inierunt, quod confuſione linguarum Dominus evertit. Eam vero linguarum commiſtionem non ita contigiſſe Patres communiter docent, ut unuſquiſque hominum peculiari uteretur ſermone; ſic enim inanis prorſus tunc fuiſſet loquendi uſus; ſed potius, quoniam in ſeptuaginta, aut paulo plura idiomata, aut dialectos hominum una colloquutio fuit diviſa, porro qui unico inter ſe intelligibili utebantur ſermone, viciſſim ſocietatem feciſſe, & in diverſas regiones ad conſtruenda oppida abiiſſe putandum eſt.

Sapient. c. 10. 5. Geneſ. c. 11.

V. S. Clemen. Alexand. lib. 1. Stromat. S. Epiphan. l. 1. adverſ. hæres. S. Auguſt. l. 16. De Civ. Dei c. 3.

Atqui ſi hoc plauſibile ſyſtema acceperis, ab Euſebio, S. Epiphanio, Philaſtrio, atque communiori ſententia diſcedendum tibi erit: qua fertur, diviſionem orbis inter filios factam fuiſſe ab ipſo Noëmo in Civitate Rhinocolura, ſeu Rhinocorura (varie enim ab antiquis Geographis nominata, ut erudite notat doctus ſane Pater Jacobus Bonfrerius Jeſuita) & quidem jactis ſortibus, ne jurgia, & contentiones inter ipſos exorirentur, ad quas vitandas illos ſacramento adegit, extrema quæque illud frangentibus interminatus.

Euſeb. in Chron. Græc. S. Epiphan. in Panar. Hæreſ. 66. & in Ancorat. cap. 116. Urbs Ægypti in confinio Palæſtinæ, nunc Faramida. Bonfrer. in Onomaſtic. Urb. & locor. ſacr. Scriptur.

At vero rem in dubium revocat Pater Natalis Alexander, qui Diodori Siculi auctoritate contendit, Rhinocoluram longe poſt Noëmi obitum ab Actiſane Æthiopiæ, & Ægypti Rege extructam fuiſſe; utcumque res ſit, nihil pronuntiato noſtro incommodat, qui tantum commenti-

Alexand. Hiſt. veter. Teſt. in ſynops. 2. ætat. n. 9.

tiam

tiam Noëmi navigationem in Mediterraneo, ut Orbem divideret, inficiamur.

VII. Quod ſi ſcrutari aveas Noëmi poſt diluvium manſionem, ac geſta, difficillimum negotium aggredieris, nec umquam pro dignitate abſolvendum. Joſephus enim plures annos illum cum filiis in montibus habitaſſe refert, non adhuc ex Arca egreſſum, animo planiciem, & ima loca propter diluvj cladem exhorrentem; quam rem eximius Jacobus Salianus Jeſuita non recipit. Non enim vir ſanctus, juſtus, atque adeo firmæ fidei pavidus eſſe poterat, poſtquam ex columba ab Arca demiſſa didicerat, exiccatas fuiſſe aquas; immo poſtquam a Deo arcus ſigno, ac fœdere de non abſorbendo amplius aquis orbe munitus fuerat.

Joſeph. Antiqu. l. 1. c. 4.

Salian. ad ann. Mund. 1724. n. 3.

VIII. Johannes Temporarius in Indicam, & Scythicam regionem fert profectum fuiſſe, ibique degiſſe. Sed quorſum adeo longa peregrinatio tenderet, minime indicat. Ego vero facile mihi perſuadeo, paucos annos in montibus Armeniæ prope Ararath, ubi Arca ſtetiſſe communiſſime creditur, una cum filiis, ac nepotibus Noëmum commoratum fuiſſe; per reliquos, quos vixit, annos uſque ad trecentos quinquaginta poſt diluvium, ut ex ſacra Scriptura liquet, in Meſopotamiam, & Syriam commigraſſe, ubi ex genere ſuo natos religionem, & præcepta Dominica docuit, præſertim de abſtinendo ab eſu ſanguinis animalium. Septem fuiſſe Noacho data præcepta, Rabbini docent, quam rem ab aliis pete. *

Temporar. In Chronolog. Demonſtr. 1.

* V. Alphonſ. Toſtat. in Geneſim. Petr. Comeſtor. in Hiſt. Scholaſtic. lib. 1. cap. 37. Grot. De Jur. Bell. & Pac. lib. 1. c. 1., aliosque.



Digitized by Google

IX. Ad auctoritatem petitam a Plinio de Umbriæ incolis editis ab iis, qui imbrium inundationi ſuperfuerunt, dicas, manifeſte ibi Plinium de Deucalionis alluvione verba facere, ut inferius luculentius demonſtrabitur; quam quidem inundationem longe poſt univerſale diluvium, immo & poſt Noëmi obitum contigiſſe ſuperius monuimus. Nunc vero ſit.

## PROPOSITIO III.

*Semum in Italia urbes numquam ædificaſſe, immo neque adventaſſe ſuadetur.*

I. PRæter ea, quæ adduximus ad Pſeudo-Beroſi Anniani fidem evertendam, vide clariſſimum Jacobum Salianum: quod ſi adhuc obfirmato animo devotam ei fidem ſervare velis, ex eodem fundatio quinque Italicarum civitatum Semo tributa palam exploditur; ita enim a Noë factam Orbis diviſionem proditur, ut *Semo traditum fuerit Litus Aſiaticum a Tanai poſt Boſphorum uſque ad Nilum, Chamo Litus Africanum, Japhet vero Litus Europæ a Gadibus uſque ad Tanaim*. Quapropter ex ipſo Anniano Beroſo liquet, non Semo, ſed Japheto Italiam contigiſſe; quod & probatiſſimi quique ſcriptores, præcipue Euſebius, docent, traditam ſcilicet fuiſſe a Noëmo Aſiam Semo, Africam Chamo, Japheto Europam.

Salian. ad ann. 1387. n. 12. Inveges l. ſup. cit.

Euſeb. in Chron.

II. Ne-

II. Neque vero putandum, Sem a finibus ſuis egreſſum Japheti regionem occupaſſe, quin potius Noëmi vaticinio docemur, Japheti progeniem in Semi ditionem imperium, ac dominationem dilataturam, ut accidit, quum Graeci, ac Romani Aſiæ plurima parte potiti ſunt. Itaque nec Sem, nec ex eo gnati in Europam, aut Italiam unquam dominandi cauſſa pedem intulerunt. Geneſ. 10.

III. Ad ea, quæ ex Rabbino Helino producta ſunt, quis non videt, verba illa ab inſigni aliquo veteratore efficta eſſe, qui Semum Latina verba uſurpantem inducit? ejuſmodi illa Apuliam, Vapuliam, vapores, quæ Hebraicæ voces non ſunt, neque tunc uſurpatæ, quando Terra erat *labj unius*,& Hebraice cunctos homines tunc locutos, doctiſſimi viri demonſtrant. Præterea quid de Salerni oppido, quod a Semo excitatum fert laudatus nugator? Rejicit id Erchempertus, qui adeo inſignem civitatem extructam fuiſſe tradit ab Arecho Beneventi duce circa reparatæ ſalutis annum 614., eique nomen impoſitum a ſalo, ſeu mari, cui proxime adſtat, & Lirino rivo, a quo alluitur.

V. inter plurimos Seldenum De Diis Syris in Prolegom. cap. 2.

Erchempert. in Hiſt. n. 1.

IV. Quæ ex Miſſæ ſequentia afferuntur a Romana Sede probata, ſive potius, ut dicendum erat, non improbata, aut permiſſa, nihil evincunt. Hiſtoriales enim libri ii inconcuſſa, ac fide divina credendi, qui a Tridentino Concilio, aliiſque præcedentibus probati fuerunt: ut æque memoriæ illæ, quæ Apoſtolica traditione ad nos

pervenerunt, aliaque, quæ cum Summi Pontificis e Cathedra latis definitionibus ſunt neceſſario annexa. Ceteras hiſtorias ſemper in ea, quam præſeſerunt, veroſimilitudine, ac probabilitate relinquere Romana Eccleſia conſuevit, ut eſt hæc Salernitana a Semo facta conſtructio, quæ ſacris literis potius adverſari videtur. Ceterum præclariſſima Salerni urbs ita ſuis laudibus claret, ut emendicatis iſtis aſſentatorum quiſquiliis minime prorſus indigeat.

## PROPOSITIO IV.

*A Cethei poſteris Latinam regionem frequentatam fuiſſe ex ſacra Scriptura conjicitur.*

I. IN ſuperiori capite, qua parte de Oſcis, Opicis, & Pelasgis actum eſt, hos ſcilicet ex Græcorum fuiſſe ſtirpe, profanorum auctoritate explanavimus; verum alii Japheti Noachi filj genus eſſe, ſacræ Scripturæ teſtimonio conten-
Geneſ. c. 10. Paralip. l. 1. c. 1. dunt. In Geneſi enim, & Paralipomenis Japheti genealogia ita deſcribitur, ut ipſe ſcilicet genuerit ſeptem filios, quorum quartus eſt Javan, ex Javan quatuor filii procreati, nempe Eliſa, Tharſis, & duo, qui juxta Hebraicum idioma numero multitudinis efferuntur *Cetthim*, *&* *Dodanim*, ſive, ut habetur in Græca verſione, Rhodanim, fortaſſe propterea, quod plurima fuerit horum proles. A Cetthim porro *Cypri* inſulam aliqui frequentatam fuiſſe ferunt. Be-

Benedictus Arias Montanus Rerum Judaicarum apprime ſcitus Cotronam in Calabria excitatam fuiſſe ſtatuit, quam potius Magnæ Græciæ caput exiſtimat; licet aliter Plinius ſentiat: *A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata.* Ar. Montan. Antiqu. Judaic. in Paleſ. Plin. l. 3. c. 10.

Samuël vero Bochartus Latium a Chittis primo frequentatum fuiſſe omni ſtudio ſuadere contendit. Bochart. in Geograph. Sacr. part. 1. lib. 3. c. 5.

II. Et ſane Balaam juſſu Domini benedicens Israëlitis ita prophetavit juxta vulgatam: *Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos.* Loco Italiæ habet textus Hebraicus כתים *Kittim*, ut & verſio Syriaca, Chaldaica, & Samaritana; Septuaginta vero Interpretes Κιταίων. Ex Kittim tertio igitur Javani filio Itali, ac Latini prodiiſſe videntur. Numer. c. 24. v. 24 V. Polyglott. Anglic.

Ad rei confirmationem addit Bochartus *Kittim* deduci a radice, כתם quæ obſcurum, ſive occultum ſignificat; proindeque ejuſdem progenies Latini, quaſi occulti, ac latitantes dicti fuerunt. Non multo aliter Eutropius de Geſtis Romanorum in principio: *Regnavit Janus, deinde Saturnus Jovem filium e Græcia fugiens in civitate, quæ ex nomine Saturnia dicta eſt, habitavit; cujus ruinæ hactenus cernuntur in finibus Tuſciæ haud procul ab Urbe. Hic Saturnus, qui in Italia latuit, ab ejus latebra Latium appellata eſt.* Confer cum iis, quæ ſupradiximus ex Macrobio.

III. Verum in laudato ſacræ Scripturæ

loco

Digitized by Google

loco Propheta non de Italis, ſed de Alexandro Magno pronuntiaſſe videtur, qui Aſſyriam totam poſt Darj necem vaſtavit, & Alexandri ſucceſſore Antiocho, qui Jeruſalem obſedit, ut habetur in libris Machabæorum; quare in laudato loco Numerorum 24. pro Italis Macedones accipiendi videntur Cittheorum nomine, quemadmodum in alio Scripturæ loco: *Et factum eſt poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra Cethim.*

Machab. lib. 1. c. 1. v. 1.

Præterea Philippum, & Perſeum, qui in Macedonia regnarunt, Cetheorum reges appellatos nemo pene eſt, qui ignoret.

Machab. lib. 1. c. 8. v. 5.

Quod autem ſubnectebatur, Latinos ſcilicet a Cetheis, ſive latitantibus nomen obtinuiſſe, infelix eſt conjectura, diluiturque ex accuratiſſimo Dionyſio Halicarnaſſeo, qui fert, Aborigines ita vocatos, dum ruſticam, & ferinam vitam ducerent: *Sub Latino autem, Italici belli temporibus, dici Latini cœpti*, ſcilicet paulo ante Æneæ in Latium adventum, ſive circa annum mundi 2800, & circa 1330. poſt diluvium Deucalionis, nedum poſt diluvium univerſale.

Halicarn. Antiqu. Roman. l. 1. Ita etiam Tarcagnota dell' Iſtoria lib. 4. pag. 55.

IV. Difficilior videtur locus Danielis: *Et venient ſuper eum Trieres, & Romani, & percutietur, & revertetur*; ubi etſi in omnibus aliis verſionibus loco *Romani* legatur: *Ex partibus Cethim*: nihilominus Danielis vaticinium quin ad Romanos referatur, nemo dubitat; quapropter Romani, & Latini Cethei appellari videntur, quod a Cetheis educti ſint. Ve-

Daniel. c. 11. v. 30. juxta vulgatam.

Verum difficultatem diluit diligentiſſimus Pater Auguſtinus Calmet, notans Romanorum claſſem, de qua Daniel vaticinatur, ſolviſſe C. Papilio duce e portu Macedoniæ juxta Livium, proinde non abs re ad Romanos refertur prophetia, qui adventuri erant *ex partibus Cethim*, hoc eſt, ex Macedoniæ portu ſoluturi erant, & percuſſuri Antiochum. Neque pro Cethim intelligendi proprie Cyprii, ut vult Cornelius a Lapide in laudatum Danielis locum.

Calm. ad cap. 10. Geneſ. in Deuteron., & in Dictionar. Verb. Cethim.

Liv. l. 45. c. 10.

V. Tandem Macedones indicari nomine Cethim, liquido conſtat ex Iſaja Tyri vaſtationem interminante: *Onus Tyri: ululate naves maris: quia vaſtata eſt domus, unde venire conſueverant: de Terra Cethim revelatum eſt eis*. Quod ſequitur Epiphonema Iſajæ adamuſſim reſpondet Curtj narrationi, quæ demolitionem Tyri ab Alexandro Magno factam tradit; niſi quod Curtius exorbitet aliquantulum in laudibus Tyriorum, quos etiam literarum inventores facit; urbs alioqui vetuſtate originis, & crebra fortunæ varietate ad omnem memoriam celeberrima. Quapropter mirari ſubit, Samuelem Bochartum contendere, Iſajam non prædixiſſe hoc loco Tyri excidium ab Alexandro, ſed a Nabuchodonoſore pridem illatum, idque, ut tueatur ſententiam ſuam de Latinis, quos vult eſſe Cetheos; quam opinionem unice firmat Danielis loco, ubi Alexandrum Macedonem Regem Javan appellat; quaſi vero non potuerint iidem Macedones Cethei a Cethim pri-

Iſai. c. 23. v. 1.

mo

mo urbis ſtructore appellari, & Javani, vel Javanides item nomine patronymico?

# CAPUT III.

*Statuitur a Telebois conditam fuiſſe Surrentinam urbem.*

I. POſtquam ſomnia, & commenta circa conditores Surrenti diſpunximus, & fortaſſe pluſquam par erat, otiantes jucunditatis cauſſa diluimus; modo umbris quid ſolidi ſubſtituendum, videamus, ut phantaſmatibus ſuccedat veritas.

Samuel. Bochart. Geograph. Sacr. p. 2. ſeu Chanaan l. 1. c. 33. Jo. Cler. Præfat. in Geograph. Sacr. Nicol. Sanſon.

Hanc nemo melius mihi aſſecutus videtur Samuele Bocharto, qui a Taphiis Teleboum progenie Surrentum extructum fuiſſe refert. Sed quod auctor hic, quo de diſperſione Noachidæ gentis nemo abundius, properanter, & primis labiis deguſtavit, validioribus nos conjecturis ita firmemus, ut aſſenſum vel ab invitis lectoribus exprimamus. Quod ut præſtemus, videndum primo, qui fuerint Teleboës, vel Taphii, tum unde advenerint, quique eorum mores.

Apud Bochartum.

Plin. l. 4. c. 12. in principio.

II. Auctor Græci Etymologici *Taphios*, inquit, *olim ajunt fuiſſe Teleboas, hi autem oriundi ab iis Phœnicibus, qui cum Cadmo miſſi fuerunt.* Et apud Plinium de inſulis Græciæ verba facientem legitur: *Inter Leucadiam, & Achajam permultæ, quarum Teleboides eædem, quæ Taphiæ ab incolis ante Leucadiam appellantur.* Idem Plinius Epi-

rum

rum deſcribens Leucadis oppidum, inſulam, & ſinum Leucadis ita exprimit: *Egreſſus ſinu Ambracio in Jonium excipit, ac Leucadium litus, Promontorium Leucates, dein ſinus, ac Leucadia ipſa peninſula quondam Neritis appellata, opere accolarum abſciſſa a continenti, ac reddita ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium, qui locus vocatur Dioryctos ſtadiorum longitudine trium; oppidum in ea Leucas quondam Neritium dictum, deinde Aranamum, &c.*

Idem ibidem c. 1.

III. Celeberrima quidem regio, etiam apud principem Italorum poëtarum commemorata. De ea præter antiquos Geographos plures recentiores apud Grævium tabulas ediderunt, ubi utinam recte collocatæ fuiſſent regiones hæ; in plurimis enim tabulis Geographicis mendoſe ſita inſula Leucadis, modo dicta *Sancta Maura*, ut appoſite, ſciteque notavit peritiſſimus rerum Geographicarum Medicus Venetus.

Taſſo Geruſalemme liberata ... *E par che tutto D'incendio Marzial Leucate avvampi.*

Græv. in Theſaur. Græc. Antiqu. t. 4.

Giacomo Grandi Nell' Epiſtola di S. Maura, e del Zante.

In Leucadium ſinum influit flumen, cui Acheloo nomen, quod pro omni Aqua Virgilium accepiſſe notiſſimum eſt, ſed non modo Virgilium, verum etiam omnes fere Græcos poëtas, ut abunde diſſeritur apud Macrobium.

Macrob. in Saturn. l. 5.

IV. In latitudine graduum 38. m. 40. & longitudine e primo meridiano tranſeunte per Picum montem in inſula Tanariphæ graduum 38. m. 10. Is ſinus, & inſulæ modo dictæ ſunt *le Curſulari*.

Huc igitur ferunt adveniſſe Cadmum, de quo plurima fabulati nedum poëtæ, ſed hiſtorici

Cadmũ non Phœnicem, ſed Ægyptium aliqui faciunt. Diodor. Sicul. l. 4. Apollod. l. 2. Alii Phœnicem faciunt.

ipſi Græci. Ferunt hunc Agenoris filium, qui Thebis in Ægypto regnabat. Rapta autem Europa a Cretenſibus, juſſus fuit Cadmus a patre, ut ſororem quæreret, nec prius domum rediret, quam illam ſecum adduceret. Hic, pluribus peragratis regionibus, tandem Delphis ab Oraculo accepit, ut de ſorore non amplius cogitaret: ſed de urbe condenda, ubi Bos, quam viæ ducem habuiſſet, defeſſa tandem humi decubuiſſet. Cadmus per agros Phocenſium iter faciens Bovem ex armento Pelagontis obviam habuit, quæ in Bœotia humi procubuit, ubi novas Thebas multo clariores excitaſſe fertur Cadmus; a quo miſſis ad Aquam quærendam duobus amicis Seripho, ac Deileonte, hi ad Dircen fontem quum perveniſſent, a Dracone e Marte enato, qui Aquam cuſtodiebat, enecati fuerunt. Quô Cadmus ipſe quum adiiſſet Palladis conſilio, Draconem trucidavit; de cujus dentibus ab ipſo ſeminatis fabulati ſunt armatos milites enatos.

Ovid. Metamorph. lib.

V. Cadmum Harmoniam uxorem duxiſſe ferunt, ad ejuſque nuptias Deos fere omnes conveniſſe, ac inſignibus muneribus donaſſe Harmoniam; variis rerum infortuniis poſt ædificatas Thebas vexatum Cadmum ad Henchelienſes una cum Harmonia conjuge divertiſſe: Henchelienſes vero, quum ab Illyriis bello infeſtarentur, ab Oraculo admonitos, ut ſi victoria potiri vellent, Cadmum, & Harmoniam ſibi duces aſciſcerent, qui habitabant ad Drilonis fluvj ripas: Oraculo obtem-

Metrod. Comment. ad Conſuetud.

obtemperantes Henchelienſes toto Illyrio potitos fuiſſe, Cadmoque, ut ſuo Regi, & Harmoniæ ſe ſubjeciſſe: Horum tandem in Campos Elyſios a Jove tranſlatorum cadavera in ſævos ſerpentes converſa fuiſſe effinxerunt. Audiamus Metrodori verba Latine facta: *Sunt autem Drilo, & Naro Illyriorum fluvii, qui Illyrios, Liburnoſque diſterminant. Hoc in loco Cadmus, & Harmonia habitarunt illi, qui ſunt in angues converſi.* Hæ Metamorphoſes ex Pythagorica Philoſophia ſcilicet e Metempſychoſi dimanarunt. Dionyſius præterea Alexandrinus *De ſitu Orbis* in ſinu Illyrico prope Acroceraunios ſcopulos ſepulchrum ſpectari tradit Cadmi, & Harmoniæ, qui ſenio confecti in angues verſi fuerunt:

Drilo duplex, qui coaleſcit, & in mare influit.

V. Nicandr. in Theriacis. Metrod. in Comment. De Conſuetud.

Dionyſ. Alex. De Sit. Orb. pag. 26.

*Illyricum circa terras ſuper uſque minantes*
*In Cœlum ſcopulos, quos Acroceraunia dicunt;*
*Hoc propter pelagus ſpectes memorabile buſtum,*
*Buſtum, quod Cadmi ſama, Harmoniæque, &c.*

VI. Hæc de Cadmo fabulati ſunt antiqui: non me tamen latet, quod de eodem cordatiores ſcripſerunt, non Ægyptium ſcilicet fuiſſe, ſed Phœnicem, & Græcarum literarum inventorem; id quod diſertiſſime tradit ſanctus Clemens Alexandrinus ex Ephoro. Idem indicant ſanctus Athanaſius, & S. Iſidorus.

S. Clem. Alex. Strom. l. 1. S. Athan. orat. contra Gentes. S. Iſid. l. 1. Origin.

Euhemerus Cous apud Athenæum voluit, Cadmum Coquum fuiſſe Sidonj Regis, e cujus familia effugerit cum Harmonia illius Tibicina. Euſebius vero tuetur ex Ægypto oriundum fuiſſe:

Athen. in Dipnoſoph. l. 14.

SamuelBoch. loc. cit.
Natal. Alex. Hiſt. ver. teſtam tom. 1. Hiſt. Exotic. c. 8.
V. Lil. Greg. Gyrald. De Poetis Dial. 1.

plura de eo vide apud Samuel Bochartum, qui multo aliter ſentit, & Natalem Alexandrum. Verum Xenophon in libello de Æquivocis ſex Cadmi nomine commemorat, quintum vero Harmoniam uxorem e Phœnicia detuliſſe in Græciam.

Ceterum Cadmum Teleboum, ſeu Taphiorum Regem, ac inſtitutorem fuiſſe fere omnes conveniunt

Ariſt. Polit. l. 2.

VII. Sed Teleboas, ſive Taphios ex Acarnania oriundos fuiſſe molles, deliciiſque affluentes tradit Ariſtoteles, ideo fortaſſe, quod Muſices inſectator eam animos putet emollire, & eapropter juvenibus interdicendam: de qua re nos alibi. Lucianus etiam militem Acarnanium laſcivum, & voluptuoſum deſcribit; perinde forte apud Calabros, & Neapolitanos, quibus plurimas voces, ac locutiones Græcas relictas fuiſſe demonſtrant plures libelli de Neapolitana lingua differentes, *Taffiare* dicitur opipare comeſſe a Taphiis voluptuoſis. Male igitur a Cadmo edocti videntur.

In Opere Italico: Del numero del verſo Italiano.
Lucian. In Meretric. Dial. 1.

Porro Harmoniam Muſices inſtructiſſimam fuiſſe credibile eſt, aliaſque cantatrices edocuiſſe, quæ proinde Sirenes dictæ fuerunt, ut in ſequenti Capite: Cadmum vero virum belligerum, ac plurium artium inventorem; de eo ſcripſit Plinius: *Primus proſam orationem condere inſtituit*. Et alibi ſedecim numero literas intuliſſe e Phœnice Cadmum, quatuor addidiſſe Palamedem, totidemque poſt eum Simonidem Melicum; Gerardus

Plin. l. 5. c. 29. Idem l. 8. c. 56.



Digitized by Google

dus autem Voſſius vult Romanos ab Evandro ſuas accepiſſe literas, qui eas ex Arcadia in Latium intulit: Arcades vero a Bœotis, hos a Cadmo Phœnice ita, ut Phœnicibus debeatur literarum inventarum gloria; ſed Phœnices, ſive Chananæas literas non alias fuiſſe refert, quam vetuſtiſſimas Hebræas, & has eaſdem ac Samaritanas ab Abrahamo fortaſſe adinventas. Vetuſtas Hebræorum figuras expreſſerunt nonnulli Hebrææ linguæ magiſtri, ut inter alios Xenophon in libello De Æquivocis.

Gerar. Voſſ. De quatuor artib. popularib. in Grammatiſtic. c. 2. §. 8. Et in Art. Grammatic. l. 1. c. 9. 10. & 11.

V. Lil. Greg. Gyrald. De Poëtar. Hiſtor.

VIII. Sed rurſus Plinius Cadmum lapidicinas inveniſſe tradit in conſtructione Thebarum, qui ſi idem fuit, ac ille literarum in Græcia inventor, non deſidioſum, ac mollem, ſed a voluptatibus ſolutiſſimum fuiſſe cenſendum eſt. Quid enim utilius, & commodius literis hominibus, vel characteribus, quos primum admirantes Americani Europæos divinos eſſe putabant, qui animi ſenſus etiam longo locorum intervallo diſſitis, brevi tradita chartula, communicarent?

Plin. loc. cit.

Illud tamen in dubium revocari poteſt, Cadmuſne ſcilicet in Græciam literas intulerit. Siquidem Philo Judæus ſcriptum reliquit, Moyſen a filia Pharaonis ope ſapientum ſcientias omnes fuiſſe edoctum, aſcitis ad id peritiſſimis etiam Græcis. Moyſes vero Cadmum præceſſit. Natus enim Moyſes anno Periodi Julianæ 3103. Mundi vero 2373. Cadmus autem juxta Euſebium anno Periodi Julianæ 3256. Mundi vero 2526. Ita-

Phil. in Vit. Moyſ.

Itaque Græci multò ante Cadmum Sophiam excoluerunt, & proinde literas habuiſſe credendum eſt.

Franc. Patric. Nella Poetica Decaiſtoriale tit. delle Muſe.

Sed doctus vir Franciſcus Patricius putat, Græcos ſapientiæ id temporis operam dediſſe abſque ulla ſcriptura; quemadmodum poſtea Pythagoras ore, ac ſine ſcripto Philoſophiam docere conſuevit.

IX. Porro Teleboes a Cadmo inſtitutos in Italiam appuliſſe liquet, & Caprearum præſertim inſulam e regione abſidis Promontorj Surrentini vix quatuor milliariorum ſpatio diſſitam occupaſſe, quam Telon tenuiſſe, deinde Oebalum ipſimet Telo ex Sebethide Nympha, hoc eſt, illuſtri aliqua Neapolitana uxore natum, auctor eſt Virgilius, ita canens:

Virgil. Æneid. l. 7. v. 730.

*Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,*
*Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide Nympha*
*Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret*
*Jam ſenior.*

Stat. Syl. lib. 3. c. 5. 20.

Statius vero moderatius Capreas parvam inſulam domum, non regna Teleboum, ut Virgilius, dixit.

Cornel. Tacit. Annal. 4.

Tacitus quoque: *Capreas, quas Telebois habitatas fama eſt.*

Lib. 1. cap. 7.

X. De Caprearum inſula aliquid heic nos dicturos in ſuperiori parte indicavimus, præſertim quo tempore cum Ænaria ab Auguſto fuerit

Svet. in Auguſto

commutata, ſcribente Suetonio: *Apud inſulam Capreas veterrimæ ilicis demiſſos jam ad terram, languen-*

*guen-*

*guenteſque ramos convaluiſſe adventu ſuo adeo lætatus eſt, ut eas cum Republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data.* Idemque Dio commemoravit: *Capreas a Neapolitanis, quorum antiquitus erant, permutatione agri redemit.* Putabat doctus vir hanc permutationem factam, quum Octavius Tiberium in Illyricum dimiſſurus Beneventum uſque comitari ſtatuit, quo in itinere adverſa valetudine ex profluvio alvi contracta, Campaniæ oras, proximaſque inſulas circuivit, & Caprearum *ſeceſſui quatriduum impendit* remiſſiſſimo ad otium, & ad *omnem comitatem animo*. Verum eam permutationem multo antea factam ex eodem Suetonio manifeſte elicitur, qui fert, Caprearum inſulam ἀπραγόπολιν Auguſtum dixiſſe a deſidia ſecedentium illuc e comitatu ſuo, & unum ex delectis Meſagambam nomine, quaſi conditorem inſulæ κτίστην vocare conſueviſſe: cujus ante annum defuncti tumulum ipſe vidit magna turba, multiſque luminibus frequentatum. Quare credendum eſt cum Caſaubono, pluries Octavium in Capreas inſulam, quam cum Ænaria commutaverat, adiiſſe; poſt diſceſſum autem Benevento eôdem levandæ valetudinis cauſſa conceſſit: ibique quatriduum manſit, ut in prima hujuſce operis parte attigimus, ubi loco *quatriduum* per errorem typographi quatriennium ſubſtitutum fuit. Poſt moram vero quatuor continuorum dierum Puteolos divertit, ſubinde in Capreas remeavit: ubi Græcorum epheborum adhuc in ea inſula commo-

Dio Hiſtor. l. 52. in fine.

Iſaac Caſaub. in Not. ad Sueton.

mo-

morantium luſus ſpectavit, ſed aggravata valetudine Nolam, ubi obiit, poſtremo adventavit; quare plures annos Auguſtum ſub ditione ſua redemtam a Neapolitanis inſulam Caprearum habuiſſe, certum eſt, quod idem clarius aperuit Strabo ita: *Capreæ antiquitus duo habebant oppida, poſtmodum unum; nam quum Neapolitani Capreas quoque occupaſſent, belloque amiſiſſent Pithecuſas, has eis Auguſtus Cæſar reddidit, Capreas a ſe condidit, ædificiiſque extruxit*. Quæ quatriduo, vel brevi ab Auguſto Capreis poſtrema perfecta mora minime abſolvi potuiſſent, atque ita ſentiunt Suetonj enarratores Caſaubonus, Sabellius, & Beroaldus. Celebranturque Capreæ præcipue ob diutinam Tiberj in illis factam manſionem. Tacitus inſignem habuiſſe Pharon, ſeu Turrim longe navigantibus lumen præbentem tradit, quam terræmotu concidiſſe refert Suetonius. Ex Telebois natæ Sirenes, ſeu mulieres cantatrices edoctæ ab Harmonia Cadmi uxore, quæ in Capreas, & in proximum Surrentum advenere, ut modo dicemus.

Strab. l. 5.

Anton. Sabell. Paraphr. in Sueton. Philip. Beroald. in Sueton. Not.

Tacit. Annal. l. 4.

Sueton. in Tiber. cap. 74.

# CAPUT IV.

## *De Sirenibus Surrenti habitantibus.*

I. QUanta de Sirenibus fabulati ſunt antiqui Poëtæ, nemo pene eſt, qui ignoret. Monſtra maris Sirenes fuiſſe cecinit

cinit Ovidius, ideo fortaſſe, quia ad maris litora Sirenes, quas virgines cantatrices fuiſſe probabimus, plerumque degebant ad Illyrici, & Teleboidum ſinum.

Ovid. l. De Art. amand.

Alii, ut Apollonius, alites illas fecerunt, carminibus ſic latine concinnatis:

*..... Tum quoque earum*
*Altera pars virgo fuit, altera prorſus &*
*ales.*

Apollon. in Argon. l. 4.

Propterea quod alites ſuaviſſime canant, e quibus homines ad canendum excitatos fuiſſe craſſe nimis nonnulli credunt.

II. Apud Gronovium duæ inſignes tabulæ Sirenum ex duabus Græcis iconibus excuſæ extant; prior tres prope litus Sirenes exhibet, non ita tamen, ut Græci vates illas deſcribunt, e pectore ſcilicet habentes ad ſuperiora ςρυθῶν, hoc eſt, Paſſerum ſpecies, inferiora mulierum, ſed potius, ut eas deſcripſit Latinus poëta:

Gronov. in Theſaur. Græcar. Antiq. tom. 2. n. 7.

*Vobis, Acheloides undæ,*
*Palma, pedeſque avium cum Virginis ore gerantur.*

Ovid. Metamorph. lib. 7.

Qualeſque creditas fuiſſe tradit Hyginus Auguſti libertus: habent & alas, quas a Muſis evulſas fuiſſe ferunt, ſibique corollas intextas, poſtquam hæ in cantu illas evicerunt. In eadem tabula exhibetur Ulyſſes navigio litori appropinquans, non navis malo alligatus, quemadmodum monitus fuit a Circe penes Homerum, & quemadmodum moraliter expoſuit Caſſiodorus, & alii, ut ſcili-

Hygin. In Fabul. tabul. 125. & 141
Ælianus l. 17. De Animalibus c. 23.
Servius in 6. Æneid.

Errant Pictores effingentes inferiori parte piſcium.

V... Schor pictor errans.

V. Buccac. in Genealog. Deor. ex Alberico ſcriptore ignobili.

Homer. Odyſſ. lib. 12. Caſſiod. epiſt. l. 2. epiſt. 46.

ſcilicet illarum inſidioſum cantum eluderet ; ſed ſolutus, & liber, qualis debet eſſe ſapiens, ſpontaneus illecebrarum victor.

Secunda tabula eaſdem exprimit, ſed veſtibus nudatas. Quod mirum in utraque tabula, tres ipſæ deferunt muſica inſtrumenta, nimirum Tibiam una, Citharam alia, tertia Panis ſeptem compactam cicutis fiſtulam. In ſecunda tabula loco fiſtulæ cornu geritur; quandoque Græci vates, qui tres tantum Sirenes eſſe perhibent, unam ex eis non muſica tenentem inſtrumenta, ſed voce tantum canentem faciunt.

III. Præterea Cithara, ſeu Lyra illa unius Sirenis octo eſt inſtructa fidibus ad magadem alligatis; quum Mercurj Lyra ex quatuor tantum conſtaret, quæ a Græcis dictæ hypate hypaton, parahypate meſon, Licanos meſon, & tritezegumenos. Spiſſitudo vero chordarum, qua in genere Diatonico Diapaſon, ſive dupla per ſeptem muſica intervalla, & octo chordas partitur, multo poſterius inventa; etſi rem aliter minus recte enarret eruditiſſimus alioqui Gyraldus; quare Icones illæ Sirenum non admodum antiquæ mihi videntur.

V. Giuſeppe Zarlino Iſtituzioni Armoniche p. 2. c. 1.

Gyrald. De Poëtar. Hiſt. Dial. 2. pag. 52.

IV. Sirenes Acheloum ex Terpſichore Muſa, alii ex Melpomene, alii ex Calliope ſuſcepiſſe ferunt; recte fortaſſe hæc, ſi allegorice dicta accipiantur; ad Acheloi quippe ripas, vel oſtia habitaſſe creditæ ſunt cantatrices illæ. Rhythmos, conſonantias, & melos plurimum animi affectibus,

bus, vel paſſionibus excitandis valuiſſe fatentur, qui de muſicis rebus tractant, cujuſmodi Græci, Latini, ac Barbari. Saxo Grammaticus narrat cantorem præcellentiſſimum extitiſſe, qui Regem Danorum Doricum, vel Hyppodoricum tonum adhibens ita aliquando incitabat, ut furere videretur, & diſtricto gladio in hoſtes veluti ruiturus e throno deſcenderet: ſed mutato tono in Lydium, vel Hyppolydium furentem animum compeſcebat, emolliebatque; tum Phrygio, vel Hyppophrygio ad majeſtatem eumdem componebat. Hæc, aliaque præclariora de Muſicæ vi, atque præſtantia etiam ad morbos ſanandos a cunctis fere Muſices magiſtris enarrantur, ac repetuntur. Verum unde tanta vis, atque efficacia emergat, nemó, quod ſciam, ut par eſt, cauſſas, ac rationes inveſtigavit, ut nos alibi præſtare ſtuduimus, inquirentes, cur conſona intervalla tympana, nervoſque acuſticos blande moveant, ac delectent. Contra vero diſſona dilanient, offendantque, & præterea, ut ſanguinis motus modo acceleretur, modo blande cieatur, ſolidaſque corporis partes præcipue cor afficiat, ut exinde varii affectus excitentur; quæ inveſtigatio jucunda æque, ac laborioſa fuit tenuitati noſtræ.

V. Ceterum, ſi quæ de Sirenibus narrata ſunt, tamquam hiſtoria accipiantur, nihil cohærent. Muſas enim perpetuo virgines fuiſſe produnt, qua de re lege Jacobum Mazzonium affatim diſſerentem; præterquam quod res natura

Jacopo Mazzon. Nella difeſa della Comedia di Dante l. 3. c. 13.

 impoſ-

impoſſibiles perhibentur, flumen ſcilicet generans.

De illarum numero certant auctores, ut etiam de Muſis; tres quidam, alii quatuor, nonnulli ſeptem, novem communiſſime faciunt.

V. Gotfried. Linoc. in Libell. De Mytholog. Muſar.

Sirenes porro ab Hebraica radice שור dictas putamus, quod canere eſt, ut mulieres cantatrices ſignificent; quæ principio fortaſſe tres excellentiſſimæ fuerunt apud Acheloum, ea ſcilicet Acarnaniæ parte, ubi Cæſar, devicto Pompejo, Nicopolim extruxit. Sed poſtea increbeſcente earum numero ad Pelorum Siciliæ Promontorium, modo dictum *Capo di Faro*, trajecerunt. Tum in Caprearum inſulam, atque exinde in proximum Surrentum: unde quæ Parthenope dicta fuit, ad Sebethum Neapolitanum advenit. Non enim eaſdem tres ſemper fuiſſe remur, quæ ex Acheloi oſtio in Italiam, in Pelorum ſcilicet, deinde in Caprearum inſulam, ac Surrentum tranarunt. Earum hæc nomina faciunt. Parthenopen, quæ Neapolim commigravit, Leucoſiam, & Ligiam. Sunt qui & Aglaopen, & Thelxiopiam, & Piſinoën addunt.

V. Servium in Æneid. lib. Aglaopen.

VI. Verumtamen eruditiſſimo alioqui viro Lilio Gregorio Gyraldo nullo pacto aſſentimur, qui ſecundum veritatem meretrices eas fuiſſe contendit, quas, quoniam præter ea loca navigantes ad egeſtatem redigebant, his commenti ſunt inferre naufragia. Etenim vel nullæ prorſus exti-

Gyrald. in Hiſt. Deor. Syntagm. cui accedit Gerard. Voſſius De Orig. & progreſſu Idololatr. lib. 3. cap. 99.

extiterunt, vel ſi aliquæ, eæ prope Acheloum vixerunt. Sapientiſſimas illas fuiſſe putandum eſt. Pauſanias enim retulit creditum, a Junone impulſas fuiſſe, ut cum Muſis certamen inirent, quibus pares credebantur. Muſæ vero peritiſſimæ fuerunt Poëtriæ, quæ & poëmata, & muſica componebant, dulcique concinnabant voce. Uranie quoque ex ipſis una Cœli motus contemplaſſe creditur. Quinimmo Pythagorici, & Platonici, qui orbes Cœleſtes ſecundum muſica intervalla diſtare, moverique putarunt, & quamdam Harmoniæ ſpeciem referre, ſingulis Sirenes præeſſe voluerunt; quibus Theologi noſtri mentes motrices affigunt.

Pauſan. in Bœot.

Juxta hanc ſententiam Petrarcha cecinit: *Queſta ſola fra noi del Ciel Serena.*

VII. Sed rurſus Sirenes probas fuiſſe, cultaſque Virgines ex eo potiſſimum conjici poteſt, quod cum Orpheo Thracio certaſſe memoriæ proditum ſit, ut capite ſequenti dicetur. Fuit porro Orpheus nedum inſignis vates, atque egregius muſicus, qui triginta novem poëmata edidit: verum Aſtronomiæ, quam ex Chaldæis, & Ægyptiis didiciſſe creditur, peritiſſimus, Phyſicus, ac Medicus doctiſſimus: morum egregius magiſter, a quo multa Pythagoras Italicæ ſectæ inſtitutor hauſiſſe fertur; tantum porro virum, nequaquam credibile eſt, cum inſidioſis meretricibus, viliſſimiſque ſcortillis in literaria arena congredi voluiſſe. Mira quidem ſunt, quæ de Orpheo a Chriſtianis antiquis Patribus commemorata legimus: illud in primis, quod S. Juſtinus Mar-

V. Gyrald. loc. cit. & Natal. Comit. Mytholog. Deor. l. 7. c. 13.

Ex Ariſtobulo Judæo Philoſopho. Euſeb. Præparat. Evangel. l. 13. Clem. Alexand. l. 5. ſtromat.

S.Cyrill. Alexád. l.1. contra Julian. S. Juſtin. in Paræneſ. V. Lil. Gregor. Gyrald. De Hiſt. Poëtar. Dialog.2.

Martyr ſcriptum reliquit, ſcilicet Orpheum, quum in Ægyptum divertiſſet religionis, & ſapientiæ adipiſcendæ cauſſa, unius veri Dei pietatem, & cultum ab Hebræis diſſeminatum didiciſſe, & perinde recantaſſe ea, quæ de πολυθεΐᾳ, ſive de plurimorum Deorum ſuperſtitione, ceciniſſet.

Lactant. Firmian. De Falſ. Religion. l. 1. c. 5.

Lactantius vero Firmianus de eodem inquit: *Orpheus, qui & vetuſtiſſimus poëtarum, & æqualis ipſorum Deorum (ſiquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis, & Hercule navigaſſe) Deum verum, & magnum* πρωτόγονον, ideſt, *primogenitum appellat*. Non tam ſublime de eo ſentit ſanctus

S. Auguſtin. De Civit. Dei l.6. c.5.

Auguſtinus, qui triplex genus Theologiæ Varronem diſtinxiſſe refert, Mythicon, alterum Phyſicon, tertium Civile, at inter primos,

Idem ibidem lib. 18. c. 14.

ſive fabuloſos Theologos enumerat. Ex quibus

Voſſ. De Art. poët. natur. & conſtit. cap. 13.

permotus Gerardus Voſſius putavit, Orpheum, ejuſque magiſtrum Linum, Moſchumque a Græcis confictos fuiſſe Poëſis inventores, re vera nunquam extitiſſe. Additque diſertiſſimus Da-

Huet. Demonſtr. Evangel. p. 1. prop. 4. c. 8. §. 19.

niel Huetius Epiſcopus Abrigenſis quæ de his commenta ſunt a Græcis, omnia ad Moſis exemplar expreſſa eſſe; etſi conflictus hic, de quo agimus, cum Sirenibus cuinam ex Moſis actionibus conferendus ſit, non videam, niſi allegorice exponatur. Aut igitur nullæ prorſus fuerunt Sirenes, nulluſque Orpheus, aut illæ muſicæ Virgines multis præditæ ſcientiis; hic vero ſummus Theologus, egregius vates, omnigenarumque ſcientiarum diſertiſſimus. Utquumque res ſe habeat,

beat, illud ſaltem deduci poſſe videtur, eodem ſcilicet tempore, quo Orpheus effingitur, Sirenes vel fictas, vel veras conſtituendas, ut in ſequenti capite dicetur. Sed prius occurramus difficultatibus.

Inſurget enim quiſpiam Homeri fultus auctoritate, & aliorum plerumque Poëtarum, qui inſidioſas, ac homicidas fuiſſe tradunt; quare Fulgentius: *Sirenes Græce fractoriæ dicuntur; tribus enim modis illecebra mores trahuntur, aut cantu, aut viſu, aut conſuetudine*. Verum quis neſcit quantam ſibi licentiam fecerint Poëtæ, uti abunde proſequitur laudatus ſupra Mazzonius, ut probiſſimos etiam viros calumniati ſint, improboſque laudarint? Sed nedum Poëtæ, verum etiam Hiſtorici ipſi idem præſtarunt; inter quos primas tenet Herodotus; propterea dictus juxta eumdem Mazzonium Græcæ Hiſtoriæ pater, hoc eſt, fabuloſæ; qua de re audiamus Joſephum dicentem: *Græcos nihil firmiter ſcientes tradidiſſe, ſed quod unuſquiſque opinatus eſt, hoc ſtuduit explanare: unde etiam libri ſe invicem redarguunt, & in multis Hellanicus ab Arceſilao diſcrepat; Heſiodum corrigit Achilaus; Ephorus Hellanicum in pluribus oſtendit eſſe mendacem; Ephorum vero Timæus; Timæum, qui poſt illum fuere: Herodotum vero cuncti; &c.*

Fab. Placid. Fulgent. Mythol. l. 1.

Mazzon. lib. 3. cap. 13.

Joſeph. l. 1. contra Appionem.

VIII. Quod ad Homerum vero ſpeciatim pertinet, ad memoriam revocabimus, quod Strabo in primis bonus Geographus, & Philoſophia præſtantiſſimus ſentit. Is inducit diſputantem

Strab. Rer. Geograph. l. 1.

Era-

Digitized by Google

Eratoſthenem, & Polybium. Ille ab Homero in Odyſſea omnia confiĉta eſſe putat, ipſos etiam Ulyſſis errores, nedum interpoſita epiſodia, proindeque lepide nimis ab Homeri ſtudioſis quærit; num noverint, quis ille ſutor fuerit, qui conſuerit utres, ex quibus Æolus ventos excludit? & circa Sirenes peculiariter objicit, Homerum diſſidere a ſeipſo; modo enim circa Pelorum Siciliæ Promontorium Calabriæ obverſum habitaſſe cecinit, modo in Sirenuſis inſulis prope Surrentum. Eratoſthenem Polybius exagitans veros fuiſſe Ulyſſis errores contendit, & quæ uſque ad poëmatis finem Homerus perducit; fabulas autem commiſcuiſſe, ut auſcultatores delectaret, pariterque moneret. Itaque epiſodium de Sirenibus commentitium duxit ille. Et ſane ſi fides habenda eſſet Archippo, is Sirenum fabulam exinde exortam credit; quod nonnullæ extent marinæ rupes, in quas quum mare per anguſtas, præruptaſque caveas permeat, dulcem reflectunt ſonum, quem audiendo prætereuntes nautæ illas ingreſſi ſunt, ubi, invaleſcente maris æſtu, ac ſævientibus illic fluctibus, miſere enecati fuerunt. Verum hæc non multum arrident, & potius, ut dixi, Virgines fuiſſe optime canentes mihi facile perſuadeo, quæ viatorum tædia cantu lenire fauſta ipſis prænuntiantes ſolebant.

Archipp. lib. 5. De Piſcib.

IX. Quod ſi in allegoriam Ethnicorum Theologorum animum intendere fas eſſet, qui ex omnibus poëtarum commentis ea eliciunt, quæ ad tripli-

triplicem vitam conducunt, Contemplativam, Actívam, atque Voluptuoſam, deſidemque; Sirenibus hanc ultimam innui putabant communiſſime; nihil enim voluptuoſius excogitari poſſe credebat celebris quidam Italicus ſcriptor, quam cantilenam optima miſurgia modulatam a formoſiſſima Virgine egregie cantante. Verum ita exiſtimantes decipi puto ex modo dictis, ex quibus Sirenes vitam potius contemplativam indicare videntur, qua Cœlorum motus, ac diſtantiam, ſeu Pythagoricam illam, & Platonicam Mundi Harmoniam mente concipimus, de qua plures, & præcipue Kepplerus diſſeruerunt; ex ea quidem contemplatione jucunditas illa, animique voluptas percipitur, de qua dictum: Girolamo Ruſcelli nel Rimario. Keppl. Harmonic. Mund.

*Felix, qui rerum poterit cognoſcere cauſſas,*
*Ille metus omnes, & inexorabile fatum*
*Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.*

Accedit, quod Lydii ad excitandos, evibrandoſque bellatorum animos, dum congrederentur cum hoſtibus, tibicinas feminas in exercitu, atque in procinctu habuerint, ut proinde dignoſcas, non unice ad voluptuoſam, & deſidem vitam, ſed quandoque ad actuoſam, ferocemque conducere Muſicam. V. Agell. noct. Attic. l. 1. c. 11.



Digitized by Google

# CAPUT V.

*Quando Sirenes deſierint: & Surrentina Civitas fuerit extructa.*

I. JAm ſatis ſuperiori capite commemoratum eſt, Orpheum cum Sirenibus de Muſicis rebus, aliiſque, ut credibile eſt, facultatibus, ac ſcientiis altercantem illas deviciſſe ita, ut pudore ſuffuſæ in mare ſeſe dejecerint; ubi in ſcopulos verſæ, ut fabulatum eſt, ſuper undas aſſurrexerint, quare in Argonautica Orphei, ut puto, Crotoniatis leguntur carmina ita latine facta:

*Sunt graviter queſtæ, ut ſenſerunt fata Deorum*
*Adveniſſe ſibi, ſumma crepidine ſaxi*
*Precipites ſaliere maris ſpumantis in undas,*
*Protinus in duras vertuntur corpora cautes, &c.*

Itaque ſi Orphei ætatem expiſcari dabitur, tempus exitj Sirenum in comperto erit; heic autem primus omnium mihi in memoriam occurrit ſanctus Auguſtinus, qui in libris de Civitate Dei pluries de Orpheo, quem poëtam Theologum, quod de Diis cecinerit, appellat, verba faciens aliquando inquit: *Eodem Romulo regnante, Thales Mileſius fuiſſe perhibetur unus e ſeptem ſapientibus, qui poſt Theologos poëtas, in quibus Orpheus maxime omnium nobiliſſimus, &* σωφοί *appellati ſunt &c.* Miror heic, a ſancto Auguſtino Romulo Urbis con-

S.Auguſt.De Civ. Dei l. 18. c. 24.

conditori æqualem fieri Thaletem, qui juxta Euſebium, alioſque antiquos, recenteſque Chronologos coævus fuit Anci Martj, & circiter 124. annos Romulo poſterior. Sed heic ſanctus Auguſtinus Chronologum non agit. Præterea quum de Orpheo hunc antevertiſſe Thaletis ætatem dicat, quot annos, aut ætates, non indicat; quocirca ad aliam epocham animum appellamus.

II. Miſſam heic facio Merlyani Aſclepiadis de Orpheo Genealogiam, quam ſecutus eſt Virgilius, qui e Calliope Muſa natum eum tradens ita cecinit:

Virgil. Eclog. 4.

*Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,*
*Nec Linus, huic mater quamvis, aut huic pater adſit,*
*Orphei Calliopea, Lini formoſus Apollo.*

Ita ſiquidem ad ſecundam mundi ætatem eſſet retrahendus Orphei natalis, quem ad quartam revocant antiquiſſimi, veridicique ſcriptores, & unum ex heroibus Argonauticæ expeditionis numerant, ut ex Lactantio ſuperiori capite innuebamus, cui conſonant S. Clemens Alexandrinus, Euſebius, optimique recentes Chronologi, atque Hiſtorici. Diſertiſſime autem Suidas verbo Ὀρφεὺς inquit: *Sub Judicibus, ſublato Athenienſium regno, Orpheus clarus erat.*

Lactant. l. 1. c. 5.
S. Clem. Alex. l. 1. ſtromat.
Euſeb. De Præparat. Evang.
Joſeph. Scalig. in Iſagog.
Petav. De Doct. Tem. l. 14.
Natal. Alex. Hiſt. veter. teſtam. in Hiſt. exotic. 4. ætat.

III. Duplicem heic Suidas exhibet epocham: primam, quum Judices Hebraicarum rerum ſummam gerebant, alteram ſublati Athenienſium regni, neutram ſcilicet ad examuſſim illuſtran-

V. Diligentiſſimũ Jacob. Uſſer. in Annalib. Sacr. quẽ immerito oſcitanterq; carpit modo editus ſcriptor Italicus.

dam Orphei ætatem aptam. Judices enim apud Hebræos ad annos fere 400. imperarunt, vaſtum ſane ſpatium ad ejus ætatem expiſcandam. Neque felicior epocha altera deleti Athenienſium regni, de quo maxime diſſident Chronologi. Melantho enim Athenienſium regnum a Cecrope incohatum evertit, teſte *Caſtore* apud Euſebium De Præparatione Evangelica, anno ab Abramo nato 890. qui incidit in periodum Julianam 3586, Samſone apud Hebræos adhuc vivente. Euſebio adhæret Scaliger, Ludovicus Cappellus, ipſeque diſertiſſimus Petavius in tabula generali Chronologica, quam exhibet lib. 13. De Doctrina Temporum. Verum in Paralipomenis ad idem opus ex iis, quæ Pauſanias ſcribit in Corinthiacis, & in Achaicis, Melanthus evertit Athenienſium regnum anno periodi Julianæ 3181. vel 3182. Itaque contra Euſebium antevertit tempus ſublati regni Athenienſium annos 404.

IV. Hac igitur dubia dimiſſa epocha, aliam firmiorem inquiramus, quam ſuppetit ipſemet Suidas inquiens de Orpheo: *Fuit autem undecim ætatibus ante bellum Trojanum. Ipſum autem Lini diſcipulum fuiſſe dicunt, & novem ætates vixiſſe, alii vero undecim*. Sed hæc controverſiarum Chronologicarum Hydra aliud extollit caput, quot ſcilicet annos unaquæque ætas, quas γενεάς Græci dicunt, comprehendit, & in varias ſententias diduxit doctiſſimorum criticorum ingenia. Rem ego dirimendam puto ex Cenſorino, qui unamquamque

V. præcipue Gyrald. in Hiſt. poëtar. dialog. 2. Krich. de prim. Ital. incol. &c.

que geneam ſeptem annis expleri tradit: parum refert num Julianos Solares annos heic intelligas, ſive Atticos, aut Macedonicos, aut Syromacedones, qui paucis inter ſe horis diſtant, quæ in brevi temporis curriculo negligi poſſunt. Quum igitur 77. annos ante crematum Ilium Orpheus floruerit, a quo devictæ ſive veræ, ſive fictæ Sirenes perierunt, harum exitium ſtatuendum circa annum 3467. dum ſeptimus annus eſſet ex quo Gedeon Hebræis a Deo præfectus fuiſſet.

Cenſorin. De Die Natal. c. 14. V. Guiſielm. Bevareg. Inſtit. Chronolog. l. 1. c. 13.

Poëticum igitur anachroniſmum de more admiſit Homerus, quum Ulyſſem Circes conſilio Sirenum inſidias eluſiſſe comminiſcitur, quæ pluſquam 77. retro annis eſſe deſierant.

V. Porro quum Strabo, aliique omnes ferme Hiſtorici, ac Geographi conveniant, Surrentum à Sirenibus nomen accepiſſe; ſive quod ab illis fuerit primum civitas excitata, ſive quod a Thelebois, vel a Syris ſucceſſoribus Cadmi, quem Phœnicem fuiſſe plerique tradunt, licet nos ex Ægypto proditum cum aliis dixerimus, certe ante Trojanum excidium, quantum aſſequi poteſt, enatam illam videbis, 471. circiter annos ante primam Olympiadem, ante Romam conditam 494. annos, ante Capuanam celeberrimam civitatem pluſquam annos 440. Fert enim Vellejus Puterculus Capuanus Civitatem ſuam poſitam fuiſſe annis 830. ante Vinicium conſulem, qui conſulatum inivit anno periodi Julianæ 4743., a quibus ſi detrahas 830. reliqui facient 3913.

V. Petavium:

Atque

Atque hinc vides, quam abſurde doctiſſimus alioqui vir Camillus Peregrinius Capuam vetuſtiſſimam Campaniæ Civitatum faciat, & totius Campaniæ, ipſiuſque Surrenti genitricem; quod idem eſſet atque aſſerere gnatam matre annoſiorem.

VI. Remanet ſcrupulus heic elevandus, quod movetur ab Apollonio Rhodio, ex quo videntur Sirenes non Surrentinas oras incoluiſſe, ut fatetur Strabo, Statius, aliique communiſſime, ſed

Apoll. Argonaut. lib. 4.

*Eſt inſula protinus illis*
*Fertilis adſpectu, & florens; coluere canoræ*
*Sirenes illam proles Acheloja, quarum*
*Dira lues cantus mortalibus extitit illis,*
*Qui mare ſulcantes jecere ad litora ſunes.*

Circe etiam monens Ulyſſem inquit:

Odyſſ. lib. 12.

*Florido at illæ*
*In prato reſident, quod multorum oſſibus albet*
*Extinctorum hominum &c.*

Quapropter merito heic quærit Philippus Cluerius, quænam ſit hæc inſula Amœna, & Florida; remque male dirimit ex Dionyſio De Situ Orbis dicens, eſſe Parthenopes litus Floridum quidem, & Amœniſſimum, ſed non inſulæ litus. Itidem dicendum de litore Surrentino, de quo Pomponius Mela: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ, quas Sirenes habitavere*. Nullus enim ex his locis inſula fuit.

Mel. De Sit. Orb. lib. 2. cap. 4.

Strabo l. 1.

VII. Dilucidius Strabo: *Nam Sirenes ab aliis ad*

*ad Peloriadem collocari, ab aliis apud Sirenuſas duobus amplius ſtadiorum millibus diſſitas: eſſe autem eas ſcopulum tricipitem, qui Cumanum Sinum a Poſidoniate diſtinguat. At enim neque ſcopulus iſte trivertex eſt, neque omnino in altum extollit cacumen; ſed a Surrento vicinis locis uſque ad fretum, quod eſt juxta Capreas, cubito ſimilis quidam Terræ flexus interjacet, ab altera montani lateris parte Sirenum Fanum habens, ab altera ad Poſidoniatem ſinum tres exiguas inſulas deſertas, ac ſaxoſas, quæ vocantur Sirenuſæ, & in ipſo trajectu Minervæ templum, a quo nomen habet etiam ille cubitus.*

Evidentiſſime heic Strabo abſidem Surrentini Promontorj deſcribit, & locum, ubi Sirenum, & Minervæ templum, & inſulæ Sirenuſæ; verum nullam affert lucem Apollonio, quænam ſcilicet ſit illa inſula fertilis, & florida, in qua Sirenes inſidebant.

VIII. Lucas Holſtenius vir plane doctus, & diligens rem ita exponit: *Homerus haut dubie noverat viſu, vel auditu ſaltem amœnitatem oræ Amalphitanæ, ubi Sirenum ſcopuli objacent, atque his verbis alludit.* Sed eſto, ſatis Homeri explicationi faciat: nihil tamen ad Apollonium, qui inſulam vocat floridam, & fertilem illam, in qua Sirenes habitaverunt. Ora autem Amalphitana, licet jucundiſſima, inſula non eſt, ſed pars Promontorj Surrentini. Sirenuſæ vero illæ tres exiguæ inſulæ e regione Amalphiæ extantes recte ſaxoſi ſcopuli a Strabone dicuntur.

Luc. Holſten. in Annot. ad lib. 4. pag. 1170. Ital. Cluer.

Ve-

Digitized by Google

Verum ſi a nobis hucuſque dicta revolves, rem facile enodabis; diximus enim, Theleboës ab inſula Taphi ad oſtium Acheloi in Caprearum inſulam commigraſſe cum Sirenibus ſcitiſſimis Poëtriis, & Muſicis, atque in hac inſula, quæ revera dici poteſt per quam amœna, ac florida, & omnigenæ naturalis voluptatis affluens, habitaſſe. Sed poſtea inſulæ anguſtia ſtatim canoras illas Virgines ad vicinum Surrentum amœnioris ſitus, ampliorisque trajicere adegit, cui nomen dederunt.

Inſulis etiam Sirenuſis nomen feciſſe conſtat, poſtquam in mare tres Sirenum præcipue ſeſe præcipites dederunt, ubi in inſulas verſas fabulatum eſt.

De tribus hiſce inſulis Sirenuſis rectiſſime memoratus Lucas Holſtenius inquit: *D. vel DC. paſſuum intervallo tres ſcopuli objacent, vulgo* Li Galli *dicti, quorum duo ſpeculas ſubſtinent, tertius plane deſertus; ſinguli eorum vix viginti paſſuum freto diſtinguuntur.*

Holſt. loc. cit. ad pag. 1175.

Sed cur poſtea mutato nomine inſulæ hæ vulgo *Iſole delli Galli* dictæ fuerint, cogitare ſubit, miratuſque ſum, quæ recens quidam auctor ſcripſerit, *Galli* ſcilicet agnomen fuiſſe Noacho quoque tributum, quod Aramæorum lingua *ex undis evaſum* denotat. Laudo viri peritiam, quod Aramæorum, hoc eſt, Scythiæ populorum, quos *Sacas in univerſum Perſæ appellavere* juxta Plinium, nedum linguam, ſed etymologiam calleat. At ego de

Gimm. Idea dell' Iſtoria dell' Italia tom. I. c. 4. n. 16. *Gallo fu ſoprano-me anche di Noe, che in lingua Aramea inondato, o dall' onde ſcampato ſignifica.*

Plin. l. 6. c. 17.

de voce *Galli* hæc lego apud Feſtum: *Galli, qui vocantur matris Magnæ comites, dicti ſunt a flumine, cui nomen Gallo: quia qui ex eo biberent, in hoc furere incipiunt, ut ſe privent virilitatis parte.* Atque exinde Corybantes. De horum Sacerdotum ficto furore, crudelitate, turpitudine, ac ſcurrilitate plura ſanctus Auguſtinus, Lactantius, Tertullianus, aliique. De Magna matre, ſive Cybele, cujus Galli Sacerdotium gerebant, hæc inquit Auguſtinus: *Vicit matris Magnæ omnes Deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis. Huic monſtro nec Jani monſtruoſitas comparatur. Ille in ſimulacris habebat ſolam deformitatem; Iſta in ſacris deformem crudelitatem; Ille membra in lapidibus addita; Hæc in hominibus perdita.*

Feſt. De Verbor. ſignif. voce Galli.

S. Auguſt. De Civ. Dei l.2. c.7. & l.5. c.7. & l.7. c.24. & 26.

Hi igitur dicebantur deformes Galli, quibus ut venuſtatem reſtituant poëtæ, integros nunc Gallos appellant. Ab illis igitur etymologia noſtræ Gallorum inſulæ non eſt deducenda, ſed potius ab eo, quod eſt innatare, vulgo *Galleggiare* dictas eſſe inſulas *delli Galli* cenſendum eſt.

Ronſard. Nella Deificatione della Caſa Borbone.
Annibal Caro nella Canzone.
*Venite all' ombre, &c.*
*Ite miei Galli, or Galli intieri.*

Atque ita Surrentum non inter horrentia Martis arma extructum putamus, ut pleræque civitates a victoribus, urbiumque expugnatoribus, ſed inter harmoniæ concentus a virginibus canoris Poëtriis Aſtronomiæ egregie peritis, atque Philoſophiæ, quæ in ſapientiæ certamen cum eximiis Sophis venerunt; a quibus tandem devictæ æternam morientes famæ memoriam reliquerunt, &



Digitized by Google

inſulas ſuo nomine inſignitas, ac celebre templum, de quo ſeptimo capite dicemus.

# CAPUT VI.

## *Num in Campaniæ Provincia, an in Picentinis Surrentina Civitas extiterit?*

Leonard. Albert. Cæſar. Capac. & alii.

I. Diſſident tam antiqui, quam recentiores Geographi in aſſerenda regione, in qua Surrentina civitas collocata eſt. Quidam enim in Campania feraciſſima Italiæ parte, quidam inter Picentinos eam reponunt. Verum, ut res recte dirimatur, mihi hæc tria primum in memoriam revocanda eſſe duco, ſcilicet quantum ſeſe Italia extendat; ſecundum, quantum Campania; tertium, quantum Picentini.

Halicarnaſſ. Antiqu. Roman. l. 1. Ex verſione Glareani pag. 43.

Diſertiſſimus Dionyſius Halicarnaſſeus Græcos omnes, Latinoſque ſcriptores, qui ante ſe De Rebus Italiæ egerunt, quique ad nos uſque non pervenerunt, commemorans, de Antiocho quodam Syracuſano meminit, qui Morgetem, ſeneſcente Italo, in Italia regnaſſe refert jam tunc, quum Italia a Tarento uſque ad Poſidoniatem maritimum ſinum extendebatur ita, ut & Campania, & Latium extra Italiam eſſet, & Roma ipſa, quam ante adventum Æneæ extitiſſe tuetur Dionyſius ita, ut tres Romas revera fuiſſe contendat; inquit enim Antiochus: *Ad Morgetem veniſſe virum quemdam profugum Roma*. Morgetem

getem verò, quum multis ſeculis ante Trojanum excidium regnaſſe conſtet, deducit ipſe, aliquam Romam longiſſime ante Æneæ adventum extitiſſe: *Utrum autem* ( ſunt Halicarnaſſei verba ) *in eiſdem locis fuerit, in quibus & hæc modo habitata, an alterius potita ſit loci ita vocati, quum incertum ille relinquat, neque ego conjectura poſſum aſſequi*.

II. Sequioribus temporibus Italiam verſus Occidentem non ultra Ariminum ſe extendiſſe norunt Geographiæ ſtudioſi; reliquum enim Neotericæ Italiæ, Gallia Ciſalpina dicebatur in Ciſpadanam, & Tranſpadanam diviſa; donec ab Auguſto Italia dilatata fuit, ut modo extat; & a Lyguſtico, Tyrrheno, Auſonio, Jonico, & Adriatico mari alluitur. Maxima ejus longitudo ab Auguſta Prætoria uſque ad Promontorium (*a*) Herculeum, & de qua Italus Poëta Lyricorum maximus: (*a*) Capo di Spartivento.

*Il bel Paeſe* Petrarca.
*Che Appennin parte, e 'l mar circonda, e l'Alpi.*

In undecim ab Auguſto regiones diviſa, de quibus affatim Plinius, qui de Campania ſcriptum reliquit: *Hinc felix illa Campania eſt, ab hoc ſinu incipiunt vitiferi illi colles*. Et exinde litoralem Campaniam deſcribens ſequitur: *Litore autem hoc Neapolis Chalcidenſium, & ipſa Parthenope a tumulo Sirenis appellata. Herculanum Pompej haud procul ſpectante monte Veſuvio, alluente vero Sarno* Plin. l. 3. c. 5.



Digitized by Google

*amne ager Nucerinus* ; *& IX.M. paſſibus a mari ipſa Nuceria* . *Surrentum cum Promontorio Minervæ Sirenum quondam ſede* . Itaque ex Plinio in Campania litorali Surrenti Civitas conſtituta.

Idipſum fecit Silius Italicus, a quo dum enumerantur Campanæ gentes, quæ auxiliaria arma tulerunt Romanis, includitur

Sil. Ital. De Bell. Pun. l. 8. v. 545.

*Surrentum, & pauper Sulci Cerealis Avella*.

III. Verum animadvertendum Campaniæ felicis fines non ſemper æque conſtitiſſe, ut diligentiſſime demonſtrat Camillus Peregrinius, variaſque confinium mutationes ab eodem petat, qui volet, ne actum agamus. Illud tantummodo nobis annotandum, amplos Campaniæ fines alteram Provinciam incluſiſſe, illam ſcilicet Picentinorum; qui pars ſunt incolarum abducta a Picenis ad Adriaticum mare habitantibus.

Camill. Peregrin. Nell'apparato della Campagna felice diſc. 1.

De his Picenis fertur, quod Samnitibus, Sabiniſque fœderati bellum moverint Romanis, a quibus poſtquam devicti fuerunt, eorum pars in Campaniam habitatum miſſa eſt. De his itaque Cluerius: *De cetero deducti haud dubie Picentini huc ex Picentibus fuere, quum M. Curtius Dentatus Conſul, cui collega fuit P. Cornelius Rufinus anno urbis Romæ CCCCLXIII. Samnites, Sabinoſque, & alios hinc ad mare uſque ſuperum debellavit*. Sed bona pace tanti viri non tunc a Picenis partem avulſam eſſe putandum, ſed potius, quum iterum deficientes anno urbis conditæ 486. a Sempronio Sapho, & App. Claudio, qui de Picentibus trium-

Philip. Cluer. Ital. Antiqu. l. 4. c. 16. notatus.

triumpharunt, devicti fuere, ut tradit Eutropius, Florus, & Oroſius, bellumque commiſerunt, quando tellure terræmotu concuſſa, ipſe Sempronius Conſul ſuperſtitione territus ædem Deæ Telluri vovit.

Eutrop. l. 11.

V. Petav. De Doctr. Temp. l. 13. ad Periodum Julianam 4446.

De Picentinis hiſce ita prorſus Strabo: *Poſt Campanos, & Samnites uſque ad Ferentanos mare Tyrrhenum Picentina gens habitat. Picenorum avulſa particula quædam eorum, qui ad Adriaticum mare incolunt, a Romanis traducta ad ſinum Poſidoniatem, ſeu Neptunium, cui nunc Pæſtano, & urbi Poſidoniæ Pæſtum nomen eſt medio ſinu ſitæ*. Et paulo poſt: *Pertingunt Picentes uſque ad Silarum, qui ab ea regione veterem Campaniam dividit*. Docet igitur Strabo ad Picentinos eam Promontorj Surrentini partem ſpectaſſe, quæ vergit ad meridiem, ac proinde Surrentinam urbem ſemper ad Campaniam pertinuiſſe, ut rectiſſime ſtatuit Pater Philippus Brietius, quem exceperunt Ferrarius, & Baudrandus.

Strab. Rer. Geograph. l. 5.

Philip. Briet. Parallel. Geogr. Appen. ad t. 2. De Antiqu. Ital. l. 5. c. 8.

IV. Nihilo tamen minus Ptolemæus Surrentum Picentinis aſcribit: in qua etiam ſententia aliquando videtur fuiſſe Eutropius, qui maritimas deſcribens Campaniæ civitates Surrentum non enumerat. Inter Picentinos etiam commemoratur Surrentum a Michaële Volaterrano, & Fratre Leonardo Alberto in ingenti volumine Deſcriptionis totius Italiæ. Cæſar etiam Capacius de Surrento inquit: *Picentinorum olim Metropolis, qui Surrento ad Silarum ad triginta millia paſſuum*

Ptolem. in Europ. Tabul. 6.

Eutrop. De Geſt. Roman. l. 2. tit. 1.

Cæſar. Capac. Hiſt. Neap. t. 1. lib. 2. cap. 12.

*pate-*

*patebant . Regium quodammodo nomen cum Campanæ gloriæ ſplendore maluit commutare , & ſecundas partes poſt Neapolim ( qua in re cum Capua , aliiſque urbibus in publicis conventibus contendit ) quam primas in Picentinis obtinere .* Quibus ſane verbis , aliiſque ſequentibus multa hiſtoricus hic tempora non diſtinguens involvit , atque obnubilat , quæ quum *De Surrentinorum Politia* dicemus , lucem accipient . Quis enim Surrentinorum gloriæ cedere credat , ipſos aſcriptos eſſe inter Picentinos , genus hominum ejectorum , & ſolum vertere coactorum ? Aut quis credat iis præfuiſſe Surrentum , quum potius Romanis parerent ? Præterea quis dicet , Surrentinos e Picentinis , inter quos primas partes tenebant , ad Campaniam acceſſiſſe , qui antequam Picentini e Picenis deducerentur , & extarent , in Campania erant aſcripti ? Picentinorum præcipua urbs fuit , ſeu metropolis Picentia , teſte Strabone , & Plinio , aliiſque , quam inquit Lucas Holſtenius eſſe modo tenuem vicum inter Salernum , & Ebulos .

Plin. l. 3. c. 5.

Holſten. ad Stephan. De Urbib.

V. Doleo in eodem errore verſatum fuiſſe Patrem Nicolaum Giannettaſium , qui Geographiæ Tirocinium edidit .

Giannet. Hiſt. Neap. loc. cit.

Itaque rectiſſime ſtatuendum , Surrentum ſemper annumeratum fuiſſe inter felicem illam , ac beatam amœnitatem , ubi tanta Cœli temperies eſt , tam fertiles campi , tam aprici colles , tam innoxj ſaltus , tam opaca nemora , tam munifica Silvarum genera , tam ſuaves montium afflatus , tanta fru-

frugum, ac vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecoris vellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tanta amnium, fontiumque ſalubrium ubertas, ut inter alias Orbis regiones una beatior, feliciorque habeatur.

# CAPUT VII.

## *De Vetuſtiſſimis publicis Ædificiis Surrentinis, ac primum de Idolorum Templis.*

I. PRimos templorum conſtructores *Lucianus* Ægyptios facit, a quibus non multo poſt Aſſyrios Deorum doctrinam, cultum, cæremonias, ſacrificia didiciſſe idem auctor eſt. Mirum quot diſſidentia impius hic Samoſatenus de Syria Dea verba faciens congeſſerit. Hanc eruditi viri Syriorum Reginam fuiſſe, ac Gatim dictam, alii Atergatim ferunt. Ei Deucalionem poſt diluvium Soteria celebraſſe, & Templum erexiſſe tradit. Quod ſi ita res ſe haberet, a Deucalione potius, quam ab Ægyptiis Aſſyrii Deorum cultum, templorumque extructiones didiciſſent. Deucalionem porro cum Noë manifeſte, perperamque confundit; hic enim illum tempore præceſſit, ut ſuperius demonſtravimus. Sed Ethnicorum templorum antiquitatem ex Herodoto, Diodoro Siculo, Dionyſio Halicarnaſſeo, Macrobio, ſacris etiam, Chriſtianiſque Scriptoribus Tertulliano, Arnobio, Minutio Felice, Lactantio,

Lucian. Oper. t. 3. De Syria Dea.

V. Jacobum Micollum in argument. ad idem opus Luciani.

tio , ſancto Hieronymo eruditi viri eliciunt . Quibus permoti Johannes Marshamus , & Johannes Spencerus minime veriti ſunt aſſerere , ideam , typumque Salomonici templi a gentium ruditate deductam fuiſſe . Adverſus errorem Spenceri ſolidiſſimam concinnavit diſſertationem Pater Natalis Alexander . Et ſane eo veſaniæ , atque impietatis deſciſcentes a Catholica Religione auctores illi progreſſi videntur , ut faciant Divinam Sapientiam , a qua Davidi , ac Salomoni Hieroſolymitani templi conſtructio demandata , & commonſtrata fuit , humanæ diſcipulam , omnipotentiam imbecillitatis ſectatricem , puriſſimamque ſanctitatem diabolicæ nequitiæ ( quæ in Ethnicorum templis colitur ) pediſſequam .

Natal. Alexan. in Hiſt. Sacr. t.2. diſſert. 1.

Lib. 3. Reg. c.5.

II. In hac ego re ita ſtatuendum duco ; multas quidem ante templum Salomonis , ab Idololatris vanis numinibus excitatas fuiſſe ædes , quas Xerſes , poſtquam cum exercitu in Græciam trajecit , flammis , ac vaſtitati dedit , ratus nullo Deum loco eſſe includendum . Numinum quoque exculta ſigna Numa Pompilius ſecundus Romanorum Rex execratus eſt , ut de Perſis quoque Herodotus refert , & inter Græcos Socrates , qui Deum mentem eſſe , neque ulla imagine exprimi poſſe ducebat ; quocirca , Ariſtophane poëta incentore , ab Athenienſibus morti damnatus fuit . Verum cui uſui ſacras Imagines effingere , ac ſculpere , fas ſit , a Chriſtiana Sapientia explanatum eſt , præcipue contra Iconomachos .

De antiquiſſima templorum origine apud gentes ipſa Enochi ætate. V. Jo. Seldenum De Diis Syris Gerard. Voſſium, De Orig. & progreſſu &c.

Cicer. l. 2. De Legib.

In Synodo Q. Oecumenica.

Ceterum

Ceterum ante Salomonem templa ab Idololatris excitata fuiſſe, ipſa ſacra Scriptura, & Joſephus nos docent; firmantque Surrentinæ gentis antiquitates, in cujus Promontorj fronte rudera extant, atque veſtigia celebris Fani Deæ Minervæ poſiti, de quo paulo poſt dicemus, ab Ulyſſe, qui longo annorum curriculo Salomonem præceſſit.

Levitic. cap. 26: v. 30. Numer. c. 33. v. 52.

Joſeph. Hebr. l. 6. Antiq. & l. 1. contra Appion.

III. Illud nihilominus pro certo habeo, Gentes ſtruendorum templorum ideam concepiſſe a vera Hebræorum ſapientia, ac religione, quam deformarunt, ac fœdiſſime corruperunt juxta ea, quæ ſcitiſſime docuit Auguſtinus Steuchus in libris de Perenni Philoſophia. Adam ſiquidem filios Cain, & Abel immortali Deo litare docuit, quod & ceteri Patriarchæ antediluviani conſueverunt, ut & Noëmus poſt diluvium: Jacob quoque Deo erexit aram. Moſes tabernaculum ſtruxit, quorum exemplo multi Ethnici aras erigendas, & fana ſtruenda facile ſibi perſuaſerunt; omnes quippe numinis infinitam ideam, non factitiam, ſed ab ipſo rerum conditore inditam mente ferimus, ut recte Des Chartes contendit, cui, conſequens eſt, ut humili cultu, ſeu religione debitum tribuamus honorem, qui etſi ubique exhiberi poſſit, congruentius, & potiori cultu in ſtatuto loco præſtari duxerunt. Verum quod recta naturalis ratiocinatio ſuadebat, Diaboli fraus deturbavit, atque deſtruxit, ut opportune inferius dicetur. Et primum Cœleſtibus Lumina-

V. etiam Huetium in Demonſtr. Evágelica prop. 4. c. 11. §. 2.

Des Chartes in Metaphyſ. meditationib.

minaribus, tum Dæmoniis, ſubinde Heroibus, præſertim Civitatum conſtructoribus, & artium inventoribus, qui ſoli Deo ſacer erat exhibendus cultus, communis factus. Poſtea ab Ægyptiis omnes proficuæ res, ut tradit Tullius, tamquam numina adoratæ. Sed & ipſis noxiis, ſi modo a damno inferendo abſtinuiſſent, Ethnici Romani Delubra erexiſſe dicuntur. Tempeſtati namque, cujus rabiem penes Corſicum mare claſſis Scipionis evaſit, (ut duæ antiquiſſimæ inſcriptiones, & Capitolini faſti conſulares teſtantur) fanum erectum fuit, de quo intelligendus Ovidius Canens:

Cicer. De Natur. Deor.

Selden. De Diis Syris in Prolegem. cap. 3.

*Te quoque Tempeſtas meritam delubra fatemur,*
*Quum pene eſt Corſis obruta Claſſis aquis.*

Quinimmo ſi fides ulla danda eſſet R. Moſi Maimonidæ in libro de Idololatria, (quem Latinum fecit, ac notis illuſtravit Dionyſius Voſſius Gerardi filius, ab Iſaaco fratre miris eruditionis laudibus celebratus, etſi vigeſimum primum agens annum e vita exceſſerit) longe ante Templa in uſu fuere; tradit enim R. ille, tempore Enoſi Adæ nepotis primum templum conſtructum fuiſſe, ut in illud ad nomen Domini publicis precibus invocandum Adæ filii convenirent. Enos quippe *cæpit invocare nomen Domini*. Quem porro, quum eſſet juſtus, & ſapiens, ut Liranus, aliique ſacri Interpretes communiſſime fatentur, nonniſi vero numini templum credendum eſt poſuiſſe; unde conſequens eſſet, Ethnicos a filiis Dei

Geneſ. cap. 4. verſ. ult.

tem-

templorum conſtrutionem didiciſſe, & impietate fœdaſſe; quod argumentum excidit a cogitatione Natalis Alexandri adverſus Marshamum, & Spencerum ſtrenue differentis. Et ubi ſacer textus habet a Salomone primum ſtabile, & lapideum templum poſitum fuiſſe, intelligendus eſſet de templo poſt diluvium. Verum quum omnium Rabinorum commentitia aſtruentium incertiſſima ſit fides, Maimonidæ nulla fortaſſe pariter habenda.

# CAPUT VIII.

## *De Templo Sirenum.*

I. EAm Surrentini Promontorj intercapedinem, quæ inter Surrenti Civitatem, & frontem ipſius Promontorj interjacet ubi extabat celeberrimum Minervæ Delubrum, plurimis fuiſſe templis onuſtam dilucide indicavit Papinius Statius ita concinens:

*Eſt inter notos Sirênum nomine muros,* Stat. Sylv. lib. De Vill. Pollj.
*Saxaque Tyrrhenæ Templis onerata Minervæ.*

Quorum carminum grammaticalem ſenſum minime aſſecutus videtur vir alioqui latine non imperitus; Cæſar Capacius. putavit enim poëtam indicaſſe in toto eo tractu, qui intercedit inter mœnia Surrentina, & Promontorj frontem plura Minervæ Fana extructa fuiſſe, quum verus auctoris ſenſus ſit: inter notos muros Surrentinæ urbis, & ſaxa

Tyrrhenæ Minervæ, ubi ſcilicet aderat ejus ſimulacrum, & Templum, ſpatium fuiſſe Templis plurimis onuſtum, refertumque.

II. Primum Templum fuiſſe putamus illud Sirenum, de quo mentionem interſerit Strabo, qui poſtquam diſſeruerat de loco, ubi fuerunt Sirenes, ſtatueratque non ad Peloridem habitaſſe, non in ſcopulo trivertici, ut nonnulli aſſirmarunt, ſed in tribus inſulis illis, quas Srenuſas appellarunt antiqui, & modo dicuntur *Iſole delli Galli*, de quibus ſupra dictum ſatis, ita concludit: *A Surrento vicinis locis uſque ad fretum, quod eſt juxta Capreas, cubito ſimilis, quidam Terræ flexus interjacet: ab altera montani lateris parte Sirenum Fanum habens; ab altera ad Poſidoniatem ſinum tres exiguas inſulas deſertas, ac ſaxoſas, quæ vocantur Sirenuſæ, & in ipſo projectu Minervæ templum, a quo nomen habet etiam ipſe ille Cubitus.*

Strab. Rer. Geograph. l. 1.

III. Hæc de ſitu, ubi extabat Sirenum templum. Fortaſſe ibidem Sirenum ſepulcrum extitit; ſolenne quippe fuit antiquis Ethnicis Heroum Buſta templis celſiſſimis tegere, ut inquit Arnobius ita acriter eorum errores redarguens: *Multa ex his templa, quæ tabulis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres, atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas.* Sed rem de Sirenibus dubiam præcipue reddit, quod illas in mari præfocatas periiſſe fama eſt; ut ſuperius diximus, ubi animas quoque extingui Stoici crediderunt.

Arnob. lib. 6. Idem habetur ex Clement. Alexandrin. in cohortat. ad Gentes. Euſeb. Præpar. Evangel. l. 2. c. 6. Cyrill. Alexand. lib. 10. contra Julianum.

V. Petr. Laſen. Cleombronum, ſive de his, qui in aquis pereunt.

De

De hoc Sirenum templo nullum remanſit veſtigium, nulla rudera: ita invidioſa vetuſtas omnia exedit, ut vix rerum nomina apud egregios ſcriptores relinquat; cetera velut trux venenum inficit, atque corrumpit. Verum non ita hujus templi omnia prorſus abſorbuit, ut ab hominum memoria deleverit, illud præclarum fuiſſe, & in maxima veneratione habitum. Siquidem idem Strabo ſcripſit: *Pompejis contiguum eſt Surrentum Campanorum; unde prominet Athenæum, ſeu Minervæ Promontorium, quod alii Prenuſſum vocant. Eo in Promontorio Fanum eſt Minervæ ab Ulyſſe conditum; indeque in Capreas inſulam brevis trajectus. Ubi id circumflexeris, inſulæ occurrunt ſolæ, & ſaxoſæ, quas Sirenuſas dicunt. Ea parte, quæ Surrento eſt objecta, templum quoddam monſtratur, & donaria vetuſta eorum, qui locum vicinum ſunt venerati. Atque heic loci finitur ſinus, qui Crater appellatur duobus ad meridiem ſpectantibus Promontoriis incluſus Miſeno, & Athenæo.*

*Perche il tempo a grand' opre è gran veneno.*

Idem Strab. l.5.

Templum, de quo heic loquitur Strabo, idem prorſus eſſe opinamur, ac illud Sirenum, de quo egerat libro primo; concordat enim ubique ſitus ſpectans ad Crateris mare; quod inquit, Athenæum Prenuſſum ab aliis dictum fuiſſe, emendatur ab Iſaaco Caſaubono, qui Sirenuſſum potius legendum putat: *Ubi enim quæſo*, ait, *aut lectum eſt, vel auditum* Πρενυσσὸς.

Caſaub. In Comm. & Caſtigat. ad Strab. l.5.

IV. Amplitudinem hujus templi minime conferendam puto cum magnificentiſſimis iis,

quæ

Diodor. l. 1. fert circuitum templi Oſiridis.

quæ vel ante bellum Trojanum a præclaris nationibus excitata legimus, quæ octo ſtadiorum circuitum obtinuerunt; non enim tanta montoſa loci natura patiebatur Surrenti.

Euſeb. Præpar. Evengel. l. 1. c. 1.

Sed quod maxime animadvertendum ex Strabone, in hoc templo donaria vetuſta monſtrari, ut in templo Syriæ Deæ ex Luciano, & aliis celſiſſimis ex Euſebio; quæ quidem donaria indicant ad id templum olim fuiſſe ingentem Campanorum concurſum, atque frequentiam ita, ut *Neocoram* olim proinde Surrentinam urbem fuiſſe credamus.

Gell. Noct. Att. l. 12. c. 10.

Albert. Ruben. in Diatrib. De Urbib. Neocor., quæ extat etiam apud Græv. Antiq. Roman. t. 10. p. 1350.

Actor. c. 19. v. 35.

V. Sunt quippe Neocoræ Civitates dictæ a Νεώκορος, ſive Ædituus (*Editimus* potius dicendum putat A. Gellius), ut rectiſſime exponit Albertus Rubenius. Civitates enim illæ, in quorum ſolo conſtitutum erat templum aliquod toti Provinciæ commune, & publica panegyri, ludiſque celebre, Νεώκοροι appellabantur; inſignem hujus rei locum habemus apud ſanctum Lucam in Actis Apoſtolorum a nobis ſupra expoſitum.

Tabul. 35. in Julio.

Extat etiam apud Goltzium nummus M. Antonj Triumviri, in quo expreſſus Tripus, & corona Oleagina cum inſcriptione:

ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Theophylactus etiam enarrans titulum epiſtolæ ſancti Pauli ad Epheſios inquit: *Epheſus Aſiæ metropolis erat, hujus incolæ Dianam colebant, cui & templum dicaverant ornatiſſimum, & magnificen-*

*centiſſimum. Unde Epheſum civitas Dianæ Neocora dicebatur.*

VI. Plures hujuſmodi Civitates Neocoræ in Græcia celebrabantur, ut in Ælide (*a*) templum Jovis Olympj, in Prienenſi agro Panionio dicto (*b*) templum erat Neptuni Heliconj, Smyrnæ (*c*) templum Jovis.

(*a*) Strab. l. 8.

(*b*) Idem l. 9. & 14.

(*c*) Philoſtr. in vit. Palæmon.

In Aſia quoque hujuſmodi templorum uſus; quorum Sacrarium Palladis diu ignobile Alexander Magnus donariis auxit, cui etiam devovit, Delubrum ſe nobile conditurum, devictis Perſis. Votum mortuo Alexandro Lyſimachus explevit. Et apud Antonium Auguſtinum extat Julj Cæſaris nummus inſcriptus.

Anton. Auguſtin. l. 2. fol. 50.

ΤΑΙΕΩΝΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

VII. Unde autem uſus emanaverit Civitatum Neocorarum, & quid eo conſilio ſibi voluerint antiqui, affatim expoſuit diligentiſſimus Dionyſius Halicarnaſſeus referens: *Helleni Amphictyonis filj excogitationem, qui infirmum videns, & abſumi facile a circumſtantibus barbaris Græcum genus, conduxit ipſe invocatum ab eo in Amphictyonicum conventum, & mercatum leges conſtituens præter proprias cujuſque urbis alias communes omnibus, quas Amphictyonicas vocant, ex quibus ille amice magis inter ſe peragunt, cognationem ſervantes opere pluſquam verbis, moleſti iidem barbaris, atque terribiles. A quo ſumentes exemplum etiam Jones, hi qui ex Europa in maritimam oram Cariæ Sedes tranſtulerunt, & Dores, qui urbes circum ea loca*

Halicarnaſſ. Antiqu. Rom. lib. 4.

*con-*

*condiderunt , ſumtibus publicis templa extruxere ; Epheſi quidem Jones Dianæ: Dores vero in Epitropio Apollinis; ubi convenientes ipſi ſtatuto tempore, cum uxoribus , & filiis una ſacrificant , & commercantur , certatimque peragunt , equeſtriaque , & aliarum exercitationum , modulationumque muſicarum , donantque Deos donis de publico eorum omnium , ſpectanteſque , & nundinantes , aliaſque conciliationes invicem a ſeipſis capientes ; & ſi qua fuerit erga civitatem offenſio , ſedentes judices diſcutiunt : de quo bello adverſus barbaros , deque conſenſu inter ſe communia habent conſilia .*

Hæc vero ſecum repetens Servius Tullius Romanorum Rex , qui præclarum aliquod facinus meditabatur , ut fama ſibi nomen perennaret , imitanda decrevit , ut idem Halicarnaſſeus tradit; proinde Latinas Civitates in communionem revocandas eſſe cenſuit , ne bella inter ſe gererent , vel a finitimis barbaris diſſiparentur; quare Latinis urbibus , & ſenatu convocato , communibus ſumtibus Dianæ Fanum in colle Aventino ſtruendum curavit , datis legibus celebrationis feſti nundinarum , conventus habendi , donationum , &c. eaſque in ærea baſi inſcripſit , quæ uſque ad Halicarnaſſei ætatem perduravit . At ſpeciatim hic auctor obſervat , templum hoc , quo communia donaria deferenda erant , Romæ conſtructum fuiſſe , quod ea præcipua Civitas , & Latj caput eſſet ; quamobrem poſtea factum fuiſſe putamus , ut Provinciarum eæ eſſent præſtantiores Civitates ,

tes, in quibus magnificentius templum extitiſſet. Ubi autem contentio exorta fuiſſet, quænam nobilius, & magnificentius templum civitas obtineret, dirimebatur ita, quod ſcilicet ea eſſet, quæ frequentiori populorum conventu celebraretur.

VIII. Modo ad Surrentum noſtrum ſermonem revocantes merito inferimus, ſi in Sirenum templum convenientium populorum vetuſta donaria ab Æditiuis, ut putamus, viſenda proponebantur, eam civitatem & Neocoram, & totius Campaniæ Principem procul dubio fuiſſe.

I nunc, Peregrinj aſſecla, ſi potes, ac repete, Surrentum quaſi ab aliquo ex Capuanis tuis conſtructum; quod idem ſane eſſet, ac dicere Matrem fuiſſe a Filia genitam. Si enim Sirenum Templum multo ante Ulyſſis tempora magnifice ſtructum eam civitatem Neocoram reddidit, quo pacto initium accepit a Capua, quæ juxta Vellejum Paterculum condita fuit DCCCXXX. ante Vinicium Conſulem, hoc eſt, anno Periodi Julianæ 3913. At Surrentum ante Trojam captam, hoc eſt, anno Periodi Julianæ 3530. erat civitas adulta, vetus, Neocora, & Princeps totius Campaniæ.

Patercul. l. 1.

Petav. Doctrin. Temp. l. 13.

# CAPUT IX.

## *De Templo Junonis Argivæ in Surrentino Agro.*

Plin. l. 3. c. 5. I. PLinius de Campania diſſerens hæc habet : *A Surrento ad Silarum amnem XXX. m. paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum Templo Junonis Argivæ ſub Jaſone condito inſignis.*

Hic Plinj locus interpretatu perdifficilis mihi videtur. A Tuſcis Junoni Argivæ inſigne templum dicatum fuiſſe haud miror ; nemo enim ignorat, in quanta veneratione falſum hoc numen habitum fuerit, ejuſque ædem apud Argos extitiſſe; Siquidem illam inducit ita alloquentem Homerus :

Homer. Iliad. lib. 4.

*Sunt mihi tres urbes dilectæ, Sparta, Mycene,*
*Argos, quæ ſacræ fuerunt mihi tempore in omni.*

Strabo l. 9. Quinimmo Strabo Argis natam eſſe putat Junonem ex Homero, cui Templum aliud ſuperſtitione ducti Etruſci condere voluerunt; ſed, quum dicatur conditum fuiſſe templum *ſub Jaſone* ( aliqui textus habent *ab Jaſone*) celeberrimo ſcilicet illo Argonautarum duce, Chronologia non conſtat. Argonautarum enim Colchidem expeditionem factam fuiſſe docent ſanctus Clemens Alexandrinus, & Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligeri annis LXXIX. ante Trojanum excidium. Ager vero Picentinus e Campania avul-

avulſus nonniſi CCCCLXIII. annis poſt Romam conditam, ut diximus in ſuperiori capite. Maximus igitur in eo Plinj loco *Anachroniſmus*: niſi rem componere velimus dicendo, voluiſſe Plinium innuere, Templum Junonis Argivæ tempore, quo ipſe ſcribebat, extitiſſe in Agro Picentino, quod antiquiſſimo tempore conſtructum fuerat in Campania, quando non adhuc Picentinis ea portio Campaniæ annexa fuiſſet.

Philippus Cluerius neſcio an difficultatem ſubodoratus de hoc Junonis templo. verba faciens inquit: *De Jaſone fabulæ ſunt; condiderunt enim templum hoc haud dubie Græci homines, qui vere Junonem Argivam colebant; namque Tyrrheni Pelasgi, qui quondam cum Tuſcis ſecum una Republica inter Arnum amnem, Appenninum montem, Tiberim fluvium, & mare inferum vivebant &c.* Philipp. Cluer. Ital. Antiqu. t. 1. l. 4. n. 4.

At vero fabulæ ſunt, quæ de aureo vellere a Jaſone adepto ſcripſere Poëtæ, vel quæ de Tauris ignem e naribus ſpirantibus, de æripedibus, de Dracone, & pleraque, quæ de Medea. Vel potius allegoriæ ſunt, ut quidam putant, ad Chymiam, vel medicinam ſpectantes; expeditio tamen Argonautarum, Jaſone duce, in Colchos, & opulentus ejus regreſſus in Pelasgiam minime fabuloſus, ut ex ſancto Clemente Alexandrino, & Euſebio innuebamus, & alibi affatim probavimus, quum de maritimis itineribus, & celebrioribus navibus agebamus. Atque huc ſpectat criterium illud Polybj, quod penes Strabonem extat, V. Natal. Comit. in Mythol. de Jaſone.

tat, dignoſcendi, quæ fabuloſa ſint in Homero; quæ vera, ea ſcilicet, quæ uſque ad finem producuntur a Poëtis heroicis, vera eſſe; quod idem accommodandum omnibus Poëtis.

II. Porro Jaſonem ob aurei velleris, ſive divitiarum adeptionem multa templa extruxiſſe ſcribunt; ſed Italiam adveniſſe non conſtat. Unde recte Plinius templum non a Jaſone, ſed ſub Jaſone conditum fuiſſe tradit.

Propoſitus vero Anachroniſmus felicius diſſolvi poſſe videtur, ſi lectionem retineamus Claudj Salmasj, qui in laudato Plinj loco non *Tuſcorum*, ſed *Oſcorum* legendum eſſe vult: *nam illi Picentini nihil cum Tuſcis habuere commune*. Si enim ita legatur, recte Chronologia conſtat. Oſci enim ſub Jaſone vigebant.

Claud. Salmas. in Exercit. Plinian. ad Solinum epiſt. 1. c. 59.

Supereſt nihilo tamen minus diſſentio Hiſtorico-Geographica; Strabo enim ante Plinium de hoc eodem templo meminit inquiens: *Poſt Silari oſtia Lucania ſubſequitur, Fanumque Junonis Argivæ ab Jaſone conditum; indeque ſtadiis L. Pæſtum*. Quod ſi in Lucania conſtituendum hoc templum, mendum erit in Plinio, qui in agro Picentinorum illud collocavit. Ipſe enim Plinius Picentinorum regionem a Surrento uſque ad Silarum comprehendit, deinde ab Silaro regio tertia, & ager Lucanus, Brutiuſque incipit. Hinc a Philippo Cluerio diu quæſitum fuit, ubinam celebre hoc templum Junonis Argivæ extiterit, ſuſpicatuſque eſt conditum fuiſſe in oppido, quod modo

Strab. Rer. Geographic. lib. 6. in principio juxta verſionem recenſitam a Caſaubono.

Cluer. Ital. Antiqu. l. 4. n. 40.

*Veteri*

Digitized by Google

*Veteri*, ſive potius *Vietri* vulgo dicitur, olim Marcina nuncupabatur.

III. Aſt animadvertens rem cum Strabone non convenire Lucas Holſtenius rurſus de eodem negotio ſollicitus fuit, accepitque a celebri Aſtronomo Johanne Camillo Glorioſo Giſunenſi hanc notitiam, quam ita expreſſit: *Veſtigia, vel potius ipſum templum adhuc fere integrum B. Virgini Aſſumtæ dicatum. Id figuræ eſt rotundæ, operis lateritj, porticu circumambitum, quam octo inſignes columnæ operis Corinthiaci ſubſtinent; habebatque olim portas quatuor decuſſatim ſibi invicem reſpondentes. Oppidani Giſunenſes publicis inſignibus hoc templum præferunt, nomenque loci Giſuni, quaſi Junonis Fanum dictum exiſtimant. Hæc V. C. Camillus Glorioſus Mathematicus inſignis ejus loci civis de patria ſua mihi retulit.* Hucuſque Holſtenius.

Holſten. ad Cluer. loc. cit.

Verum hæc omnia commentitia mihi prorſus videntur, præcipue quæ de Etymologia *Giſuni* dicuntur; Earum enim Etymologiarum ſpeciem præſeferunt, quam facete in quodam Caraſullo irridebat optimus ille Italus ſcriptor Benedictus Varchi Florentinus; quin potius veroſimiliori Etymologia *Giſuni* γῆς Fanum, ſeu templum Telluris Deæ ſonaret. Præterea octo illæ columnæ Corinthiacæ ſtructuræ nequaquam Junonis templum decent, cui Dorica potius ſtructura ex Vitruvio aptata fuit. Tandem quis ſibi perſuadebit, adeo antiquum templum ſub Jaſone

Varch. nel Dialogo intitolato Ercolano.

V. etiam Natal. Comit. in Mytholog. l. 1. c. 9.

ſone conditum adhuc integrum, & inconcuſſum poſt tot ſecula, & terræmotus extare, ac poſt tantas in ea regione Langobardorum incurſiones, vaſtationeſque? Mitto minutiſſimas differentias inter Fanum, & Templum.

IV. Ego vero mihi potius perſuadeo, fidem magis hac in re habendam Plinio, homini Romano, & rerum Italicarum peritiori, quam antiquiori Straboni, qui etſi doctiſſimus Geographia, & Stoicus Philoſophus: tamen ex Amaſia civitate Ponti natus, ut ipſe de ſe teſtatur, & Stephanus περὶ πόλεων, vel, ut inquit Joſeph, ex Cappadocia, adeoque quantum ad Italiam exterus homo; & potius in ſinu, ſeu melius Promontorio Pæſtano, quam in Lucano agro hoc templum conſtituendum.

Joſeph. Antiqu. lib. 3.

Adde, ſi vis, Lucaniæ ſinum quoque Pæſtanum aliquando comprehendere apud Geographos. Pomponius enim Mela, qui de Situ Orbis breve, ſed nervoſum compoſuit opuſculum, Campaniam dividens inquit: *Pæſtanus ſinus, Pæſtum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ, quas Sirenes habitaverunt, Minervæ Promontorium, opima Lucaniæ loca*. Ita in pleriſque codicibus Melæ: at emendatiſſimum tandem edidit Iſaacus Voſſius, & amplis commentariis illuſtravit, legique vult non *opima*, ſed *omnia Lucaniæ loca*. Poſtquam enim oram litoralem Lucaniæ abſolvit, addidit, omnia eſſe Lucaniæ loca. Vides igitur Lucaniam etiam citra Silarum uſque ad Promontorium

MelaDeSitu Orb. l. 2. c. 2.

Voſſ. Comm. ad Pomp. Mel. lib. 2. c. 4. v. 66.

torium Minervæ extendi ; poſt quod ſubdit Mela : ***Sinus Puteolanus*** , ***Surrentum*** , ***Herculaneum*** , ***Veſuvj montis adſpectus*** , ***Neapolis*** , ***Puteoli*** , ***Lacus Lucrinus*** , *&* ***Avernus*** , *&c.* Lucania igitur continebat ex Mela totum ſinum Pæſtanum ; ac propterea templum Junonis Argivæ dici poterat a Strabone hoc ſenſu in Lucania , a Plinio vero in ſinu Pæſtano , ſive inter Picentinos .

Ubi vero Pæſtum collocandum ſit , diſſident ſcriptores . Johannes Olivarius , quem inter Melæ commentatores minimi facit Iſaacus Voſſius , ait : *Pæſtum vulgo Policaſtro* ; ſed hæc civitas *Palæocaſtrum* , *&* *Buxentum* appellata eſt ; præterquamquod ultra Silarim ab omnibus antiquis Geographis collocatum eſt . Pæſti vero rudera , quod oppidum ſinui Pæſtano Poſidoniati a Græcis dicto , modo *Golfo di Agripoli , e di Salerno* imminebat , demonſtrantur prope Caput Aqueum vetus , dicitur modo Caputaquenſis Diœceſis , vulgo *Capaccio* , a quo Pæſtum tria milia paſſuum diſtat .

Voſſ. in Præfat. ad Mel.
Oliv. ad Mel. l. 2. cap. 4.

V. Ferr. & Baudr. in Lexic.

Quum igitur in litore Pæſtano , ut diximus , quod uſque ad caput Minervæ excurrit , commonſtrandum ſit templum Junonis Argivæ , facile illud indicaverimus in litore ſcilicet Surrentino , & ea Promontorj parte , quæ vergit ad ſinum Poſidoniatem , & ad Notum ſpectat , ubi nunc eſt templum ſancto Petro ad *Caprollam* nuncupato poſitum , quæ Eccleſia olim Monachorum Baſilianorum , aut Benedictinorum erat , modo

Templum Junonis Argivæ, modo S. Petri ad Caprollam .

Digitized by Google

modo in commendatitiam Abbatiam redacta, cujus ego in præſens Abbas. Ibi enim extant antiquiſſimæ, & ingentes columnæ cum Jonicis epiſtyliis; quod quidem antiquiſſimi Patres Baſiliani, aut Benedictini, qui paupertati tunc, ac ſobrietati ſtudebant, magnis ſumtibus haud perficere potuiſſent. Tuſcis vero, vel Oſcis ære publico tantum opus perficere, & adeo inſigne, & celebre templum haud arduum fuit, aut incommodum. Refectum autem deinde templum, & expurgatum, (ut ſolenne fuit Chriſtifidelibus, teſte ſancto Auguſtino) vero numini dicatum fuit ſub auſpiciis ſancti Petri, quod id loci ſanctus Petrus Antiochia Romam adveniens, ut diximus, inviſerit.

# CAPUT X.

## *De Athenæo, ſeu Templo Minervæ.*

I. AD frontem Promontorj Surrentini, quod freto Caprearum inſtat, ſpectatque eam inſulam, Ulyſſem Minervæ Templum excitaſſe diſertiſſime refert Strabo, cujus verba ſuperius laudavimus. Hinc animadvertere datur, Ulyſſem non adeo celeriter prætervigaſſe litus Sirenum, ut Homerus, aliique Græci poëtæ finxerunt, ſed inibi diu commoratum fuiſſe.

Strab. l. 1.

Verum cuinam de Minervis id Templum dicarit, inquirendum heic eſt. Plures enim extitiſſe

tiſſe Minervas cum a variis mythologis, tum etiam a Cicerone accepimus, qui Cottam Scepticum cum Balbo ita colloquentem inducit: *Minerva prima, quam Apollinis matrem ſupra diximus; ſecunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitem colunt. Tertia illa, quam Jove*, ſcilicet ex primo Jove Ætheris filio, *generatam ſupra diximus. Quarta Jove nata, & Coriphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inventricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe virginitatem ſuam violare conantem.*

Cic. De Natur. Deor. lib.3.

Primam Minervam faciunt natam ex ſecundo Jove nato a patre Cœlo.

II. Mitto aliam, quam obganniunt, Minervam Herodotus, Pauſanias, aliique, Neptuni ſcilicet, & Tritonidis Africæ Paludis filiam: vel eam, quam e Jovis cerebro armatam prodiiſſe ferunt Steſichorus, Apollonius, Lucianus, aliique, ſine matre, obſtetricante Lucinæ locq Vulcano, qui cum prævalida ſecuri Jovis caput diviſit. Minervam etiam a Pallade diverſam facit Apollodorus referens *famam eſſe; Minervam apud Tritonem educatam fuiſſe, eique filiam fuiſſe Palladem,* atque ambas, quum res bellicas exercerent, in contentionem veniſſe, ubi, quum Pallas Minervam eſſet vulneratura, Juppiter veritus terrificam illi ægidem objecit ab Vulcano cum cælata Gorgonis effigie fabrefactam, quam tertia Pallas inſpiciendo a Minerva peremta fuit: id deinde quum gravate tuliſſet ipſa Minerva, Palladis effigiem in formidata ægide inſculſiſſe, eaque loricatam quandoque inceſſiſſe. Hanc deinde Ægi-

Herodot. in Melpomen.
Pauſan. in Attic.

Steſichor.
Apollon. Argonaut. lib 4.
Lucian. in Dialog. Deor.

Apollodor. Bibliothec. lib.3.

Lucian. in Dialog. Deor. in Venere.

dem Palladium dictum fuiſſe ferunt, & munimentum inexpugnabilium urbium. Verum de Palladio aliter Dionyſius Hallicarnaſſeus ex Arctimo antiquiſſimo poëta enarrat, *Chryſem ſcilicet Pallantis filiam nubentem Dardano dotem attuliſſe Palladis munera, Palladiaque, & Deorum magnorum ſimulacra*. Statua proinde potius, quam Ægis Palladium fuit. Quod deinde quo pacto ab Ænea ablatum, & Romam invectum fuerit cum aliis Diis Penatibus, abunde ipſe Halicarnaſſeus memoriæ prodidit. Sed ad rem noſtram id minime facit.

Halicarnaſſ. l. 1.

III. Ad Minervam igitur ſermonem convertentes dicimus illi Minervæ Templum ab Ulyſſe dicatum fuiſſe, quam primo loco Tullius enumeravit; ipſam enim Athenarum cuſtodem, & tutricem putarunt Græci. Id vero liquet primo, quod Athenæum hoc Ulyſſis Templum, de quo loquimur, fuerit appellatum. Erat autem Athenæum locus Athenis dicatus Minervæ.

Præterea in antiquis Templi veſtigiis, ac ruderibus in fronte Promontorj Surrentini, quæ adhuc extant, videre eſt epiſtylia columnarum cum noctua, quæ Minervæ Athenienſi ſacra erat, inſculta, ut etiam annotavit in Æſtatibus Surrentinis eximius ſane poëta Pater Nicolaus Giannettaſius, dignus equidem inter eos enumerari, qui inter Athenienſes excellentiſſimi poëmata ſua in Athenæum deferebant.

Sunt autem ea epiſtylia Corinthiæ architecturæ,

ſturæ, qualem dicebant Minervam decere. Licet Scopas Parius architectus in fano Aleæ Minervæ apud Tegeates triplicem fecerit columnarum circumabientem ordinem; quorum primus ingredientibus Doricus erat; ſecundus Corinthiacus, tertius templo proximus Jonicus. In Templo autem Minervæ Surrentinæ ſolus Corinthius apparet. Solum vero ex opere teſſellato adhuc conſpicitur. Teſſella quidem ex Encauſto, unde gemmularum illarum, de quibus abunde locuti ſumus, magna copia extracta.

V. Vitruv. lib. 5. & Leon. Baptiſt. Albert. De Re ædificator. l. 7. c. 2. Natal. Comit. in Mythol. l. 1. c. 9.

Hujuſce autem Minervæ Templi mens mihi erat Ichnographiam, & Orthographiam eruere, ſed collapſa, vetuſtate obruta, ac prorſus deperdita veſtigia nihil mihi lucis, nihilque auxilj ſuppeditare potuerunt. Spatium autem inter columnas ejus generis mihi videbatur, quod Vitruvius nominat Diaſtylon.

Vitruv. lib. 3. V. Leon. Bapt. Albert. l. cit.

Heic vero animadvertere non eſt abs re, Minervæ Templa plerumque non extra urbem, ſed intus erigi conſueviſſe antiquitus, utpote ei, quæ civitates cuſtodire putabatur. Surrenti vero extra urbem in fronte Promontorj ab Ulyſſe ideo fortaſſe extructum, quod optaverit integri loci tutelarem Deam. Sed ad alia Surrentina Templa ſermonem convertamus.



Digitized by Google

# CAPUT XI.

*De duobus Templis Neptuno , & Herculi a Pollio Felice poſitis . De Taurubulis , & de Villa Pollj .*

I. PUblius Statius Papinius ex Epiro oriundus , Neapoli ex patre Papinio omnigenæ eruditionis viro natus , educatuſque floruit tempore Domitiani Cæſaris , cui Thebaidem poëma XII. libris abſolutum nuncupavit ; quinque Silvarum , ut ipſemet inſcripſit , libros exhametro plerumque carmine elucubravit ; in quorum ſecundo *Surrentinum Pollj* Carmen legitur , in quo de Neptuni Templo Surrenti a Pollio excitato plurima mentio . In tertio vero libro prima Silva *Hercules Surrentinus* dicitur ; ubi Templum Herculis ab eodem Pollio magnifice conditum egregie celebratur .

II. Principio autem de Pollio horum Templorum , ac magnificentiſſimarum ædium , & ſplendidiſſimæ , ornatiſſimæque illius Surrentinæ Villæ conditore . Fert nonnullorum imperitorum opinio , Pollium hunc eumdem fuiſſe , ac illum , de quo Genethliacon cecinit Virgilius ; quod haud veri aliquid ſimile habet , primo ; quia illi Pollionis conſulis filio a capta civitate Salonj non Pollj nomen inditum fuit , ut refert Servius ; deinde quum ille natus ſit tempore Auguſti ,

Virgil. Eclog. 4.

Serv. in Virgil. Eclog. 4.

ætate

ætate Domitiani, ac Statj ſenex admodum fuiſſet, nec condendæ Villæ ſtudio pellectus. Præterea non Pollio, ſed Pollius hic Surrentinæ oræ cultor a Statio dicitur, quem inter amicos poëta in primis coluit.

V. Petr. Crinit. Voſſ. alioſque vitæ Statj Collectores.

*Verus Pollio* Conſul circa ætatem Statj floruit, de quo Dio; ſed non Pollio is, de quo agimus, dictus eſt, ſed Pollius. Claudius Beraldus, qui notas in Statium molitus eſt ad uſum Delphini, vult poëtam inter præcipuos amicos coluiſſe *Pollium, & Julium Menecratem, cives Neapolitanos ditiſſimos, & potentiſſimos*; ita prorſus dum ſcribit Statj vitam, ſed a ſententia recedit in Notis, aſſeritque, fuiſſe *Pollium civem Puteolanum*. Rectius fortaſſe Lucas Holſtenius Villam Surrentinam Pollj Romanæ magnificentiæ opus appellat, ipſumque Pollium Magnatem Romanum.

Dio lib. 66.
V. Tilemont. dans la Hiſtoire des Empereurs t. 2. Not. 6. ſur Domitien.

Berald. in Vit. Stat.

Not. in Sil. 2. adver. Pollj.
Holſt. in Not. ad Cluer. l. 9. p. 1892.

III. Fuit porro Pollius moleſtiarum Togæ, & militiæ oſor, & Epicureæ Philoſophiæ cultor (cujus magiſtrum mollem, voluptuoſum, & crapulæ aſſuetum communiter credunt, contra quam Diogenes Laërtius, Sextus Empiricus ſcribunt, & ex recentioribus Hiſpanus eruditus vir, & Galliæ celebris recens Philoſophus, qui temperantem faciunt, ſed a curis, negotiis, & a vita, quam dicunt activam, averſum) ut ipſe Statius innuit in Surrentino Pollj:

Sajavedr. nell' Impreſe.
Petr. Gaſſend. in vita Epicuri.

*Hic ſeu ſidereas exercet Pollius artes;*
*Seu voluit monitus, quos dat Gergeticus auctor.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt Epicurus. Fuit etiam Pollius eloquentiæ ſtudioſiſſimus, ut patet ex epiſtola, quam Statius ſcripſit ad *Meliorem* ſibi amicitia conjunctiſſimum, & ſecundo Silvarum libro præfecit, atque in facultate poëtica præſtantiſſimus, ut liquet ex ipſo Statio in Hercule Surrentino.

IV. Is igitur Pollius vir doctus, & locupletiſſimus ſæpe Neapoli Surrentum animi relaxandi gratia cum Polla uxore ſua divertebat, ubi duo templa cum magnificentiſſima Villa, atque ædibus extruxit. Illuc Statium, antequam Romam poſt patris lethum peteret, humaniſſime invitavit. Quapropter poëta, ut grati animi monimentum proderet, Surrentinum Pollj primo edidit; quod tamen non ipſi Pollio, ſed *Meliori* amico ſuo nuncupavit, ita ſeſe excuſans: *Pollj* Epiſt. Stat. Silv. l. 2. præfix. *mei Villa ſubſequitur, debuit a me vel in honorem eloquentiæ ejus diligentius dici, ſed amicus ignovit.* Roma deinde ad Pollium familiares epiſtolas dedit, & aliud carmen, cui titulus: *Hercules Surrentinus*.

Silv. l.3. Silv. 1. V. Extabat, ut idem poëta narrat, antiquum Herculi ſacrum ad Surrentinam rupem Sacellum, quo quum aliquando Pollj Comitatus pluviæ vitandæ cauſſa confugerent, anguſta ædes minime omnes capere potuit, eoſque ab imbre defendere, fortaſſe etiam, quod Sacellum intectum nequiret a pluvia tegere; quapropter de magnificentiſſimo templo conſtruendo Pollius cogitavit; & ſane prægrande, ac ſublime condidiſſe ſub-

ſubſtructiones, & fornicis, & abſidis reliquiæ adhuc indicant.

Plurimum temporis, laboris, ac ſumtus in opere perficiendo neceſſum fuit; quippe quod conſtructum in aſpera, prærupta, ac ſilicea rupe, cujus complanandæ gratia ingentia ſaxa, & cautes excindere opus fuit, & in mare projicere, quibus Portus lembis, celocibus, parviſque Liburnicis excipiendis commodus excitatus fuit, qui modo vulgo *Portiglione* dicitur. Fingit poëta Herculem ipſum concubiis noctibus operi inſudaſſe:

*Heic Pater ille loci poſitis Tirynthius armis* V. 116.
*Inſudat, validaque ſolum deforme bipenni,*
*Quum grave nocturna Cælum ſubſternitur umbra,*
*Ipſe fodit. Dives Capreæ, virideſque reſultant*
*Taurubulæ, & Terris ingens redit Æquoris Echo.*

VI. Sed quid pro Taurubulis intelligat poëta, omnes pene doctos viros aufugit. Nizzolius, & Stephanus inquiunt: *Taurubulæ nomen Inſulæ prope Neapolim*. At quiſnam, quæſo, hanc inſulam, aut in mari Tyrrheno, aut in Tabulis Geographicis unquam conſpexit? Recens Patavinus compilator Calepini, ſeu Lexici ſeptem linguarum *Taurubulæ*, inquit, *appellatur a Statia via Herculea ſeptem ſtadiorum apud Lucrinum ..aducendorum boum cauſſa deducta*. Hanc expoſitionem auctor hic mutuatus eſt a Domitio Calderino

In Theſaur. lingu. Latin.

Statj

Statj enarratore dicente, *Nomen Taurubulæ apud Coſmographos*, (Geographos potius dicendum erat) *non reperiri*; putatque a Papinio effictum ad ſignificandam viam Herculeam ſeptem ſtadiorum ante Lucrinum lacum, cujus meminerunt Strabo, & Diodorus, traducendorum Boum cauſſa extructam dictione compoſita ex Græca voce ταῦρος, & Βάλλω, hoc eſt, jacio, ſive trajicio. Idem repetit Adrianus Turnebus in comment. in 2. orat. Rulliana Tullj ad dictionem Herculaneam. Sed in animadverſ. ad Petri Rami Rullianos commentarios eamdem traditam Domitj interpretationem de Statj Taurubulis in dubium revocat.

Mihi vero nullo pacto arridet. Immaniſque videtur Papinj illa poëtica hyperbole, qua Herculeas concuſſiones e Promontorio Surrentino ad Lucrinum uſque lacum triginta m. paſſuum ferme diſtantem reboaſſe fert, indeque ab Herculea via reſiliiſſe; ſed præterea cur ex oppido ipſo Herculeo ad Lucrinum Lacum (nunc vulgo *Mar Morto*) juxta Strabonem poſito percuſſiones illæ Surrentini Herculis non reſultant? Sed potius e via Echo reddendæ inepta? Spectatur ſane illa pars Surrentini Promontorj, quæ dicitur Caput Surrenti, ubi templum Herculis extruxit Pollius, a Lucrino lacu, & ab aliis celeberrimis Crateris locis, ut ipſe Statius cecinit recenſens luſus gladiatorios; vel luctas ante templum ſub dio celebratas:

*Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus,*

*Silva-*

*Silvaque, quæ fixam Pelago Neſida coronat,*
*Et placidus Limon, numenque Euplæa carinis.*
*Et Lucrina Venus, Phrygioque e vertice Grajas*
*Addiſcis, Myſene, tubas, ridetque benigna*
*Parthenope gentile ſacrum, nudoſque virorum*
*Certatus, & parva ſuæ ſimulacra coronæ.*

Verum reddendo rupium concuſſarum fragori ineptus prorſus Lucrinus lacus, qui non e regione, ſed tranſverſim Templum Herculis Surrentini reſpicit, & proinde non idoneus ad Echus voces fingendas, quæ reflexæ per lineam ad angulos rectos redeunt, Echumque efficiunt.

Quare ſatius crediderim, Taurubulis hiſce a Statio dictis indicari ſublimiores Promontorj partes, & juga, quæ in præſens vulgo dicuntur *Li Tuori*, qua tauri evagantur, & pabulantur. Extat inibi modo Eccleſia *Santa Maria del Toro* nuncupata, ubi antiquitatis diruta quædam veſtigia viſuntur; fortaſſe Templum erat Marti dicatum, cui tauri immolabantur, e quorum ebulliente cruore Taurubulæ dictæ: ſed hanc ut meram conjecturam prodimus.

VII. Illud heic ex Statio etiam non omittendum, tale Templum a Pollio deſideraſſe Herculem, cui & navigantes vota deferre, & ipſe Juppiter ad convivium cum cœtu Deorum invitari poſſet, & Minerva e vicino fano ab Ulyſſe, ut diximus, condito:

*Da Templum, dignaſque tuis conatibus aras,* V. 105.
*Quas puppes velis nolint tranſire ſecundis.*

*Quo Pater Ætherius, menſiſque accita Deorum*
*Turba, & ab excelſo veniat ſoror hoſpita Templo.*

Adhuc de Templo Herculis prope portum; nunc de alio Nuptuni e regione ab eodem Pollio excitato dicamus.

VIII. Surrentinæ rupes litoribus interſectæ inde, ubi Pollius celebrem, & famigeratam villam extruxit, non protendunt verſus Iſthmum, ſed lunantur in arcum, cujus unum cornu Caput Surrentinum dicitur, alterum vulgo *Scutoli*; in priori Pollius Templum Neptuno excitavit, & inter utrumque Templum ſpatio circiter trium Stadiorum Ædes extruxit, Villamque exornavit. Templum Herculi, de quo dictum eſt, dicavit, ut id numen terram ab ingruentibus rupibus defenderet, ne in mare decidentes complanatam ſummis ſumtibus villam abrumperent; Neptuno verò, ut Ædes ſuas ab intumeſcentibus, caniſque maris fluctibus tueretur; quod uſque ad Templi ipſius fores pertigiſſe tradit Statius ita concinens:

Stat. Silv. lib. 2. Silv. 2.

*Ante domum tumidæ moderator Cærulus undæ*
*Excubat innocui cuſtos laris; hujus amico*
*Spumant Templa ſalo. Felicia rura tuetur*
*Alcides, gaudet gemino ſub numine portus;*
*Hic ſervat Terras, hic ſævis fluctibus obſtat.*

Quare recte laudatus Domitius *Templum*, inquit, *illic eſt Neptuni, unde fluctus imperio coërcentur, ne ſæviant in lares innocuos, & pios.*

IX. Pauca modo ſuperſunt hujus templi fragmenta; contra vero maximæ ſubſtructiones, & abſis

& abſis templi Herculei. Plures adhuc ædium Pollj reliquiæ manent. Quam amplæ, quam ornatæ fuiſſent ædes illæ ſilentio prætereundum, ne injuriam faciamus Papinj Statj eloquentiæ, qui apprime eas deſcribit cum feneſtris, unde aprici, amœnique aſpectus. Reticeamus igitur de Villa. Non omiſerimus tamen breviter aliquid indicare de mirabili ſtructura Amphitheatri, unde Naumachiæ ludi ſpectari poterant.

X. Eſt ſive natura, ſive arte in rupibus Surrentinis ampliſſima excavata fovea in circularem figuram, vergens ad maris uſque planitiem artefactis gradibus, ſpirali linea extructis, in imis partibus anguſtior: unde ſpectatores maritimos luſus maxima animi jucunditate cernere commode poterant. Juxta mare, ubi duriores aſſurgunt cautes, excavatus eſt fornix non integre completus, quâ lenis maris unda, pacatique fluctus in hunc ſinum ingrediuntur. Audiamus poëtam:

*Mira quies Pelagi, ponunt heic laxa furorem*
*Æquora, & inſani ſpirant clementius Auſtri.*
*Heic præceps nulla audet hyems, nullique tumultus,*
*Stagna modeſta jacent, Dominique imitantia mores.* Stat. ibidem.

In maris, ſeu hujuſce ſtagni meditullio ſeſe erigit ſcopulus, a quo per ſubterraneos ductus exiliebat dulcis lympha, quæ ſeſe maris aquis immiſcens plurimam, jucundamque præbuit poëtæ ludendi materiam.

Per eumdem fornicem celocibus, cymbis,



Digitized by Google

phaſelis ſingulatim ingredi fas eſt, quibus Naumachiæ ſpectatiſſimæ inſtruebantur. Digna ſane viſu hæc antiquitatis ſtructura, quæ miram oculis venuſtatem, animiſque intuentium delectationem adhuc, licet temporum injuria deformis, ingerit. Verum poſtquam de maritimis ludis aliquid indicavimus, de terreſtribus quidquam dicendum erit; ſed inferius recidet de illis ſermo opportunior, modo alia perſequamur templa.

# CAPUT XII.

## *De Templis Cereris, & Fortunæ, Neptuni, & Apollinis, & de Pantheo.*

I. DUo præterea fana, ſeu potius fanorum loca inter majus, & minus, ut dicunt, litus indicantur ab incolis, ubi vix pauca fragmenta templorum *Cereris*, & *Fortunæ*, & exigua rudera extant. De his meminit etiam Capacius. Verum cur ad maris oram Cereri templum dicarint priſci illi ſuperſtitionis cultores, quæret curioſus nonnemo, quando Ceres frumenti, leguminum, terræque incolendæ mater, & magiſtra credita fuerit, cui Theſmophoria, & terreſtria tripudia celebrabantur, ut inter recentiores nobiliſſimus poëta:

Capac. Hiſt. Neapol. l. 2. pag. 512.

Navoger.

*Reſpice, Magna Ceres, quos tibi, ſemente peracta,*
*Ducimus agreſtes ruſtica turba choros.*

II. Ego

II. Ego ſane crediderim, veteres illos ad inceſtuoſæ Cereris conjugia cum Neptuno alluſiſſe, quibus Ethinici Mythologi innui allegorice putant, ex commiſtione terræ, & aquæ gigni fruges, & adoleſcere.

III. De Fortuna facilius eſt conjicere; eam enim ex Oceano natam fuiſſe tradit Pauſanias in Meſſeniacis.

In Ædibus, quæ fuerunt Veſpaſiani Serſalis prope pomœrium civitatis, refert Capacius, rudera, & loca indicata fuiſſe templorum Neptuno, & Apollini nuncupatorum, quorum ſubſtructiones & edax abolevit vetuſtas, & ſuperextructa ædificia, quæ ipſis incumbunt, prorſus occuluerunt. Verum quum altiores in terra figuntur ſulci, vel quum vineæ fodiuntur, paſſim rudera, monimenta, urnæ, monetæ tum Græce, tum Latine inſcriptæ, & anaglypticæ inveniuntur, præter innumeras ab Antiquariis jam collectas.

IV. In amœniſſimo Menſæ Archiepiſcopalis rure Balneum reticulati operis detectum fuit cum aquæductus orificio, me regente Eccleſiam Surrentinam.

In meditullio civitatis Delubrum extitiſſe conſtat plurimorum numinum marmoreis ſignis ornatum; quod fuiſſe vere Pantheon, putamus. De quo, quia ſatis in prima parte, heic dicere ſuperſedemus.

CA-

# CAPUT XIII.

## *De Nymphæo Surrentino.*

I. Hanc, quam modo Surrenti nullibi invenire potuimus, proindeque deperditam putamus, inſcriptionem, refert Capacius, quondam extitiſſe in ædibus viri Patricj Franciſci Vulcani:

Capac.Hiſt.Neapol. l. 2. c. 12. pag. 108.

ECTO NYMPHÆO
CUM PLUMBO
SURRENTIN. DEO.

Principio mutilam hanc inſcriptionem eſſe ducimus, quippe cui, marmore ſive temporum injuria, ſive fortuito effracto, duæ priores literæ abruptæ fuerunt. Non enim ECTO ibi, quod nihil ſignificat, ſed potius ERECTO NYMPHÆO legendum eſſe arbitramur.

II. Nymphæum vero non ita breviter prætereundum. Plurivocam, ſive homonymam eſſe dictionem hanc, nemo eruditorum ignorat. Apud Plinium aliquando herbam ſignificat in locis aquoſis naſcentem, albumque, ac tenuiſſimum edentem florem; de qua Theophraſtus, Dioſcorides, Solinus, aliique, *Agnus caſtus* quandoque dicitur. Aliquando Nymphæam inſulam Samo adjacentem, circa cujus ſitum carpitur a Salmaſio Plinius teſtimonio Ptolemæi, & aliorum. Nymphæus etiam apud Plinium appellatur fluvius prope Romam, ubi inquit: *Antium colonia, Aſturia flumen, & inſula,*

Plin. l. 25. c. 7.

Talis in Cappadocia naſcitur Nymphæa.

Idem l.5. c.31., ut Stephanus, *Meropis*, ut Dionyſius, deinde *Nymphæa*.
Salmaſ. Exerc. Plinian. in Solin.
Plin. l.2. c.5.

Digitized by Google

*ſula*, *fluvius Nymphæus*, *cloſtra Romana*. Sed quodnam hoc ſit flumen, diſſident Geographi. V. Ferrar. in Lexic. Geograph.

Nymphæum etiam tradit Strabo dictum eſſe portum in Taurica Cherſoneſo inter Theodoſiam, & Panticapæum. Strab. lib. 7.

III. Sed celeberrimus fuit Crater ille ignivomus, de quo idem Strabo, & Plinius. Hujus verba ſunt: *In Megalopolitanorum agro, tametſi internus ſit ille jucundus, frondemque denſi ſupra ſe nemoris non adurens, ſed juxta gelidum fontem ſemper ardens Nymphæi Crater. Dira Apolloniis ſuis portendit, ut Theopompus tradit. Augetur imbribus, egeritque bitumen temperandum fonte illo inguſtabili, alias omni bitumine dilutius.* Plin. l. 2. c. 106

IV. Ita ſane legendus nobis videtur hic Plinj locus, ut videlicet exprimat, quod in Megalopolitano agro ſit Nymphæi Crater; aliter ſenſus eſſet abruptus, & inconcinnus. Etſi non ſim ignarus, Megalopolim præcipuam Arcadiæ civitatem extare in meditullio Peloponeſi. Apollonia vero in Epiro. Verum hoc familiare Plinio, ut loca confundat, aut invertat. Pintianus, & Jacobus Dalecambius non *juxta gelidum fontem*, ſed *juxta egelidum fontem* legunt; verum perperam; nam C. Julius Solinus Plinj compendiator inquit: *In Epiro fons eſt ſacer frigidus ultra omnes aquas, & ſpectatæ diverſitatis; nam ſi ardentem in eum mergas facem, extinguitur, ſi procul, & ſine igne admoveas, ſuopte ingenio inflammat*. Atque ſunt Athemanæ aquæ, de quibus etiam Ovidius meminit Metamorphoſeos lib. 1. V. Ve-

Solin. in Polyhiſt. cap. 7.

Admotis Athemanis aquis accendere lignum narratur.

V. Verum de Cratere non meminit Solinus, ut accuratius fecerat Strabo his verbis: *In Apolloniatum finibus Nymphæum appellatur ſaxum quoddam ignem egerens, ſub quo fontes ſunt tepido fluentes bitumine, glebæ, ut apparet, bitumine ardentes, &c.* Heic Strabo Craterem ipſum Nymphæum appellari dicit. Verum Antigonius Cariſius, quem cum aliis opuſculis Græcis primum edidit, & in Latinum vertit ſermonem Guilielmus Xilander, fanum quoque Nymphis erectum fuiſſe tradit ita: *In Athemantia fanum eſſe Nympharum, in quo fons, cujus aquæ frigus ſit ineffabile, quidquid autem ſupponatur, id clareſcere, & ſi quis ſarmenta, aut aliquid tale admoveat, id inflammari.*

Strab. lib. 7.

Antigon. Cariſ. De Mirabil. Narrat. conger. c. 162. edit. Argentinæ anno 1590.

VI. Ex quibus ſane verbis lumen accipit numiſma illud, quod affert Gronovius majoris, ac minoris orbis; in quo cælatæ ſunt tres Nymphæ manibus ſe tenentes cum ſaxo igneam flammam evomente: quæ quidem olim a Golzio, & aliis edita minus recte fuerant interpretata.

Gronov. in Theſaur. Antiq. Græc. lib. 1.

VII. Aliud Nymphæum a Strabone refertur in Taurica Cherſoneſo inter *Theodoſiam, & Panticapæum ſtadia 630. tota regio frumenti ferax eſt, habetque vicum, & urbem bono potu præditam Nymphæum.*

Strab. loc. cit.

Nec pigebit heic referre aliud, quod Plinius Nymphæum in Lydia commemorat de inſulis ſic verba faciens: *In Lydia, quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolum, ſed etiam cantu, quo libeat, impulſæ, multorum civium Mithridatico bello ſalus. Sunt*

Plin. l. 2. c. 95.

*enim*

Digitized by Google

*enim in Nymphæo parvæ ſalutares dictæ quondam in Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur* .

Heic *Saliares* potius , quam *Salutares* , ut in pleriſque codicibus habetur , legendum eſſe putat Salmaſius , ideſt , Saltatrices a Siliis dictæ , quæ ad ictum pedum eorum , qui Muſicum cantantium tempus modulabantur , tripudiabant . Antiqui enim Armonicos rhythmos, non ut hodie nos manus motu , qui vulgo dicitur *la battuta* , ſed pedis regebant , ut Muſices eruditi ſatis norunt. Sed de quonam Nymphæo loquatur Plinius , haud ſatis conſtat . De prioribus inſulis in Lydia idem traditur a Solino , & Martiano Capella .

V. Zerlino, alioſque .

Solin. in Polyhiſt. cap. 5.

Mart. Capell. De Inſul. lib. 9.

VIII. Præterea Nymphæi nomine fanum Nymphis dicatum plerumque ſignificari putant ; cujus rei argumento ſunt inſuper verba ipſius Plinj , qui Sicyonem figulum plaſtico opere ſimulacrum Amasj Corinthiæ ejus filiæ primo feciſſe memorat ; ſubditque *illud ſervatum in Nymphæo , donec Corinthum Mummius everteret* , hoc eſt , in templo Nymphis erecto .

Plin. l. 35. c. 12.

IX. Nymphæa vero non templa , ſed lavacra Nympharum fuiſſe contendit Lilius Gregorius Gyraldus ſcribens : *Noſtri certe Nymphas putant appellatas unius literæ mutatione , quaſi Lymphas , unde Nymphæa lavacra dicta fuere* . Anceps de ea re temperantius fortaſſe Valeſius : *Dicta ſunt Nymphæa , ſeu Lymphæa , ſive Lymphæas , quas emittebant , ſive a Nymphis ſtatuis , quibus ornabantur* .

Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagm. 5. tit. Nymphæ .

Valeſ. in Not. ad Ammian. Marcell. lib. 15.

L l X. In

X. In ampliſſimis Ædibus Barbarinis in uno ex clivis collis Quirinalis extructis effoſſus fuit non multo pridem vetuſtiſſimus paries udo ſubacto depictus, qui exprimebat fertilem montem cum ſubjecta valle, in qua oſtium cryptæ cernitur, quæ lacu alluitur, quo multigena animalia potatum adveniunt. Hanc picturam volebat celeberrimus antiquitatum collector Alexander Donatus cryptam referre Deæ Ægeriæ ſacram, in quam colloquendi gratia, conſulendæque Deæ ſimulabat Numa Pompilius ingredi. Doctiſſimus vero Lucas Holſtenius Nymphæum potius eam picturam referre, brevi, ac nervoſa diſſertatione contendit, ſive lavacrum publicum.

XI. Plura inſuper Romæ conſtructa fuiſſe publica hujuſmodi lavacra, ſive Nymphæa, refert diſertiſſimus itidem ædificiorum Romanæ urbis vetuſtiorum, ac diligentiſſimus collector, & expoſitor Nardinus, qui uſque ad quindecim enumerat, inter quæ celeberrimum fuit illud Severi, quod Septizonium fuit appellatum, ſeptem ſcilicet porticibus cum Stylobatis, quaſi zonis circumplicatum.

Nicol. Berg. De Public., & Milit. Imper. Romao. viis l. 5. ſect. 8. Extat. apud Græv. Roman. Antiqu, tom. 10.

De his ita ſcribit Bergierius: *Nymphæa, ſive Nimpea, quæ inter ædificia publica erant, in quibus nuptiæ celebrari ſolebant, Lymphæa itidem ſimilia erant noſtris cryptis artificioſis, ſive antris delicatis, qualia in hortis Magnatum, & ſplendidorum virorum amœnioribus hodie videntur: ſic dicta a lymphis, quæ per diverſos tubulos, canaliculos,*

*fiſtu-*

*fiſtulas, cavernaſque occultas undique cum impetu improviſo proſiliebant in otioſos ſpectatores, eoſque aſpergine madefaciebant, quum toti hærerent in perluſtrandis, & conſiderandis horum ædificiorum ornamentis, quæ decore exculta erant conchis, & conchyliis omnium locorum in certum ordinem, ſpatia, formam, figuras diſtinctis, ac veluti conglutinatis.* Ita imaginarius hic ſcriptor, neotericas hujuſmodi fontium ſtructuras ab antiquitate repetere ſine ulla conjectura audet; his perſimilia ſunt, quæ in ejuſdem notis addidit Hernericus Chriſtianus Henninius.

Sed omnia prorſus aliena ab iis, quæ de his Lymphæis habent Frontinus, Victor Capitolinus, & diſertus Vitruvj commentator Filander, Olaus quoque Borrichius *De Antiqua urbis Romæ Facie* ſcilicet. Apud Græv. t. 4.

XII. De Nymphæis veteribus nullum ad noſtram, & patrum uſque tempora perduravit. Recens nunc eſt inter Neapolim, & montem Veſuvium in villa Leucopetra, cujus forma hæc eſt: Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod per unam ſolummodo portam aditus eſt, & per aliquot gradus deſcenſus. Ad dextram introeunti in Nympæi capite fons eſt aquæ limpidiſſimæ, ad cujus quaſi cuſtodiam accubat Arethuſa nuda ex candidiſſimo marmore: ſolum varium, & marmoratum, canalique circumdatum, in quem aqua e fonte effluit. Parietes ex conchis, lapilliſque albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quaſi

L l 2 mal-

maltha illiti, in quibus ex concharum compoſitione tamquam ductibus in pictura anni, menſes duodecim, & quatuor virtutes politicæ expreſſæ: item raptus Proſerpinæ, Pan fiſtula canens, & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium, navigantium, in piſcibus ludentium, inter quas Helle inſidens arieti, Siren Delphino, Europa Tauro. In eodem ad ſingula latera quatuor ſtatuæ marmoreæ Herculis leoninam pellem geſtantis, Panos agnam bajulantis, Genj cani blandientis, Najadis nudæ. Hæc nobis de nomine, & de auctoribus, & de forma Nymphæorum lectione, atque inſpectione ſunt cognita, cupide, & libenter audituris, ſiquis vel noſtra probaverit, vel ſtudioſos certiora docuerit.

XIII. Ex his conſtat, Nymphæa ſive publica, ſive privata fuiſſe loca, ubi cryptæ artefactæ, in quas per ductus, & canaliculos aquæ proſilientes inde in vivaria reciperentur, & delectationi, ac lotioni ſervirent, Nympharum ſignis, aut picturis ornatæ, vel ipſis Nymphis, vel alicui Numini dicatæ, ut allata inſcriptio Surrentina videtur quodammodo innuere.

XIV. Verum quis hariolabitur quodnam fuerit hoc Surrentinum Numen? Genius fortaſſe loci, quem adorare, & cui litare ſuperſtitioſi Gentiles ſolebant, ut Æneas ad Laurentem agrum quum appuliſſet.

Virgil. Æneid. l. 7. V. ibi Servium.

*Geniumque loci, primamque Deorum*
*Tellurem, Nymphaſque, & adhuc ignota precatur*
*Flumina.*

Non

Non enim bonum, vel malum Genium hominibus tantum cuſtodem dari Gentes crediderunt, ut bonum Socratis Genium fuiſſe tradiderunt; (quæ doctrina ex ſacris paginis hauſta fuit, ſed ab iiſdem miſere fœdata, & corrupta) verum etiam urbibus, fluminibus, animantibus, arboribus Genios datos fuiſſe cuſtodes tenuerunt, libros etiam Genj ſui indigere cuſtodia ſcripſerunt. V. S. Auguſt. De Civit. Dei lib. 7. cap. 13. & Lactant. De Falſ. Relig. l. 1. c. 13.

*Victurus Genium debet habere liber.*

Silviam Numitoris filiam Veſtæ ſervitio mancipatam poſtquam retulit Dionyſius Halicarnaſſeus vi fuiſſe a Genio violatam, de his Geniis mediæ naturæ inter Deos, & homines nugas venditari non obſcure exiſtimare videtur. Halicarn. Antiq. Rom. l. 1.

XV. Macrobius vero ſatis conſtare exiſtimat, omnes urbes in alicujus Dei eſſe tutela: repertumque refert in libro quinto rerum reconditarum Samninici Sereni utrumque carmen, quod ille in Furj vetuſtiſſimo libro reperiſſe profeſſus eſt, quo Dii evocabantur, quum oppugnatione civitas cingeretur, rogabanturque, ut civitatem illam relinquerent, Romamque commigrarent, ubi aræ, templa, ludique vovebantur. Quinimmo ipſemet auctor aſſerit, ideo Numinis tutelaris urbis Romæ propalatum non fuiſſe nomen, ne hujuſmodi faſcinationes ab exteris adverſus Romam adhiberentur, quibus Romani utebantur. Vide ſis quas gerras in Religionem Romani induxerint, ut irriſione dignæ viſæ ſint ipſi Tullio. Macrob. Saturnal. l. 3. c. 7. Cic. in lib. De Natur. Deor. & de Fat.

In

Digitized by Google

In Laribus etiam Deos tutelares, & Genios agnoſcebant. Utinam hæc ſuperſtitio adhuc funditus evulſa eſſet apud nos. Simpliciſſimæ enim anus Italorum poëtarum fictiones ſectatæ, quibus Sagas, vulgo *Fate*, veluti ſerpentes repere finxerint, & imperitiſſimæ mulierculæ ſerpentes domi latentes enecare, nefas putant.

Il Conte Bojardo nel Furioſo, l' Arioſto, ed altri.

XVI. Nymphæum igitur Surrentinum Genio innominato dicatum fuit; Lucus autem, ubi Nymphæum erectum fuerat, fortaſſe eſt Atilianum modo dictum, ubi Donurſi Neapolitani, ac Surrentini Patricj villam cum egregiis domibus extructam poſſident, cujus Lithoſtrotum Nymphæi inſtar cum ſalientibus aquis per fiſtulas, & canaliculos, & Balnea, necnon cryptæ adſunt; hoc vero tamquam meram conjecturam prodo; modo ad alia ædificia Surrentina gradum faciamus.

# CAPUT XIV.

## *De Circo Surrentino, ac Ludis Circenſibus.*

I. IN ea Surrentini maris ora, quæ ad Septemtrionem vergit, unum præ ceteris extat anguſtum litus, unde arduo, & obliquo tramite undiſona ſcanditur rupes, *Circo* tam ſecreta acta, quam clivi ſummitas vulgo audit; putant quidem ex Cereris, vel Circis Delubro nominatum locum; alii ex Circenſibus ludis, qui in ampla ſuperiore planicie exercebantur. II. Utrum-

II. Utrumque fortaſſe verum. Fanum namque ibi excitatum fuiſſe demonſtrant priſcæ illæ ſubſtructiones, quibus modo inſtructa, amœnaque domus *D. Marci Antonj Guardati* Patricj Surrentini plurima ex parte innititur. Circum ibidem extitiſſe arguit marmor illud vermiculatum, quod exinde, ut fertur, extractum in pariete Cœnobj Patrum Theatinorum affixum extat cum ſequenti inſcriptione a Cæſare quoque Capacio relata:

L. CORNELIO L. F. MEN.
N. FLAMINI ROMÆ
T. C. AUGURI ÆD. II.VIRO
QU. PRÆF. FABR.
BIS HOC JOC. CRUSTULUM,
ET MULSUM.
POPULO ÆDILITARE
SPECTACULUM GLADIAT.
CIRCENS. EDIDIT OB HONOR....
DECURIONIBUS
MAGNAM COENAM
L. QUINQUENNALITATE SUA
LUDOS.. HUIC DECURIONES
PUBLICE LOCUM
FUNER., ET STATUAM.

Quam inſcriptionem ita interpretantes ſupplemus lacunas.

*Lucio*

*Lucio Cornelio Livj Filio Menennj*
*Nepoti Flamini Romæ*
*Tito Cajo Auguri , Ædili , Duumviro ;*
*Qui Præfectus Fabricæ*
*Bis hôc jocos , Cruſtulum , & Mulſum*
*Populo Ædilitare ſpectaculum Gladiatorum*
*Circenſium edidit ob Honorem Decurionibus*
*Magnam Cœnam . Lucio Quinquennalitate ſua*
*Ludos decreverunt . Huic * Decuriones publice locum*
*Funeris , & Statuam .*

Pro hic

* Scilicet Tito.

III. Itaque hæc inſcriptio duobus dicata, ſcilicet, Lucio Cornelio, quem ex Flaminum, ſive Pontificum collegio ( Flamines dicti ab infulis, ſive filaminibus, quibus caput operiebant ) etiam Surrenti ædilitatem geſſiſſe putamus : & Tito Cajo, qui unus ex auguribus fuerat, iis ſcilicet, qui ab avium volatu, cantu, aut eſu futura prædicere ſolebant: quos jure merito irridet Cicero. Geſſit etiam ædilitatem, cujus duplex genus Romæ fuit, & numerus ſenarius. Duo enim Patricii ædibus, & ludis publice præerant; & Ædiles Curules dicebantur. Quatuor vero ex plebe, qui rei frumentariæ, Cereales nuncupati.

Cic. de Fato.

Dio lib. 43. Plutarch. in Vit. Marj. V. Eruditiſſ. Barnab. Briſſon. Selectar. Antiq. & Adrian. Turneb. l. 11. c. 10.

In municipiis, cujuſmodi fuiſſe Surrentum, infra dicemus, duo præerant Ædiles, ut liquet ex lege *Qui inſulam §. 1. ff. Locat.* qui merum imperium habebant, ita ut flagris cæderent. *Lege 2. ff. De Decurionib.* Atque hi quinquennio durabant, & Luſtrales ab aliquibus appellati; hujuſmodi Lucius, & Titus Surrenti Duumviri, de quibus Magi-

Magiſtratibus etiam infra recidet ſermo. Lucio licet præfecto ludorum ludi etiam a Decurionibus ſtatuti fortaſſe; quia Romæ Flamen erat. Tito publicus locus funeris, & Statua.

IV. Porro Romanos Circos plurium Deorum Delubris, *Liberi*, *Cereris*, *Floræ*, *Solis*, *Lunæ*, *Veneris*, *Herculis*, aliorumque numinum utroque latere ornatos fuiſſe, ex obviis graviſſimorum auctorum teſtimoniis ſatis conſtat; quapropter Plinius inter eximias Trajani laudes enumerat, quod collapſo Neronis Circo inſtaurato: *hinc immenſum latus templorum pulchritudinem provocat*.

Plin. in Paneg. Trajan.
V. Alexand. Donat. in Rom. veter. ac recent. l. 3. c. 14.

Sanctus Iſidorus in Etymologico putat, unius Cereris templum principio Romanis Circis poſitum fuiſſe, & Circenſes luſus a Cerere nomen accepiſſe; quapropter memoratum templum in loco Surrentini Circi Cereri dicatum fuiſſe non immerito quiſpiam ſuſpicabitur.

V. Varro tamen luſus Circenſes potius dictos tradit; quod principio Luſores ab uno latere Tybrim, altero vero militum enſes circum haberent. Quocirca fortaſſe Surrenti in Circo ita Latino vocabulo dicto Græci gymnaſj agones exercitos fuiſſe puto, ut allata inſcriptio indicat, & prout antiquiſſime Romæ prope Tybrim, vel in Circo Agonali, modo vulgo dicto *Piazza Nagona* adhibebantur, priuſquam idem Circus regionis nonæ in ampliorem formam ab Alexandro Imperatore, & ad uſum ludorum Circenſium, Curſum ſcilicet Equorum, Curruum, Plauſtro-

V. P. Victor., & Sext. Ruf.

V. Marlian. Honuphr. Panvin. &c. rum redactus fuiſſet; additis podiis, ſedilibus, carceribus, meta, obeliſco, Euripo, aliiſque ad Circorum magnificentiam ſequioribus temporibus a locupletiſſimis Romanis invectis; ſuperius enim, quum de Caprearum Telebois ageremus, Græcos, ſive gymnicos ludos Octavianum ſpectaſſe indicavimus. Præterea Statius in *Hercule Surrentino* eos Surrenti agitatos fuiſſe commemorat, ad quos ſpectandos, iiſdemque plaudendum Parthenopen, aliaque vicina loca per proſopopejam inducit.

De Ludis vero, ac certaminibus Gymnicis, Lucta ſcilicet, Pancratio, Diſco, Pugillatu, aliiſque abunde Mercurialis. Verum numquolibet quinquennio repeterentur inſtar Olympiadum non mihi libet divinare; præcipue quod ſi Circus Surrentinus Cereri inauguratus fuerat, eidem quinquennales curſus lampadarum inſtituti erant: & annuales poſt peractam ſementem, ut egregius ſane poëta Naugerus indicare videtur:

V. Pietro Laſena dell' Antico Ginnaſio Napolitano cap. 2.

*Reſpice, magna Ceres, quos tibi, ſemente peracta,*
*Ducimus agreſtes ruſtica turba choros.*

Sed ulterius progrediamur.

CA-

# CAPUT XV.

## *De Surrentinis Piſcinis, Aquarumque Caſtellis.*

I. MIræ ſane ſtructuræ ſunt decem, & octo Piſcinæ Surrentinæ, quæ extant in hortis Patriciorum Veſpaſianorum, in quas excipitur aqua, quæ a celſiſſimo jugo, parte Montis Gauri deducitur longiſſimo tractu partim per plumbeos aquæductus, partim per apertos Euripos, præcipue quum proxima eſt civitati. Poſtquam autem in Piſcinas influit, in varios ſive publicos, ſive privatos fontes diſpertitur.

II. Sunt eæ Piſcinæ lateritio opere oblongi Parallelogrami figuræ, fornicibuſque, ſuper quos ſolarium eſt, cryptarum inſtar obtectæ, tantæ firmitatis, ſoliditatiſque, ut antiquiſſimas quercus, pinus, cupreſſos, aliaſque hujuſmodi ſilveſtres immenſas arbores quarum radices, vel duriſſima marmora, cauteſque ſindunt, per tot ſeculorum curriculum inconcuſſe, illæſeque adhuc ſubſtineant. Cœmentum illud alius miſturæ ac noſtrum fuiſſe putamus. Doctus vir Anglus ſummo ingenio præditus quum ſpectaſſet cruſtam piſcinæ mirandæ prope Cumas, inquit: *Datur cœmentum ex ſarina, albumine ovi, lapidibus in cineres redactis, quod marmoris inſtar indureſcit, quo Piſcina miranda prope Cumas incruſtatos habet parietes*. *Certe ex*

Jo. Baco Baro De Verulamio in Silva Sil. centur. 8.

*re cognitum pulverem Magnetis, & ſilicis, addito ovi albumine, & gummi Draconis in paſtam redactum paucis diebus lapidis acquirere duritiem*. Nemo fortaſſe ſibi perſuadebit, cœmento illo a Bacone indicato Piſcinas Surrentinas conſtructas eſſe ob ingentes operis ſumtus; ſed arbitramur Naphtha, aliiſque bituminum generibus, ac ſalibus, e quibus plura hujuſmodi duriora, ac etiam ſolidiora cœmenta a Chymicis excogitari poſſunt. Quinimmo plures e celſiſſimis columnis, quæ integræ Romæ conſpiciuntur, non ex montibus exciſas, ſed ex hujuſmodi ſubactis confectas eſſe arbitramur.

III. Quod in Piſcinis Surrentinis maxime miratus ſum, illud eſt, pavimentum ſcilicet ita levigatum, ut poſt tot ſeculorum ſpatia nullam ſcrobem patiatur, & tam molli clivo, ut planiſſimum ad libellam appareat, tametſi per exiguas infimas fores aqua ita tota penitus effluat, quum a luto, & ſordibus Piſcinæ repurgantur, ut ne gutta quidem reliqua in ipſis videatur. Plinius de Signinis pavimentis dixit: *Quid non excogitavit ars? fractis etiam teſtis utendo ſic, ut firmius durent, tuſis calce addita, quæ vocant Signina*. Quo genere etiam pavimenta excogitavit. Sed præſtantiori materia conſtare credo pavimenta Piſcinarum, de quibus agimus, quam calce, & teſtis tuſis, quod neque adeo diuturna, neque adeo levigata eſſent.

Plin. l. 35. c. 12. in fin.

IV. At haſce Piſcinas non Græcorum, ſed

ſed Romanorum opus eſſe conjicimus tum ex genere fabricæ, tum maxime, quod plumbei Aquæductus Antonini Imperatoris nomine inſcripti olim reperti fuere.

Supereſſet modo de antiquis ædificiis verba facienti, ut etiam commemorarem ſigna marmorea, quæ adhuc Surrenti extant, licet plurima eorum deperdita ſint. Sed, me eam Eccleſiam regente, in irriguo fonte prope Curiam dictam *Dominovæ* ſupererat miræ ſtructuræ Sphinx e granito Ægyptio duriſſimo lapide. In ædibus Archiepiſcopalibus anaglyptica marmora egregj operis, quorum unum ſeptem Græciæ Sapientes exhibet, Græcæ ſtructuræ. Aliud, quod rapturam Sabinarum, a Romano aliquo ſtatuario confectum.

V. Ante fores ejuſdem Palatj ſcutum marmoreum cum Dracone, & Acinace, quæ fuere inſignia militum Prætorianorum, plurimæ columnæ flavi marmoris, Africani, aliorumque generum lapidum, ampla vivaria, ex eo marmorum genere, quod *Portam Sanctam* vocant; & alia variegata, ac nobiliſſima, quæ quidem indicant, locupletiſſimos Magnates ab antiquiſſimis uſque temporibus Surrenti degiſſe. Sed quia ad operis coronidem urgeor, hæc miſſa facio ad majora properans.

*Finis Libri II.*

LI-

Digitized by Google

# LIBER III.

## *De Politia Surrentina.*

REipublicæ formam Surrenti antiquiſſimis temporibus rectam fuiſſe, apertiſſime oſtendunt inſcripti lapides, quorum unum ſuperiori capite retulimus. Sed alios, quos affert Capacius, ſubnectamus:

Capac. Hiſt. Neap lib. 2. cap. 12.

ARRUNTIO P. F. L. N. MEN. RUFO
EJEDIO PROCULO
U MIT. ANN. XXIII.
HIC DECURIONES STATUAS DUAS.
ALTERAM EX PECUNIA PUBLICA.
ALTERAM EX ÆRE
A POPULO CONLATO.
IN FORO PONENDAS DECREVERUNT.

C. Forus De Verbor. ſignificat. Coraſius. Alciat. lib. 2. Diſp. cap. 24. V. Boſq. in Annot. ad Innoc. III.

Forum, de quo heic, non quidem rerum venalium intelligendum eſt, ſed negotiorum judicialium, quod Forus dicitur ab Iſidoro, quem carpit Coraſius, qui Forum recte dicendum putat, & immerito etymologiam carpunt Alciatus, aliique. Abſolute enim Forum dictum pro Foro judicia-

diciario accipitur. Ecce aliam marmorum inſcriptionem:

FLAVIO FURIO FAUSTO
V. C. TRIBUNO.
AB ORIGINE PATRONO
OB MERITA LABORUM SUORUM
UNIVERSUS ORDO.
ET POPULUS SURRENTINORUM.
STATUAM NOBILITATI EJUS.
FACIENDAM CURAVIMUS.

In notis illis V. C. lege *Viro Clariſſimo*. Clariſſimi enim titulo Tribuni inſigniebantur, ut videre eſt apud Jacobum Gutherium De Officiis Domus Auguſtæ, Cujacium, alioſque. Aliam quoque non omittamus inſcriptionem Adriano poſitam hujuſmodi:

Guther. l. 1. c. 17. Cujac. l. unica ff. Ut omnes Judices l. unica ff. De Offic. Comit. Sacr. Palat.

IMPERATORI CÆSARI....
TRAJANI F...,
SURRENTINA RESPUBLICA.

Lacunas ita ſupple; primæ inſere *Adriano*, ſecundæ fortaſſe *Victori*, vel *Auguſto*, aut quid ſimile.

Adrianus fuit adoptatus a Trajano ope Plotinæ uxoris, de qua adoptione adhuc dubium eſt, eique ſucceſſit. Alia eidem Adriano extat Surrenti inſcriptio ſub nomine Trajani Adriani. Iſque imperio potitus Trajanus nominari voluit.

V. Thilem. Dans les vies des Empereurs.

Du-

Digitized by Google

IMP. CÆSARI D. TRAJANI PARTHICI.
D. NERVÆ NEPOTI TRAJANO
A D R I A N O A U G.
PONT. MAXIMO TR. P. VIRO
OPTIMO MAXIMO PRINC.
DECURIONES MUNICIPESQ.
S U R R E N T I N I
P E C U N I A C O N L A T A.

Duplex inſcriptio duplicem ſtatuam Adriano poſitam fuiſſe indicat. Alias plures inſcriptiones Rempublicam fuiſſe Surrentum exprimentes ſparſim inferius referemus.

Neque te moveat, has inſcriptiones evincere, Surrentinam politiam Romanorum Imperatorum tempore extitiſſe non ita ante, quam Romani Campania, vel tota Italia potirentur. Etenim dehinc palam faciemus, Surrentum Municipj honore ab Romanis auctum; municipia enim priſtinam vivendi formam, ac politiam retinebant.

Verum, ut diſtinctius rem agamus, diſtinguenda ſunt nobis tempora, in illud ſcilicet, quo Surrentini vixerunt more Græcorum; deinde in tempus, quo in manus Romanorum pervenerunt. Tum in tempus Langobardorum, quo Italia in regnum verſa eſt. Poſtea tempus Nortmannorum luſtrandum. Tandem quum Regnum Neapolitanum variis exteris Regibus paruit, diſcutiendum eſt. CA-

# CAPUT I.

*Surrentina Reſpublica tempore Græcorum.*

I. CAmpaniam univerſam in Romanorum ditionem perveniſſe anno Periodi Julianæ 4371. Olympiade 109. anno Urb. Cond. 411. M. Valerio Corvino III. & A. Cornelio Coſſo Conſ. tradunt. Ea tempeſtate quæ fuerit forma Surrentinæ Reipublicæ, poſtea dicemus. Antea quibus legibus, qua forma Reipublicæ, quibus Magiſtratibus uſa ſit, haud facile in tanta vetuſtate, ac deperditis memoriis poteſt aucupari: præcipue quum difficillimum ſit dignoſcere ad quod genus Reipublicæ, ſeu Communitatis homines ſint propenſiores. Liv. lib. 7. V. Petav. De Doctrin. temp. l. 13.

II. Hugo Grotius *Jure naturali hominum proprio*, inquit, *eſt appetitus ſocietatis, id eſt, Communitatis, non qualiſcumque, ſed tranquillæ, & pro ſui Intellectus modo ordinatæ cum his, qui ſui generis ſunt, quam οἰκείωσιν Stoici appellabant. Quod ergo dicitur natura quodque Animal ad ſuas tantum utilitates ferri, ita univerſe ſumtum concedi non debet.* Itaque hic auctor non videtur recipere juris naturalis definitionem a Tribuniano allatam, ſcilicet: Hug. Grot. in Prolegom. De Jur. Bell. & Pac. n. 6.

*Quod natura omnia animantia docuit.* Inſtit. l. 1. §. de Jur. Natural. Gent. & Civil.

Exemplo præcipue tradito de maris, & feminæ conjunctione. Et ſane ſi conjunctionem Natura omnia animantia docuit, quid dicendum de Zoo-

 phytis,

phytis, ſive de Plantis animalibus? nonne animantia cum plantis ita arcte adjuncta, & fixa eſſe Botanici plerique referunt, ut inde nequeant evelli, comedentia herbas eas, quæ circum plantas naſcuntur? Nonne ea vere animalia ſunt? & tamen ſine maris, & feminæ conjunctione naſcuntur. V. etiam Atlantem Blav. tom. I.

Sed Grotius confidenter aſſerens tantum hominibus naturalem appetitum ineſſe ſocietatis, quid dicet de Apium republica, de Gruum turmis, de Thynnis, qui non ſine duce ex Oceano Mediterraneum noſtrum mare ingrediuntur? Quid de Ovibus, reliquiſque quamplurimis animantibus rationis expertibus, quæ in ſocietate vivunt. V. P. Fornier.

III. Porro quum Naturam horum omnium magiſtram efferunt, quid natura ſit, Ethnicum nomen, numquam exhibebunt, niſi dicant Naturam nihil poſitivi indicare, niſi leges motus, quas Deus ipſe omnipotens, & primus motor immobilis rebus indidit: unde appetitus, quos naturales dicimus, oriuntur. Nihil enim irridendum magis, quam opinio cujuſdam Codovart Angli, qui naturam rem quamdam inſenſibilem ſtatuit, Dei miniſtram, & obſequentem, quæ omnia velut Dei inſtrumentum perficit, quod alias ad evidentiam oppugnavimus. V. Cleric. in Biblioth. Select.

Sed quum homines omnes ad ſocietatem vitæ ex Deo inſitis ideis ferantur, ad Monarchiam ſunt propenſiſſimi, quam ex familiis didicerunt, quibus

Digitized by Google

bus unum Caput, atque ita principio Orbis homines, & gens Noachica vixit.

IV. Græci quoque uno principe poſt propagationem humani generis contenti erant, quo per humanam malitiam ad tyrannidem vergente, aliarum genera Rerumpublicarum, Ariſtocratiam ſcilicet, & Democratiam excogitarunt: ſive alia commiſta. Hinc tot, tantæque Græcorum Reſpublicæ, de quibus Xenophon, & præcipue Plutarchus, ac Polybius meminerunt. Scripſerat librum Ariſtoteles De Græcorum Rebuſpublicis, qui interiit; ut etiam ejus auditor Dicæarchus Meſſanenſis (de quo ſæpe mentio apud Ciceronem) πολιτείαν Laconicam peculiari libro comprehendit, cui libro tantum honorem tribuere Spartani, ut ſingulis annis publice in Curia Ephororum legi voluerint, auſcultantibus omnibus, qui erant in ætate puberi; hic liber etiam longe ante noſtram ætatem interiit.

V. Ceterum præcipue Græcorum Reſpublicæ duæ fuerunt tamquam duo lumina oculorum, e quibus cunctæ aliæ normam accipiebant; quarum præter memoratos antiquos plures etiam recentiores formam, leges, & magiſtratus civiles, & militares mores ſummo ſtudio collegerunt; ut Carolus Sigonius, Ubbo Hemmius, Joannes Meurſius, Guilielmus Poſtellus, qui rectiſſime patefecit Athenienſes Magiſtratus non multum a Romanis diverſos fuiſſe. Quinimmo Antonius Thyſius edidit collationem legum Athenienſium, & Ro-

Poſtell. De *Re*publ. ſeu Magiſtr. Athen.
Thyſ. Tract. extat etiam apud Gron. in Theſaur. Antiq. Græc. volum. 5.

& Romanarum . Ad formam igitur Athenienſis , vel Laconicæ Reſpublica Surrentinorum concipienda eſt .

# CAPUT II.

*De Republica Surrentina tempore Romanorum .*

I. USque ad annum 375. Æræ Chriſti communis Rempublicam Surrentinam perſeveraſſe indicat ſequens inſcriptio ita in marmore inſculta .

FLAVIO GRATIANO
SEMPER AUGUSTO
INSTAURATORI ORBIS
TERRARUM PERPETUO
AC PIISSIMO IMP. D. N.
ET VALERIO
CONSTANTINO MAXIMO PIO
FELICI SEMPER AUGUSTO
VICTORI AUG.
RESPUBLICA SURRENTINOR.

Hic inſcriptus lapis dicatus fuit .

FLAVIO FURIO FAUSTO
V. C. TRIBUNO
AB ORIGINE PATRONO
OB MERITA LABORUM SUORUM
UNIVERSUS ORDO
ET POPULUS SURRENTINORUM
STATUAM NOBILITATI EJUS
FACIENDAM CURAVIMUS .

Ejus

Ejus forma erat commiſta ex Ariſtocratia, & Democratia. Non fuiſſe enim neque pure Optimatum, neque pure Popularem, ſeu plebejorum ſatis liquet ex inſcriptione jam tradita, quæ Flavio Furio Fauſto erecta fuit, ubi Ordo, & Populus inſcripti ſunt. Item in hac alia D. Helenæ excitata hujuſmodi.

PIISSIMÆ AC VENERABILI
D. N. HELENÆ AUG.
MATRI D. D. N. MAXIMI VICTORIS
AUG. CONSTANTINI,
ET AVIÆ D. D. N. N. CONSTANTII,
ET CONSTANTIS
ORDO ET POPULUS SURRENTINORUM.

Hoc eſt.

*Piiſſimæ, ac Venerabili Dominæ Noſtræ*
*Helenæ Auguſtæ*
*Matri Divi Domini Noſtri Maximi Victoris*
*Auguſti Conſtantini,*
*Et Aviæ Dominorum Noſtrorum Conſtantii,*
*Et Conſtantis*
*Ordo, & Populus Surrentinorum.*

Lapides hi Surrentini puriſſimam latinitatem, ejuſque formulas non redolent, tum quod Surrentini Græci eſſent origine, quum etiam quod Latina lingua jam candore ſuo id temporis exciderat.

Sed cur in hac S. Helenæ excitata inſcriptione

ne Conſtantinus II., qui maximus natu Nepotum erat, reticeatur a Surrentinis, haud facile eſt divinare. Fortaſſe diu poſt Sanctiſſimæ feminæ obitum erecta fuit, quum Conſtantius in Italia degeret, & bello jam fratrem devicerat, atque necaverat, cujus nomen inſenſum Conſtantio Surrentini ſuſpicabantur.

II. Quid autem Ordo, & Populus indicaret, ſatis notum eſt, Patricios ſcilicet, & Plebejos. Animadvertendum autem Romæ tres fuiſſe ordines civium, ut ſatis monent Dionyſius Halicarnaſſeus, Livius, aliique, a Romulo ipſo ſecretos, Senatorum ſcilicet, Equitum, & Plebis.

In Coloniis vero, & Municipiis ditionis Romanæ duo tantum, Senatorum ſcilicet, vel Decurionum, & Plebis; ac proinde in illa, quam ſuperiori capite attulimus, inſcriptione D. Trajani notantur Decuriones, & Municipes. Abſolute autem in Inſcriptionibus antiquis appellatus Ordo intelligitur *Senatorius*, ita hoc verbum uſurpant præcipue Jureconſulti, vel *Decurionum*, ut etiam in *L.* 3. *& l.* 6. *§.* 1. *ff. Quod cujuſque univerſitat. & l.* 5. *§. ultim. ff. De Donation. inter viv. & in l.* 3. *§.* 1. *ff. De Decurionib. l. ultima ff. De Veteran.*

V. Pratej. & Kal. in Lexico verbo *Ordo* V. Briſſon. Comnan. alioſq. juriconſult.

CA-

# CAPUT III.

*Quonam fœdere Reſpublica Surrentina Romanis conjuncta fuerit.*

I. FAmigerata eſt antiquiſſimorum Romano-
rum clementia in populos bello devictos
uſque ab ipſo Romulo præſcripta, quam eximiis
effert laudibus Dionyſius Halicarnaſſeus. Taci-
tus etiam eamdem commemorat in oratione, Halicarnaſſ.lib.2.
quam habuit Claudius in Senatu pro admittendis Tacit.Annal.l.11.
Gallis ad honores urbanos, ubi inquit: *Quid
aliud exitio Lacedæmoniis, & Athenienſibus fuit,
quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alie-
nigenis arcebant. At conditor noſter Romulus tanta
ſapientia valuit, ut plures populos eodem die hoſtes,* Tull. orat. contra
*dein cives habuerit*. Et Tullius de eadem re ita: Rullum ad Sena-
*Majores noſtri Capua Magiſtratus, Senatum, Conſi-* tum 75.
*lium commune, omnia denique inſignia Reipublicæ ſu-
ſtulerunt: neque aliud quidquam, niſi inane nomen
Capuæ reliquerunt, non crudelitate; quid enim illis
fuit clementius? qui etiam externis hoſtibus victis
ſua ſæpiſſime reddiderunt, ſed conſilio &c.*

II. Amicitias autem cum victis tribus riti-
bus contrahebant, Sponſione, Pactione, Fœde-
re; quorum contrahendorum variæ erant formu-
læ, ut probat Sigonius. Fœdera majori ſolenni- Carol.Sigon. De
tate celebrabantur per Feciales verbenis corona- Antiq. Jur. Ital.
tos, & cæſa etiam porca, ut fert Livius, & ut lib.1.cap.1. Liv.lib.1.& 3.

Feſtus

Digitized by Google

Plin.lib.22.cap.2. & lib.25.cap.4. Marcian.in l.Sanctum ff. de Rer. Diviſion. Honuphr.Panvin. De Imper.Rom. L. Non dubito ff. DeCaptiv.&Poſtlimin. reverſ.

Feſtus inquit : *Fecialis lapidem ſilicem in manu tenens per Jovem juraturus hæc verba efferens*. „ Si „ ſciens fallo , tum me Dieſpiter ſalva urbe , „ arceque bonis ejiciat , uti ego hunc lapidem . Fœdere conjungi poterant populi liberi.

III. Porro autem quemadmodum exteræ gentes vel victæ, vel ſponte in Romani populi amicitiam , aut fœdera , aut deditionem admiſſæ varj generis, & conditionis pro earumdem erga Rempublicam meritis erant, ut aliæ omnino liberæ, aliæ fœderatæ , aliæ fundi populi Romani , aliæ Latinæ , aliæ civitatem Romanam adeptæ fuiſſe reperiantur : ita varj generis cives Romanos fuiſſe facile obſervatu eſt , ut alii ſcilicet fuerint cives Romani pleno jure, ideſt, cum jure ſuffragj , alii ſine ſuffragio , alii municipes , alii coloni, alii ex præfecturis , alii vero ſine civitatis jure nonnulla habebant civitatis Romanæ privilegia. Rationem diverſitatis refert *Siculus Flaccus*, quem audiamus: *Quidam enim populi pertinaciter adverſus Romanos bella geſſerunt: qui experti virtutem ipſorum ſervaverunt pacem: quidam cognita fide & juſtitia eorum, ſe eis addixerunt, & frequenter adverſus hoſtes arma eorum tulerunt; leges itaque pro ſuo quiſque merito acceperunt; neque enim erat juſtum, ut iis, qui toties, admiſſo perjurio, rupere pacem, ac bellum intulere Romanis, idem præſtari, quod fidelibus populis*. Quæ vero ſequuntur hujus auctoris verba de varietate municipiorum, Coloniarum &c. inferius referemus.

Sicul.Flacc. De Códitorib.Agror. quem eum Frontino, AggenoUrbico&c.primo typis emendatiſſimis ediderunt Petrus Gellandius,& Hadrianus Turnebus.

Proin-

Proinde etiam quod cautum erat lege 12. tabularum, ſcilicet: *Ut idem juris eſſet Sanatibus quam fortibus*, lege Æbutia abrogatum eſt, ut tradit Gellius. Appellabantur autem Sanates, ut Feſtus inquit; *Qui ſupra, infraque Romam habitaverunt, quique quum deſciviſſent a Romanis, brevi poſt in amicitiam, quaſi ſanati mente rediiſſent*.

IV. His breviter præmiſſis videamus modo, quæ conditio fuerit Reipublicæ Surrentinæ. Sed illam jam adumbratam perſpeximus in inſcriptione Hadriano poſita, quam principio hujus libri quarto loco retulimus, videlicet: *Imperatori Cæſari D. Trajani Parthici, Divi Nervæ nepoti, Trajano Hadriano Auguſto Pontifici Maximo Triumphatori, Pio, Victori, Optimo, Maximo Principi Decuriones, Municipeſque Surrentini pecunia conlata*. Nomen Trajani patris adoptivi, poſtquam Hadrianus ad imperium aſſumtus eſt, ſibi aſcivit. Triumphator dicitur fortaſſe, quod de Hebræis per Julium Severum egregium Ducem celeberrimum triumphum reportaverit; quum, poſtquam a Tito Veſpaſiano tam dira paſſi eſſent, iterum arma ſumſerunt contra Imperium Romanum. Illi igitur inſcriptum lapidem Surrentini erexerunt, Decuriones ſcilicet, & Municipes; quod Municipalis Reſpublica fuerit.

V. Spartian. in Vit. Hadrian. & Eutrop. lib. 8.



Digitized by Google

# CAPUT IV.

## *Quid interſit inter Municipium, & Coloniam.*

A. Gell. Noct. Attic. l.16.c.13.

I. HAnc diſceptationem inter antiquiores nemo abundius A. Gellio excogitavit, qui inquit, has voces perperam intellectas plerumque confundi, fallique eos, qui Colonias melioris conditionis putant, quam municipia, quos etiam redarguerat D. Hadrianus in Oratione De Italicenſibus, unde ipſe ortus fuerat, in Senatu habita, in qua Uticenſes, aliique e municipiis in jus Coloniarum mutari geſtiverint: Contra vero ſagaciores Præneſtinos a Tiberio Imperatore petiiſſe, oraſſeque, ut ex Colonia in municipj ſtatum redigerentur: *Municipes ergo ſunt*, ſubdit idem auctor, *cives Romani ex municipiis ſuo jure, & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorari participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur.*

Sicul. Flacc. loc. cit.

II. Aliam vero Etymologiam præſtitit Siculus Flaccus his verbis: *Primum ergo referendum eſt appellationes ut fierent Coloniæ, aut Præfecturæ; Municipia quidem putant a munitionibus dicta, alii a munificentia eo, quod munificæ eſſent civitates. Coloniæ autem inde dictæ ſunt, quod populi Romani in ea municipia miſerint colonos, vel ad ipſos municipiorum populos coërcendos, vel ad hoſtium incurſus repellendos.*

Ex

Digitized by Google

Ex Gellio igitur, & Flacco municipiorum conditio Coloniis præſtabat; quod legibus propriis uti municipibus permiſſum eſſet; quodque *non extrinſecus adveniſſent*, ut inquit idem Gellius, *ſed ex civitate quaſi propagati & jura, inſtitutaque populi Romani, non ſui arbitrj habent*, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, *quum numquam populus eorum fundus factus eſſet*.

III. Porro illa gens, vel oppidum fundus fiebat populi Romani, quod non propriis, ſed populi Romani legibus vivebat, & civitate Romana donatum erat. Quare Cicero L. Cornelium Balbum Gaditanum tuetur, cui contendebatur jus civitatis, qua donatus fuerat a Pompejo; quod, quum is eſſet Gaditanus, & Gaditani non eſſent fundus populi Romani, civitate donari non potuiſſet. Quam objectionem exagitat, & irridet Tullius his verbis: *Accuſator negat, ex fœderato populo quemquam potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet, in hanc civitatem venire. O præclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem noſtræ civitatis, qui hanc pœnam fœderibus aſcribat, ut omnium præmiorum, beneficiorumque noſtrorum expertes faciat fœderatos. Quid enim potuit dici imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis eſt proprium fœderatorum, quam omnium liberorum*. Itaque Cicero exiſtimat, cives populorum liberorum, & fœderatorum civitate Romana potuiſſe donari; etſi ii populi non fuiſ- Cic. Orat. pro L. Cornel. Balb.

ſent fundi populi Romani, hoc eſt, ita cum iis conjuncti legibus, ut unus, idemque fundus viderentur. Ita ego ex Cicerone, & A. Gellio rem exponendam puto non eo pacto, quo Franciſcus Hotomanus, Hadrianus Turnebus, aliique docti juriſperiti exponunt locum Plauti recitantes, ubi adoleſcens Lyſitales, cui a Lesbonico virgo ſoror in uxorem eſſet ſponſa, quum audiiſſet patrem hujus ex negotiatione adveniſſe, inquit: *Nunc mihi is propere conveniendus eſt, ut quæ cum ejus filio egi, ei rei fundus pater ſit potior eo*. Fundum potiorem hic comicus appellat patrem tranſlate, quaſi eum, a quo ſtipulatio originem, & fundamentum habere debebat.

Plaut. in Trinumm.

IV. Surrentini igitur fœdus municipale ſic contraxerunt cum populo Romano, ut propriis legibus uti poſſent, ita tamen, ut amici eſſent populi Romani, & auxilia, ac milites pro bello præſtarent, ut tradit Livius libro 3. Atque hoc fœdere conjuncta fuit cum Romanis tota ferme Campania; quam in tres partes diſpeſcit Carolus Sigonius, de quarum tertia dicit: *Tertia ad mare oppida habuit Stabias, Surrentum, Minervæ Promontorium*. Sed fallitur vir doctus; Minervæ enim Promontorium non fuit oppidum a Surrento diſtinctum, ſed templum Minervæ dicatum in Surrentino Promontorio, & Surrentinum oppidum Reſpublica omnino libera, antequam Romani occupaſſent Campaniam, & Municipalis, & fœderata Romanis, poſtquam hi Campanos devicerunt;

Sigon. De Antiq. Jur. Ital. cap.

cerunt; quæ conditio honorificentior longe fuit Coloniis, ut A. Gellius teſtatur, licet idem ſubdat, quod propter amplitudinem, ac majeſtatem populi Romani e municipiis aliqua in Coloniarum conditionem mutari poſtulaverint. Id doctiſſimus Antonius Auguſtinus ideo eveniſſe putat, quod quum in Colonias milites mitterentur Prætoriani, quibus jus factum ſui eligendi Imperatoris, cum illis oppida plura amicitias contrahere ſtuderent, ut partem aliquam, & officia in tanto negotio interponere poſſent. Anton. Auguſt. De Numiſmat.

V. Sed Philippus Cluerius Coloniam aliquando Romanorum deductam fuiſſe Surrentum exiſtimat ex Frontini loco, ubi dicitur: *Surrentum oppidum muro ductum. Ager ejus ex occupatione tenebatur a Græcis ob conſecrationem Minervæ. Sed circa montes Surrentinos limitibus Auguſtanis pro parte eſt aſſignatus.* Cluer. Ital. Antiq. l. 4. c. 3. Jul. Frontin.

Mirum primo quam varie hic Frontini textus ſit editus. In editione anni 1588. in calce operis Honuphrj *De Romano Imperio* loco *Minervæ*, *Nervæ* ſcribitur, licet in margine corrigatur *Minervæ*. Ubi vero dicitur: *Circa montes Surrentinos* habetur *Syrenianos*. Subditurque in fine: *Ceterum in ſoluto remanſit*.

In Frontino vero De Coloniis edito a Petro Scriverio anno 1607. habetur: *Surrentinum oppidum muro ductum. Ager ejus ex occupatione tenebatur a Græcis abſconſæ * ratione Minervæ, circa montes Syrenianos limitibus * Auguſtanis pro parte aſſi-*

* Conſecratione Minervæ.
* Auguſteis.

*aſſignatis . Ceterum in abſoluto remanſit . Iter popula.debetur pedibus xv. ubi Syrenæ* . Hoc , quod addit de menſura viæ pedum xv. Scriverius fatetur addidiſſe ex antiquo manuſcripto Codice , qui extabat apud Petrum Narſium , ejuſque filium ; quare quum ipſemet pridem Frontinum edidiſſet , in hac poſteriori editione variavit .

Nos vero *Sirenianos montes* legendum putamus , non Surrentinos , ut ſpeciatim indicaretur ea montis pars , quæ Sirenuſas inſulas ſpectat , & Sinum Pæſtanum , unde via erat ad Sirenum Templum , quod in ea Promontorj Surrentini parte extabat , qua Neapolis , ac ſinus Stabienſis patet adſpectus .

VI. His ergo Frontini verbis adductus Coloniam aliquando Surrentum deductam credit Cluerius , quod etiam tenuit Cæſar Capacius ſcribens : *Nihil vicinis Rebuſpublicis Surrentina ceſſit , quæ Colonia quoque a Romanis deducta eſt* .

Idipſum confirmare videtur Lucas Holſtenius ſubdens : *Idem variæ teſtantur inſcriptiones , quæ adhuc Surrenti extant , & a Capacio editæ ſunt . Sed maximum Romanæ magnificentiæ veſtigium Caſtellum aquarum xxvii. fornicibus comprehenſum ſupereſt integrum , & illæſum : tum piſcinarum , & villarum per omne vicinum litus reliquiæ prorſus ſtupendæ* .

Holſten. in Annot. ad Jtal. Antiqu. Cluer.

Verum heic bona pace tanti viri dictum ſit , inſcriptiones a Capacio relatas minime legiſſe videtur . In iis enim numquam Reſpublica Colonia-

ris

ris dicta eſt civitas Surrentina, ſed municipalis. Quod autem ſubdit de Caſtello aquarum, ſeu conceptaculo, de quo in ſuperiori capite egi ſub nomine Piſcinarum, e quibus aquæ deductæ per urbem diſtribuuntur, ignoratur, num opus ſit Græcorum, vel Romanorum. Putamus tempore Romanorum a Surrentinis extructas, quum plures Roma Magnates, atque opifices, & fabri tignarii illuc conveniſſent tempore, quo Tiberius Imperator in vicina Caprearum inſula verſaretur.

VII. Præclariorem rationem inivit idem Lucas Holſtenius, quum ſubdit perperam elici Surrentum fuiſſe Romanorum Coloniam, quia in laudato Frontino libello inſeritur: *Neque enim ille Colonias dumtaxat, ſed omnes promiſcue civitates, & oppida recenſet.*

Quinimmo nos ex Frontino ipſo palam faciemus, agros diviſos fuiſſe militibus, & plebi Romanæ nedum ex Coloniis, ſed etiam ex municipiis, ut ex libello patet, quem *De Agrorum limitibus* habemus, ubi diviſionis menſura triplici modo facienda indicatur, per *Limites*, per *Strigas*, per *Scamna*; quam auctoritatem *Agenus Urbicus* aggerens inquit: *Ager ergo diviſus aſſignatus eſt Coloniis, & Municipiis.* Agen. Urbic. De Limit. Agror.

Præterea Hyginus Auguſti libertus vult limites ab ipſis Coloniis deduci debere, quod non ſemper ſervatur, quum *multa vetuſta municipia in jus Coloniarum transferuntur*. Hoc eſt, Municipia Hygin. in Libell. De Limit. conſtituend.

pia quum ſint, legum Romanarum more vivere volunt.

VIII. In libris auctorum Magonis, & Vegojæ (*a*) refertur lex Manilia Roſcia Peducea, Allena Furia Kal. III. ubi præſcribitur: *Quæ Colonia hac lege deducta, quodque Municipium, Præfectura, Forum, Conciliabulum conſtitutum erit, qui ager intra fines eorum erit, qui termini in eo agro ſtatuti erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is ager erit, terminum reſtituendum curato &c.* Unde vides nedum Coloniis, ſed Municipiis Præfecturis limites præfixos fuiſſe.

Extant editi cum Frontino, & aliis *De Agror. Limitib.*

Porro Frontini auctoritas non ad demonſtrandas Colonias, Municipia, Præfecturas ſpectat, ſed potius ad legem Agrariam, de qua non incongrue heic aliqua recolenda.

IX. Principio quum Romulus, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo, totam Romanam Urbem in triginta partes ſegregaſſet, agrum item in triginta æquales portiones dividens ſuam cuique ſortem curiæ tribuit, tantum ipſe agri excipiens, quantum quidem ad ſacrificia, templaque ſatis eſſet, &c. tum etiam binos ſacerdotes pro unaquaque Decuria eligendos præſcripſit, *genere excellentes, ſimul & virtute præſtantes, neque tamen inopes &c.*

Dionyſ. Halicar. Antiqu. Roman. lib. 2.

Hæc Dionyſius ex Terentio, Varrone.

Memini heic, recentem hiſtoricum, quum omnes imperandi artes, & politiam primis Romæ fundatoribus tradat, in Chriſtiana Republica Sacerdotibus agros, ſtabilia, divitiaſque corruptelam,

Digitized by Google

lam, & inſcitiam veluti afferentia damnare, & Arnaldiſtis hæreticis accedentem, nihil niſi eorum inopiam, & mendicitatem ad rectam Reipublicæ conſtitutionem probare; ita qui a recta Eccleſiæ diſciplina ſemel diſcedunt, & a ſana ratione, a moribus, a ſe ipſis ſæpiſſime diſſentire conantur.

Aliam agrorum diſtributionem ex devictis populis anno ab V. C. 268. invehere conatus eſt Sp. Caſſius III. cum Proculo Virginio Conſul. Hic, quum Volſcos, & Hernicos in Romanorum amicitiam felicibus armis adduxiſſet, Hernicis duabus agri partibus multatis, triumphum petiit contra morem; & legem Agrariam publicari voluit, qua Hernicorum agri Romanis, & Latinis dividerentur. Quæ lex quas Romæ turbas excitaverit, abunde enarrat Halicarnaſſeus. Atque ipſe Caſſius affectati Imperj apud poſteriores Conſules inſimulatus vel e Rupe Tarpeja dejectus fuit, vel a patre peremtus, quod dubium eſt apud ipſum Halicarnaſſeum. Liv. Decad. lib. 1. Dionyſ. Halicar. lib. 8. V. etiam Valer. Maxim. lib. 3. c. 3.

X. Infeliciſſime deinde ceſſit Tiberio Gracco inſtauratio legis Liciniæ, qua cautum erat, ne quiſque civis Romanus pluſquam quingenta jugera agrorum poſſideret; cui legi fraus facta fuerat a divitibus; nam contra Graccum magni tumultus orti, ſed tandem ipſe cum 30. aſſeclis peremtus eſt, & in Tyberim projectus: aliis vero, qui eidem faverant, in exilium miſſis anno V. C. 620. Liv. Decad. 4. l. 4. V. Appian. l. 11.

Populi igitur Romani ſocii ſi a fœdere deſci-



Digitized by Google

viſſent, qui iterum ſubacti erant, lege Agraria multabantur. At vero deſciviſſe Surrentinos conſtat ex Livio. Namque anno V. C. 411. Marco Valerio Corvino III., & Aulo Cornelio Conſulibus Campani toti Romanis ſe dederunt. Deinde poſt Annibalis adventum a Romanis defeciſſe Surrentinos, ipſemet Livius ſpeciatim notat; quum ipſi præcipui eſſent omnium Græcorum, qui maritimas Campaniæ oras incolerent. Tunc igitur putamus, lege Agraria multatos ipſos fuiſſe Surrentinos, & partem Sirenianorum collium militibus Romanis addictam.

Liv. lib. 8.

Idem Decad. 3. lib. 8. in fin.

Ea porro lex Agraria, quæ plures alias turbas Romæ excitavit, præcipua fuit ex bello ſociali dicto, anno ab V. C. 650. tunc quum omnia, ut inquit Eutropius, *alia bella ceſſarent, in Italia Picentes, Marſi, Pelignique moverunt; qui quum annis numeroſis Populo Romano obedirent, tunc libertatem ſibi æquam aſſerere cœperunt*. Quod bellum quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam Conſulem.

Carol. Sigon. De Antiq. Jur. Ital. lib. 3. cap. 1.

Eutrop. lib. 5.

Cum Picenis Picentinos, vicinoſque conſpiraſſe credibile eſt, & propterea fortaſſe a crudeliſſimo Sylla Stabiarum oppidum deletum, & ſolo æquatum fuit, licet nihil de Surrentinis legamus in hoc ſociali bello; ipſi enim, ut diximus, Campani erant.

Plutarch. in Syll.

Appian. p. Civil. Bell. Epitom. Rom. Imp. 761.

XI. Præterea Sylla poſt ſedatum bellum ſociale Italiæ civitatis Romanæ privilegia ademit, quod tamdiu duraſſe fert Cicero, quamdiu Sylla ipſe duravit. Ve-

Cic. Orat. Pro Archia poëta.

Verum quod pertinet ad agros Campanos hæc legimus apud C. Vellejum Paterculum: *In hoc Conſulatu Cæſar legem tulit, ut Ager Campanus Plebi divideretur, ſuaſore legis Pompejo.* Intellige de Agro publico. Idipſum confirmatur auctoritate Suetonj, qui de Cæſare teſtatur: *Lege autem Agraria promulgata obnuntiantem Collegam armis foro expulit*, atque ita ipſe ſolus ſine Bibulo, altero ſcilicet Conſule omnia in Republica adminiſtraret, ut nonnulli Urbanorum, quum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare, & Bibulo, ſed Julio, & Cæſare Conſſ. actum ſcriberent, ejuſdem Cæſaris ponentes nomen, & cognomen, ut exprimerent urbane quidem ab uno Cæſare factum. Unde verſus illi: C. Vell. Paterc. Hiſt. lib. 2. cap. 44. Sueton. in Cæſar. cap. 2.

*Non Bibulo quidquam ſemper, ſed Cæſare factum eſt.*

*Nam Bibulo fieri Conſule nihil memini.*

Quid autem ea lege Cæſar tulerit, refert idem Suetonius *Campum Stellatum majoribus conſecratum, agrumque Campanum ad ſubſidia Reipublicæ vectigalem relictum diviſit extra ſortem viginti millibus civium, quibus terni, pluresque liberi eſſent.*

Sed negotium hoc multo aliter, & fuſiſſime enarratur a Dione Hiſtorico, qui turbare videtur ſeipſum; principio enim inquit, Lege Julia Agraria diviſos fuiſſe agros publicos, præter Campanos, quos publicos eſſe ſtatuit, deinde ſubdit, Agrum Campanum diviſum fuiſſe civibus, qui filios habuiſſent; quare nonnemo auſus eſt Dionyſ. Halicarn. Hiſt. l. 38. in princ.



Digitized by Google

Schegkius in Not. ad l. 2. Hiſt. Vell. Paterc.

dicere, Dionem non percepiſſe quæ fuerit lex Agraria.

Cic. ad Attic. l. 2. epiſt. 14., & 15.

Dē eadem Agraria Cæſaris lege mentio eſt apud Ciceronem in epiſtolis ad Atticum.

Petav. De Doctrin. Temp. l. 10. cap. 57.

Lipſ. In Animadverſ. ad l. 2. Vell. Patercul.

XII. Quoto vero anno V. C. ea lex Agraria a C. Julio Cæſare lata ſit, Petavius putat anno ex Varronis computatione 695. & lib. 13. eo anno, qui eſt Periodi Julianæ 4655. fert Cæſarem Conſulatum geſſiſſe non cum M. Bibulo, ſed cum M. Calpurnio Berulo. Juſtus Lipſius putat latam fuiſſe a Cæſare Conſule non actu, ſed deſignato, quæ ſententia abſurda eſt.

Zaſ. in Catal. leg. Antiqu. cum Ludov. Cerond.

Sed deinde inſtantibus Italis C. Julius Cæſar celeberrimam legem tulit De Italis civitate donandis. In hanc legem plura Juriſperiti præcipue Vulricus Zaſius congerit, in qua tamen nonnulla menda chronologica annotat Ludovicus Ceronda.

Appian. De Bell. Civil.

Plutarch. in Vit. Cæſar.

In Epitome etiam Decadum Livianarum incerti auctoris (quam contra Glarianum, & Robortellum tuetur Sigonius) habetur: *Italicis a Senatu civitas data eſt*. Tum ſubditur: *Samnites, qui arma recipiebant, Cineæ, & Mavoſe conjunxerunt*. Lex vero de civitate Italiæ donata longe poſterior fuit; quare difficile eſt, Chronologiam nectere hujus legis Agrariæ Cæſaris, quam referunt etiam Appianus, & Plutarchus. Sed id ad rem noſtram parum intereſt.

Cic. Pro Balbo.

XIII. Quod maxime animadvertendum, ſunt Cæſaris verba hæc: *Lege Julia, qua civitas*

*So-*

Digitized by Google

*Sociis, & Latinis data eſt, magna contentio Heraclienſium, & Neapolitanorum ſuit, quum magna pars in iis civitatibus libertatem civitati anteferret.* Nihil tamen incommodi legem a Julio rogatam Surrentinis attuliſſe putamus, qui cum Romanis municipali fœdere juncti erant, proindeque ad libitum patriis legibus uti fas erat, ut dicebat Tullius: *Ego Mehercle & illi, & omnibus municipalibus duas eſſe cenſeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis &c.*

Heracleam, cujus veſtigia non extant, alii in Lucania, alii in Magna Græcia extitiſſe putant. *Muojono le Città, muojono i Regni. Cuopre il faſto, e le pompe arena, ed erba &c.*

Cic. De Legib. l. 2. pag. 170.

Franciſcus Hotomanus putat, latam fuiſſe eam legem a Julio Cæſare anno ab V. C. 662. dum Conſulatum gereret cum L. Marcio Philippo; ſed potius ſcribendum erat anno 663. tunc enim cum Martio Conſul fuit. Alii volunt anno 666. dum in Conſulatu collegam haberet P. Rutilium Lupum; qui Conſulatus contigit anno 664. Qua lege etſi Italos omnes Romana civitate donaſſet, nihil tamen de Lege Agraria mutavit, quæ diu, & multas Romæ turbas, ut diximus, excitavit.

V. Petav. l. 13. De Doctrin. Tempor.

V. Sigon. loc. cit.

XIV. At vero deinde poſt longum temporis ſpatium legi Julj Cæſaris de libertate Italiæ nonnihil derogatum fuiſſe liquet per legem Juſtiniani, qua juſſit libertos manumittendos juxta leges Romanorum, non vero juxta privilegia, aut mores Latinorum probatos per legem Juliam Narboniam, per S. C. Largianum, & per edictum D. Trajani, quod jus ad Colonias Italicas Latinitate donatas Juſtinianus extendit his verbis:

L. 1. Cod. De Latin. Libert. tol. lend.

*Quum*

*Quum enim Latini liberti ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in Coloniis miſſa eſt, videantur eſſe introducti, ex qua nihil aliud Reipublicæ niſi bellum acceſſit: ſatis abſurdum eſt, ipſa origine rei ſublata, ejus imaginem derelinqui*. Sublata igitur erat Latinitas.

Per eam autem legem Agrariam Cæſaris Auguſtanos Sirenianorum collium poſſeſſionem obtinuiſſe credimus.

# CAPUT V.

## *De Magiſtratibus Surrentinis.*

I. ETſi Surrentinis, utpote Municipibus Romanorum propria politia, legibus, ac Magiſtratibus uti fas eſſet: nihilominus ad mores Romanorum accedere congruum duxit eorum municipalis Reſpublica, plures etiam Magiſtratus ad formam Romanorum inſtituere: ut ex inſcriptionibus a Cæſare Capacio excriptis liquet. Habuit autem, ut conſtat ex inſcriptionibus, Decuriones, Duumviros, Ædiles, Quæſtores, Tribunos militum ex profanis Magiſtratibus, ex ſuperſtitione Sacerdotes, & Flamines.

II. Decuriones communes fuerunt omnibus municipiis, qui præcipuum in municipiis locum tenebant, ut liquet ex *L.* 2. *ff. De Decurionib.*, *& l. ultima ff. De Albo ſcribendo*. Matthæus Weſſembecius celebris Juriſconſultus putat eſſe

Weſſemb. in Paratitl. ad Tit. ff. De Decurion. & Filiis eorum.

ἄρχοντες non a Romanis miſſos, ſed in municipio ipſo electos, tamquam conſules municipj. Sed fallitur. Archontes enim apud Græcos ſupremam poteſtatem obtinebant. At vero Decuriones in municipiis Romanis erant loco Senatorum Romanorum, e quibus Duumviri eligebantur. Audiamus Paulum Juriſconſultum: *Honores, & munera non ordinatis omnibus, ſed potioribus quibuſcumque injungenda*. Et paulo poſt: *Is, qui non ſit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt; quia Decurionum honoribus Plebeii fungi prohibentur*.

V. Johan. Meurſ. De Archont. & Kalvin. In Lexico Juridico, aliiſque ab eodem citatos.

L. Honores ff. De Decurion.

Romulus omnes cives in tres partes diviſit, quas Tribus proinde dixit, & unamquamque earum in decem Curias. Poſt generalem hanc diviſionem ſpecialiorem alteram addidit, qua illuſtres genere, ſpectata virtute, pecuniis, ac facultatibus divites, quique filios procrearant, Patres vocavit, ſecrevitque ab aliis tenuioris fortunæ hominibus, vel ſine liberis, hoſque appellavit plebeios; quam diviſionem ab Athenienſibus accepiſſe Romulum, Dionyſius Halicarnaſſeus eſt auctor. Ita Surrentini Græcæ originis cives in duas partes pariter diviſerunt, Patriciorum ſcilicet, vel Senatorum alteram, alteram populi fecerunt. Priores duabus Curiis poſtea donati, una, quæ modo dicitur *Dominova*, altera, quæ *Portæ*, atque ex Curiis Decuriones dicti fuerunt.

Halicarnaſſ. l. 2.

III. Duumviri, de quibus mentio in Surrentinis inſcriptionibus, e Decurionibus creabantur,

L.Honores,ff.De Decurion.

tur, non e Plebe, ut expreſſe Paulus libro Sententiarum: *Is, qui non ſit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus ſungi non poteſt*. Quouſque autem ſeſe extenderit Duumvirorum poteſtas, haud facile eſt decernere. Certe Paulus libro 9. ad Edictum fert, negotium a ſolis Duumviris alicui commiſſum, a toto ordine tributum videri. Sed Ulpianus libro 1. ad Edictum decernit: *Omnibus Magiſtratibus, non tamen Duumviris ſecundum jus poteſtatis ſuæ conceſſum eſt, juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio*. Cur autem excipiantur Duumviri, non ſatis exponunt Juriſconſulti, ne ipſe quidem Franciſcus Duarenus, qui ſe hanc legem præ aliis penitius intellexiſſe, expoſuiſſeque jactat. Nos vero putamus, Ulpianum loqui de Duumviris in Romana civitate conſtitutis, non vero in municipiis. Sed non ulterius in hoc negotio immorandum.

L. Item § Si Decuriones ff. Quod cujuſque Univerſitat.

L. Unica ff.Si quis jus dicenti non paruerit.

Duaren. Diſput. Anniverſ.l.1.c.50.

IV. Nunc de Ædilibus, de quibus ſæpe mentio in inſcriptionibus Surrentinis. Hi pleniorem poteſtatem habebant in Municipiis, quam Romæ, proportione ducta; nam in Urbe, ut inquit Cicero, primus erat gradus ad majores honores, neque inter Magiſtratus connumeratur apud Juriſconſultos, impuneque ab eis in jus vocati detrectabant judicium, ut manifeſtum eſt ex lege 2. *ff. De in jus vocando*. At vero in municipiis merum obtinebant imperium ita, ut flagris cæderent. Lege 2. *ff. De Decurionibus*. In Urbe Ædiles duo principio fuerunt, qui ædibus præ-

V. Alex. ab Alex. Dier. Genial. l.3. cap.16.

Zas. alioſque per cit. l.2. De Legib.

L. Lector,& ſeq. ff. De periculo, & commodo rei venditæ.

præerant, ut incendia arcerent ex plebe electi; duo additi fuerunt ex Patribus, & Ædiles Curules dicti; duoque tandem alii additi a Cæſare, ut rem frumentariam curarent; appellatique proinde Ædiles Cereales. Quot numero Ædiles fuerint Surrenti, haud facile divinare eſt. Sed iis, ut Romanis, jus erat ludos publicos exhibendi, & loca ſpectatoribus diſtribuendi, quod liquet ex allatis inſcriptionibus.

V.Barnab.Briſſon. in l.3.Selectar.Antiqu.

V. Dion. l.53. & Feneſtel.c.13.

V. Certant eruditi viri circa durationem Ædilium in municipiis, num ad quinquennium fuerint; quod tamen extra aleam eſt ex ea inſcriptione, in qua de Ædili dicitur *Quinquennalitate ſua*.

Confundunt quidam juris ſtudioſi Ædiles Cereales cum Curatoribus rei frumentariæ, enormiter quidem decepti. Curatorum enim omnium munus extraordinarium, ut Dictatorum, qui in Urbe eligebantur ad tempus, urgente neceſſitate, qua ceſſante, id generis Magiſtratus una ceſſabat.

VI. De Quæſtoribus, de quibus etiam mentio in inſcriptionibus, municipalis Reipublicæ Surrentinæ nihil opus eſt dicere, ut neque de Magiſtratibus ſacris, ſcilicet Flaminibus, præcipue quod de iis ſatis alibi diſſeruimus diſputantes de Archiflaminibus, & Protoflaminibus commemoratis in collectione Decretalium Iſidori Mercatoris, quod & fecimus in prima parte hujus Operis.

InDiatrib.De Patriarch.Antioch.

Qq CA-

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *De Republica Surrentina tempore Gothorum.*

I. NIhil aliud fortaſſe ex ſacris Scripturis, profaniſque hiſtoricis adeo luculenter valet erui, niſi quam infirmum ſit ad magna imperia ab interitu vindicanda, diutinaque firmanda felicitate humanum conſilium, atque induſtria; quod Divina Providentia omnipotentiæ ſuæ, atque inſcrutabili ſuo nutui, ac judicio reſervavit. Si quidquam hac in re præſtare unquam potuiſſet humana Sapientia, proſperos ſane, laudabileſque ſucceſſus, optatamque tranquillitatem Romano Imperio comparaſſet inſignis pietate, probitateque Princeps, ac militari virtute potentiſſimus Imperator Magnus Theodoſius, qui quum univerſas Imperj ditiones filiis Archadio, atque Honorio, illi Orientales, Occidentales huic teſtamento partitus eſſet, ut eorum ætatis imbecillitati proſpiceret, Rufinum priori, poſteriori vero Stilichonem eximios viros, & quo ad mores, & quo ad regimen cuſtodes, conſiliarioſque reliquit. Africæ autem moderandæ Gildonem præfecit; qua quidem inſtitutione, initoque conſilio res Imperj Romani mirum in modum augeri potuiſſent, & ſtabili pace floreſcere. Sed quid? non modo vana omnia hæc, ſed etiam peſſime ceſſerunt. Efferus Gildonis ambitus Africam perdidit. Effrænata Rufini impuden-

V. Joh. Zonar. Annal. t. 3. in Imp. Valent. & Theodoſ. in fine.

Digitized by Google

pudentia ita Orientem turbavit, ut neque poſt hujus obitum viſa ſit micare ſerenitas. Furias item movit Eutropius Eunuchus, in quos præclara poëmata edidit Claudianus. Idem Stilichonis virtutem adverſus Alaricum ſummis laudibus celebravit; ſed his Stilicho prorſus indignus, quippe qui datam Domino ſuo fidem impiæ comitatis ſimulatione fefellit, & Romam, univerſamque Italiam in miſerum diſcrimen, immo in lacrymabile excidium vocavit; quare deceptus ſane, qui hujus virtutem ad Cœlum uſque carminibus extulit Claudianus, eximius ex mea ſententia poëta, quidquid dixerint alii, Chriſtianus fuiſſe creditur a Franciſco Petrarca, & Chriſtophoro Landino: verum Ethnicus habetur a S. Auguſtino, aliiſque antiquis, quibus adhæret Gyraldus.

S. Auguſt. de Civ. l. 5.
Lil. Greg. Gyral. Dial. De Poët. Latin.

Stilichonis proditione Rex Alaricus Italiam ira fervens ingreſſus Romam obſidet, capit, miſerumque in modum depopulatur anno 410. Kal. Aprilis; in qua tamen Urbe non tamdiu conſtitit, ſed tumidi torrentis inſtar Campaniam, & præcipue Capuam, Nolamque expilat, Lucaniam, Calabriam, Brutioſque devaſtat; unde redux Conſentiæ mortem obiit; ſubtuſque lectum Buſenei fluvj cum magno theſauro ſepultum tradunt; Deviaſſe enim barbaros fluvj alveum ferunt, & iterum inde reduxiſſe.

V. Nicephor. Zonar.
Evagrium
Socratem
Sozomenum
Veſpergenſem in Chronico.

In ea Italiæ calamitate, ac devaſtatione nihil ſenſiſſe mali Surrentinos legimus Barbaris, ſive ab inaceſſis rupibus, ſive ab oppidanorum virtute deterritis.

II. Alarico Ataulphus ejuſdem conſanguineus in regno ſuccedit, qui Pulcheriam Honorj ſororem in uxorem duxit; a qua de invadenda Urbe diſſuaſus Narbonem divertit, ubi a ſuis Getis enecatus fuit.

Honorio ſuccedit Theodoſius junior, & huic Valentinianus III., qui, revocato ab Hiſpaniis Aëtio ſtrenuo ſane Duce, qui ab Honorio defecerat, Ceſtinum ſuffecit, huncque præ technis Maximi enecavit.

Bonifacius Comes, qui Africam regebat, cum Ceſtino diſſidia, & concertationes fovebat; eapropter Genſericum Wandalorum Regem in Africam accivit, qui exinde, magna adornata claſſe, Arianus quum eſſet, Romam, Italiam, & Græciam pluries impetivit, a quibus incurſionibus immunes Surrentini.

III. Cum Genſerico deinde pacem inivit Valentinus III. Occidentis Imperator, Africa inter ſe certis confinibus diviſa, ea tempeſtate, qua Attila *Flagellum Dei* nuncupatus cum ſuis Hunnorum copiis, aliiſque a ſe devictis nationibus Gepidis, Gothis, Marcomannis, Suevis, Herulis, Turingis in Italiam ingredi decreverat. Barbarus hic præ victoriis, & militis multitudine tumidus, ac ſuperbus, etſi Romani Imperj vires facile ſe profligaturum ſperaret: tamen aſtum, ac technas adhibere non prætermiſit, cum Gothis, qui erant in Gallia, fœdus inivit, teſte Paulo Diacono, a quo nonnihil diſſidere videtur

Pri-

Priſcus Græcus ſcriptor Attilæ coævus a Jornande commendatus; hic namque tradit, Attilam fœdus iniiſſe cum Primogenito Franciſci Regis filio: Aëtium vero Valentiniani ducem cum Secundogenito, qui inter ſe de Regno concertabant. Devictus primo fuit ab Aëtio Attila, & in Pannoniam reverſus, inde majoribus collectis copiis iterum Italiam invadit; ſed ubi Mincius in Padum influit, obviam habuit S. Leonem Pontificem Maximum, cujus eloquentia emollitus tunc Barbarus, oſtento etiam deterritus venerandi ſenis, qui obſtricto gladio a dexteris ſancti Leonis adſtabat minitans, ni pareret, in Pannoniam revertitur, liberamque relinquit Italiam, quam primus Regio nomine occupavit Odeacer, tum Theodoricus, qui mitem animum, & virtutis ſpeciem quamdam coluit ope, & conſilio M. Aurelj Caſſiodori. Non enim veram virtutem animo enutrire poterat vir Arianus. At & ipſam virtutis ſpeciem tandem labefactavit immani occidione Severini Boëtj, & Symmachi; &, ut Arianos ſuos demereretur, Johannem ſanctum Romanum Pontificem in carcerem Ravennæ detruſum ærumnis, calamitatibus, & ſqualore mortem obire coëgit.

Priſc. de Legation. laudatus eſt a Caballut. In Not. Eccl. ad Hiſtor. Synopſim Seculi V. in appendice.

IV. Hoc Rege, ſive potius Tyranno rerum in Italia potito, nullum patiebatur jugum Surrentina Reſpublica, quod aperte colligo ex epiſtola Caſſiodori, qui, poſtquam Veſuvius mons Campaniæ celeberrimus exarſiſſet, & Neapolitanos,

Caſſiod. Variar. lib. 4. epiſt. 50.

nos, Nolanoſque agros incendiſſet, de tributis imminuendis, ut miſerrimorum virorum lacrymis proſpiceretur, Fauſto Præpoſito ſcribit: nulla autem de Surrentinis incolis in ea epiſtola mentio, propterea quod nulla Surrentini tributa penderent. Hæc ex Caſſiodoro, qui ea occaſione Veſuvj montis conflagrationem opportune deſcribit, impiger ſane in ſcribendo vir, qui nonageſimum tertium agens annum librum de Orthographia edidit, ut ipſemet teſtatur. Atque ita duravit Gothorum dominatio in Italia uſque ad mortem Thejæ a Narſete prope Luceriam in Daunia devicti.

Ann. 562.

V. Circa hæc quoque tempora collocandum duceremus vetuſtum illud monimentum a ſolerti Neapolitanæ hiſtoriæ conditore relatum, de S. Tammaro, erutum, ut ipſe teſtatur, ex *Langobardis antiquis ſcriptis*, quo perhibetur, Tammarum Romæ claro ſanguine natum, falſoque nutricem compreſſiſſe criminatum, ut popularem iram declinaret, Puteolos aufugiſſe, ibique a ſolitario Sacerdote in antro aſceticam vitam ducente humaniſſime exceptum, & Evangelica imbutum doctrina ad antiquum oppidum juxta Lacum Lucrinum divertiſſe; ubi cum tribus aliis ſancte, integreque diu vixit; indeque recedentem Surrentum appuliſſe, ibique a Comite Surrentino minus benevole acceptum in Campaniam prope Atellam proceſſiſſe, ubi aliquantulum commoratus e vita meritis plenus diſceſſit, pago, in quo colitur, nomi-

Cæſar Capac. Hiſt. Neapol. l. 2. De Surrent. Tit. *Duces, Comites, Principes*, p. 537.

S. Tammarus Surrentum appulit.

nomine ſuo relicto. Hanc memoriam mancam, & ſine ulla hiſtorica criſi tradit citatus auctor; quam ſane apud nullum ſanctorum Biographum, aut Martyrologiorum conditorem unquam legimus.

Extat ſancti Tammari mentio apud Patrem Philippum Ferrarium Kal. Septembris, ubi de ſancto Priſco Epiſcopo, & Sociis; & Idibus Octobris, ubi de ſancto Tammaro Epiſcopo Beneventano loquitur; qui duo diverſi etſi ejuſdem nominis eſſe videntur. Prior (*a*) cum aliis in perſecutione Wandalica ex Africa ejectus. Alter vero tempore poſterior (*b*). Sed neuter ex his Tammarus ille Romanus, de quo Capacius; qui neque ex Africa pulſus fuit, neque Beneventum pervenit, neque unquam Epiſcopatu functus eſt. Etſi hujus Romani Tammari tempora cum Tammaro Africano cohæreant.

(*a*) V. apud Bolland. die xı. Februarj, ubi de vita S. Caſtrenſis, & P. Anton. Caracc. in Monim. Sacr. Neap. Eccl. c. 26.

(*b*) V. Inter alios Bolland. Soller. in Auctar. Martyrol. Uſuard. ad diem xv. Octobris.

Difficultatem porro quiſpiam contra nos excitare poſſet, qui adeo antiquum hunc Tammarum facimus, quando Conſul Surrentinus, a quo non humaniter exceptus fuit ipſe Tammarus, nuncupatur Comes; nomen ſane poſterius, recentiuſque a Langobardis uſurpatum.

Nos vero nequidquam dubitamus, quin ſcriptor vitæ ſancti Tammari fuerit Langobardus, ſed ipſo Tammaro longe poſterior. Porro ſcriptores illi non ita vocum proprietatem ſervabant, ut Magiſtratus nomina quandoque non confunderent. Præterea Comitis vox a Jureconſultis

V. Cujac. Pouſter. &c. Lexic. Kalvin. &c.

ſultis pro Magiſtratibus quandoque uſurpata eſt, ut in officiis Auguſtæ Domus.

# CAPUT VII.

## *De Republica Surrentina tempore Regum Langobardorum.*

I. PRofligato Theja, Italiam Imperatoris Conſtantinopolitani nomine feliciſſime regebat Narſes, quem Juſtino, & Sophiæ uxori inviſum calumniæ, & Aulicorum detractiones reddiderunt ita, ut in ejus auctoritatis locum Longinus ſuffectus fuerit; qua injuria percitus Narſes Alboinum Langobardorum Regem in Italiam accivit.

II. Hos ex Scandinavia peninſula, unde Gothi, aliæque barbaræ gentes, quæ Hiſpanias, Galliam, Italiam, Africamque occuparunt, ortos eſſe omnes hiſtorici conveniunt; de nomine diſſident Critici plerique, quorum aliqui Paulum Diaconum ſectantur, qui prius Winnulos appellatos fuiſſe docet, deinde Langobardos ex eorum lingua, in qua *Lang* longam, *bart* barbam ſignificat. Itaque Langobardi dicti, quod longam nutrirent barbam. Verum quum id commune eſſet omnibus Septemtrionalibus populis, hanc Etymologiam alii explodunt. Sed ne nos in frivolis iſtis longius immoremur, vide quæ abunde habet Abbas de Nuce, qui, aliis rejectis, non ſpernenda conjectura a bipennibus, quibus longis haſtis aptatis in bello

Rationem ipſorum exitus fuſe narrat Florentiæ a Secretis in Hiſt. Ital.

Paul. Diac. De Geſt. Langobar. & Otho Friſig. De Geſt. Frideric. l. 2. cap. 13.

Angel. De Nuc. In Not. ad Chron. Caſin. l. 1. c. 2.

in bello pugnabant, dictos fuiſſe putat; quod armaturæ genus nos Alabardam dicimus. *Lang* enim Gothorum lingua longum, *Bard* ſecurim, aſciam, aut bipennem ſignificat; quod ſane Etymon potius recipiendum putamus, quam illud Bodini aſtruentis dictos fuiſſe a Lagnis, & Bardis populis. Sed hac ſuper re nos etiam in prima parte.

III. Longinum Exarchum Romæ, & in univerſa Italia. Conſulum nomen deleviſſe ferunt, qui præcipuas Italiæ regiones Ducibus regendas commiſit.

Paul. Diacon. in Juſtinian. Tarcagnot. ad ann. 557. Capac. & alii.

In civitatibus tamen liberis, ſive Rebuſpublicis Conſulis nomen remanſit: & promiſcue Civitatis Rectores Conſules, ac Duces dicebantur; quare Leo Oſtienſis inquit: *Huic Abbati Johannes Conſul, & Dux Neapolitanorum ſuo præcepto confirmavit, atque conceſſit Eccleſiam ſanctæ Cæciliæ intra Neapolim ſitam in platea, quæ cognominatur Palmarum: nec non & Cellam ſancti Severi in Surrento cum omni pariter ſubſtantia, ac pertinentiis ipſius*. Quibus verbis motus Capacius ſuſpicatur, tunc temporis circa annum ſcilicet 944. Surrentum ad Neapolitanum Ducatum pertinuiſſe. Levis admodum conjectura; nam ea Cella, ſive Capella Surrenti ſita poterat jurepatronatus ad Johannem Ducem Neapolitanum ſpectare.

Chron. Caſin. lib. 1. cap. 56.

Plus difficultatis videntur excitare verba Capitularis Sicardi Ducis Beneventani, quæ ſunt hujuſmodi: *Promittimus Nos Sicardus Langobardo-*

V. Apud Peregr. in Hiſt. Princip. Langobard.

Rr *rum*

*rum gentis Princeps vobis Johanni electo ſanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ magiſtro militum*, ( hoc etiam nomine appellabatur Conſul, & Dux Neapolitanus ) *vel populo vobis ſubjecto Ducatus Neapolitani, & Surrenti, & Amalfi, & ceteris Caſtellis, vel locis, in quibus dominium tenetis, terra, marique pacem veram, & gratiam noſtram vobis daturos ab hac quarta die menſis Julj Indictione xiv. uſque ad annos quinque expletos.*

Hæc Sicardi verba magnam concertandi anſam Neapolitanis hiſtoricis præbuerunt. Aliqui enim Neapolitanam Rempublicam tunc temporis Surrentinis imperaſſe putant. At vero liquet, barbarum virum Sicardum haud fœdera rupiſſe, quum aſtu Amalphitanos ſubjecit, in qua oppugnatione obſeſſis viris nihil ſuppetiarum attulerunt Neapolitani, neque de capto oppido doluerunt, aut de fractis pactionibus. Quis igitur ea verba Capitularis Sicardi genuina eſſe ſibi perſuaſerit? Sed de his iterum occurret ſermo.

V. præcipue Scipion. Ammirat. De Ducib. Benevent. in Sicard.

IV. Quamvis autem Neapolitana Reſpublica, nec non Surrentina eſſent liberæ civitates ex fundatione Græcorum: tamen cum Romanis poſtea fœderatæ fuerunt principibus, aliquando cum Gothis etiam Regibus, ne odium ſubirent dominantium in Italia principum, ut proinde Neapolis diram illam a Beliſario obſidionem paſſa ſit; ideoque iis, quibuſcum fœdera contraxerant, ſigna, inſcriptioneſque erigebant; atque eorum nomina, & dominationis Epocham publicis ſcri-

pturis

pturis præficiebant. Hæ igitur civitates, ut Exarcho morem gererent, nec ejuſdem odium ſibi conflarent, qui Conſulis horrebant nomen, illud Ducis, & Magiſtri militum ſupremo magiſtratui ſuo fecerunt, quoad eorum vita durabat. Eapropter in capitularibus fœderis Sicardi principis Beneventani cum Republica Neapolitana (de quibus ſequenti capite agemus) Andreas dicitur *Dux*, *& Magiſter militum*. Præterea in Leonis Oſtienſis Chronico Caſinenſi Johannes, qui plures Eccleſias Caſinenſibus Monachis dono dedit, dicitur Conſul, & Dux Neapolitanus. Sergius etiam, qui ſupremum magiſtratum in Republica Surrentina gerens adfuit conſecrationi Eccleſiæ Caſinenſis, Dux Surrentinus nuncupatur. Chron. Caſin.l.3. cap.30.

V. Putant nonnulli Ducis, Comitis, & Magiſtri militum latina ſane nomina barbara ſignificatione uſurpari, dum ad exprimenda Magiſtratuum munia imponuntur; atque ita accepta referenda eſſe ad jura Feudalia collecta per *Gerardum Nigrum*, *& Obertum de Orto*. In quibus mores Langobardorum, & pleraque jura inſerta ſunt, quemadmodum & voces *Feudum*, *Laudum*, *Vaſſi*, *& Vaſſalli*, *Homagium*, *Hominium*, *Bennum*, *Heribannum*, & alia id generis plura. Falluntur tamen. Ducis enim vox pro ſupremo Reipublicæ rectore, ut modo etiam dicitur Venetorum ſupremus Magiſtratus, vulgo *Doge*, ab ipſis Græcis Imperatoribus, præſertim tempore Longini Exarchi dimanavit, & reperitur in De Feud. lib.2. tit.10.



Digitized by Google

In Cod. Juſtin. l. xi. C. De Diverſ. Offic. Agantium. ult. §. ult.

Codice Theodoſiano, & Juſtinianeo, ubi legitur: *Officii virorum magiſtrorum militum utriuſque præfecti Orientis, & Illyrici, Invitatorum, Admiſſionalium, Memorialium, omniumque pædagogorum, Cellariorum, Menſorum, Lampadariorum, eorum, qui in ſacris Scriniis deputati ſunt. Decanorum partis Auguſti, & Curſorum partis Auguſtæ. Officii virorum ſpectabilium Ducum, Palæſtinæ, & Meſopotamiæ, nobilis Comitis Phœniceſeos, Corſenæ, Syriæ, Lybiæ, Pentapoleos, utriuſque Armeniæ, utriuſque Ponti, Scythiæ, Myſiæ primæ, & ſecundæ, Daciæ, Pannoniæ. Officii virorum ſpectabilium Ægypto, Pamphiliæ, &c.* Idem ferme habes in notitiis utriuſque Imperj, & apud Lampridium. En igitur apud Græcos Imperatores nomina, & officia Ducis, comitis, & Magiſtri militum, qui anteceſſerunt Regnum Langobardorum in Italia.

Lamprid. in Alex.

VI. Quum vero Ducum, & Magiſtri militum nomina a Græco Imperio derivata eſſe putemus, non perinde credas nos illis adhærere, qui putant temporibus Langobardorum has Ulterioris Italiæ regiones, quæ exinde in Regnum Neapolitanum coaluerunt, omnes ita paruiſſe Græco Imperatori, ut nulla prorſus in illis extaret civitas, quæ Reipublicæ libertate frueretur. Antiquiſſimam ſiquidem ſequimur noſtratum hiſtoricorum, & vulgatam opinionem, quatuor viguiſſe propinquas inter ſe Reſpublicas: Neapolitanam omnium amplitudine, & ditione potiſſimam: Surrentinam anguſtiorem, ſed antiquiorem:

Digitized by Google

rem: Amalphitanam recentiorem, & Cajetanam, quæ non diu conſtitit, & ancipiti fortuna duravit.

Perpaucas regiones in hac Italiæ parte Græci Imperatores tenebant: potiſſima pars Langobardis Regibus, qui Ticini Regium thronum habebant, id temporis parebat. Autarithus tertius Rex, quem Rhegium uſque victorem diſcurriſſe tradit Paulus Diaconus, vetuſtam in mari adinventam columnam haſta tetigit in hæc verba erumpens: *Uſque huc erunt Langobardorum fines*.

Paul. Diacon. l. 3. cap. 33. Scip. Ammirat. Di Zotone Duce di Benevento I.

Eo tempore primus viguit Beneventi Dux Zoto anno 573. juxta Ammiratum, qui veremur ne exactam Chronologiam tenuerit. Zoto enim, & Autarithus aliquanto poſterius regnarunt.

V. Carol. Sigon. De Regn. Ital. l. 1.

Idem vero Ammiratus ingenue fatetur, ignota ſibi prorſus Ducatus Beneventani confinia; quæ diligentiſſime præſtitit Camillus Peregrinius. Variarunt tamen juxta varia bella, ipſorumque Ducum bellicoſam virtutem, variamque fortunam; quamobrem Capuæ etiam, & Salerni principatum ſibi aſcivit. Ea autem tempeſtate, & poſteriori Neapolitanam Rempublicam adhuc ſui juris fuiſſe, & ipſam etiam Surrentinam, aſſerimus contra ea, quæ habet Antonius Caracciolus, qui quamdam Reipublicæ deformem imaginem, larvamque Neapoli, ut pluribus aliis civitatibus, Capuæ nimirum, Nolæ, Salerno tribuit, dictum ſane tanto viro indignum; & contra Carolum Borellum in vindice Neapolitanæ nobilitatis, alioſque ejus farinæ literatos viros.

Peregrin. In Hiſtor. Princip. Langobard.

Anton. Caracc. In Not. ad Vit. S. Antonin.

VII.

VII. Id ut præſtemus, præmittendum quid nomine Reipublicæ intelligamus; ii enim ſumus, qui putamus rem hanc non adhuc eſſe pro dignitate definitam, ne ab ipſo quidem Ariſtotele, qui triplex recti regiminis genus diſtinxit, Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum, quam diviſionem quum calumnientur nonnulli, aptiorem nihilominus in medium non afferunt. Nos potius opinaremur, humanum regimen ita ſibi homines comparaſſe, ut aliqui uni omnem penitus tribuerent poteſtatem, juriſdictionem, atque imperium ſive merum, ac mixtum; quam poteſtatem in alios, ſive in hæredes transferendi facultatem fecerunt. Alii autem electivum ſupremum magiſtratum, & ad tempus, ſive ad vitam duraturum ſtatuerunt, facultate eidem facta inferiores magiſtratus ſive omnes, ſive aliquos eligendi. Ubi illud notatum volumus, primum regiminis genus Monarchiam, ſecundum vero Rempublicam vocamus. Hæc ſatis ſit innuiſſe: ſi enim exemplis, exquiſitiſque rationibus firmanda eſſent, magno, integroque volumine indigerent.

VIII. Porro hujuſmodi fuiſſe Rempublicam Neapolitanam, & Surrentinam, ita ex hiſtoriis liquet, ut mendum Borelli, aliorumque, qui illam faciunt temporibus Langobardorum Conſtantinopolitanis Imperatoribus ſubjectam, nulla litura deleverit. Is enim de Ducibus Surrentinis ſcriptum reliquit: *Duces Magiſtratum fuiſſe*,

Carol. Borell. In Vind. Neap. Nobilit. ubi de Famil. Serſal. pag. 142.

*fuiſſe, qui apud Serſalios diutiſſime perduravit : qui tametſi eligebantur ſuffragatione, & favore multitudinis, ratus, ac firmus habebatur a Græcis Imperatoribus, quorum ſupremæ poteſtati, ſummoque imperio non civitas illa ſolum, verum Neapolis, Amalphis, Cajeta ſubjiciebantur. Quominus tutam habere videntur excuſationis latebram, qui decepti Ducis nomine Civitates illas ad modum Reipublicæ regi exiſtimarunt. Sed non advertunt rerum ignari, cum populos quotquot erant omnes, tum vero etiam Duces ipſos in ſuis ſchedis, publiciſque chirographis Græcos Imperatores appellare conſueviſſe ſuos Dominos, ac Reges, iiſque tamquam ſupremum, & abſolutum dominium habentibus omnino ſubdi.*

Vah audax homo, cui rerum ignari adeo videntur ii, qui quatuor Reſpublicas, præcipue Neapolitanam tuentur, ut cæcæ ſibi ſint quærendæ latebræ. Hoccine eſt vindicem Neapolitanæ nobilitatis ſe facere, antiquiſſimam nempe illius, & liberam, diuque duratam originem, neque ab aliis immutatam, niſi a celſiſſimis Catholicis, pientiſſimiſque principibus, funditus evertere?

IX. Sed cedo nobis, bone vir, ubi bellam adeo fabellam nactus es, Conſules, Duceſque Neapolitanos, ac Surrentinos a Civibus libere electos nonniſi a Græcis Imperatoribus firmitatem obtinuiſſe? Eja age, oſtende jam diplomata, & eas, quas obgannis, nova luce hiſtoriarum tenebras diſcute, neque tam cito in latebras amanda. Nos enim dilucide demonſtravimus, Surrentinos

tinos

tinos a Romanis victoribus fuiſſe Latina libertate donatos, juſque illud relictum magiſtratus ſibi eligendi, quos ad formam Romanæ Reipublicæ Græco relicto more inſtituerunt. Ita dum Romæ Imperatores degebant, nihil mutatum invenimus, poſtquam Conſtantinus Magnus in Byzantina regione novam Romam, ſeu Conſtantinopolim extruxit, eum morem ſervaſſe Imperatores, quouſque duravit Græcum Imperium.

X. Illud tibi, lepide Borelle, ultro concedemus, non adeo validas haſce fuiſſe Reſpublicas, ne ipſam quidem Neapolitanam, ut vel profligare adverſariorum copias, vel ſuam tutari libertatem perpetuo potuerint ita, ut aliquando eis neceſſum fuerit modo cum hoc, modo cum illo populo fœdus inire, & quodammodo ei ſubjici, ut a principio acceptam Reipublicæ formam quoquo modo poſſent, tutarentur. Cum Samnitibus, Nolanis, aliiſque fœdus iniverunt, ut a Romanis ſe defenderent, eorum vigente Republica, atque Imperio.

Dionyſ. Halicarn.

Romanis adhæſerunt, ut Pyrrhi Campaniam vaſtantis furorem declinarent. Gothis, Viſigothis, Wandalis, Oſtrogothis ſe addiderunt, cuſis nummis modo cum effigie Græcorum Imperatorum, modo barbarorum Regum, relictis Græcis; quare Beliſarj odio, & armis lancinati: dum Gothorum Stolones Ducatum Beneventanum regerent.

V. Eutrop. V.Capac. in Hiſt. Neap. lib.1. c.20. In Atalarico, Amalſunta, & Theodato.

Nonnumquam in rebus arduis Romani Pontificis

tifices, ut inquit Capacius, *etiam in Duces auctoritatem exercebant, eoſque confirmabant electos*. Modo etiam aliqui eorum Duces, ut Exhilaratus, & Petrus ita Leoni Iſaurico impio Iconoclaſtæ adhæſerunt, ut in Romanum Pontificem conſpirarint; quapropter iidem a Romanis enecati.

Cap. Hiſt. lib. I. cap. 12. In Maurentio Duce IV.

Verum his fluctuantibus rebus, non proinde Neapolis ſuæ Reipublicæ formam prorſus amiſit: quemadmodum mare etſi ventis turbatum ita intumeſcat, ut litora impotens abſorturum videatur; pacatis tamen, & coërcitis flatibus ad ſuam redit naturam, ac quietem: ita Neapolitana Reſpublica hac illac ſæpe bellis, humanarumque rerum varietate jactata ad primævam Reipublicæ formam revertebatur.

V. Anaſt. Biblioth. in Vita Greg. II. & Capac. in Exhilarato Duce VIII. & Petro Duce IX.

XI. Ridebunt quoque, & exibilabunt Borellum hiſtorici omnes, hiſtoriarumque lectores, quod dixerit, *populos quotquot erant* ( Italiæ fortaſſe intelligit ) *Græcis Imperatoribus fuiſſe ſubjectos*. Qua enim tempeſtate Græcis Imperatoribus *tamquam ſupremum dominium habentibus omnino ſubdebantur*? Uſque ad ævum fortaſſe Honorj? ultro concedimus. Verum eouſque de Civitatibus fœderatis, ac Rebuſpublicis earum quod a Romanis Imperatoribus conſtitutum fuerat, nihil immutatum legimus. Poſtquam autem Alaricus Romam obſidione cepit, atque ad extremas uſque Italiæ partes populabundus, ac victor diſcurrit, vix poſtrema Apulia, exileſque Italiæ regiones Græcis Imperatoribus remanſerunt. Atque

Anno 412. ita ſe res habuit uſque ad Amaleſunthæ, & Athalarici tempeſtatem, quum Juſtiniani ſtrenuus, atque incomparabilis Dux Beliſarius in Italiam miſſus Neapolim obſidione expugnavit, quod a Græci Imperatoris amicitia receſſiſſet. Sed in Græciam revocato Beliſario iterum a Totila, devicto Johanne Vitaliani Juſtiniani fratris filio, recuperata fuit Italia ad Baſilicatam uſque, & Calabriam; mutavitque Fortuna vices etiam poſtquam Narſes in Italiam miſſus fuit, qui ulciſcendi ergo acceptas a Sophia Imperatrice injurias Langobardos in Italiam accivit, qui in xxx. Duces Italiæ dominationem ſciderunt; e quibus Beneventanus unus, qui limites Græci Imperj coërcuit, ſtipavitque, ac ſuam ditionem longe, lateque ampliavit.

V. Procopium.

Camill. Peregr. In deſcript. Ducat. Benev.

A Langobardorum jugo Italos liberavit Carolus Magnus; ſed non proinde facta Græcorum Imperatorum in ultimis Italiæ regionibus amplior ditio; immo & magis eam Carolus coarctavit tunc, quum validam Irenes claſſem in Italiam ſub Adalghiſe anno 788. miſſam ſtrenuorum virorum ope profligavit.

Multo anguſtius Græcam in Italia dominationem conſtrinxere Nortmanni, ut paulo poſt dicemus. Quando igitur adeo late vagatum eſt per Italiam Græcorum Imperium, ut ipſius Italiæ Rebuſpublicis leges, ac modum tamquam Regia poteſtate impoſuerit, ut Borellus contendit?

V. Cedren. Aimon. Annal. Veter. Franciæ. Mainb. Hiſtoires des Iconoc. livr. 4.

XII. Quod ſubdit de Amalphitana Republica

blica ſemper Græco Imperatori paruiſſe, palam ſane facit viro huic de Amalphiæ origine nihil prorſus ſuboluiſſe; ea quidem civitas ab iis Romanis coaluit, qui ut Græcam dominationem, & barbarorum furores evaderent, in tuta illa ſe receperunt loca, eo ſane conſilio, quo ex Aquileja, ejuſque confiniis Veneti in tutos ſcopulos ſe contülerunt, unde coacta fuit Reſpublica illa, quæ Italiæ decus, & numquam ſatis laudatum ornamentum eſt, quamque cum ipſa Roma conferens egregius poëta Sannazarius noſter cecinit: Ex Chron. Amalph.

*Illam homines, dices, hanc poſuiſſe Deos.*

XIII. De Cajetana Republica hæc legimus: *Poſt hæc Pandenolſus, qui tunc Capuæ præerat, in Papæ fidelitate conſiſtens rogavit eum, ut ſubderet dominatui ſuo Cajetam. Nam Cajetani eo tempore Romano tantum Pontifici ſerviebant, quod prædictus Papa dum conceſſiſſet, cœpit idem Pandenolſus ita Cajetanos acriter incurſare, ut vel uſque ad Molas illis egredi non daretur.* Tum ſubdit idem auctor, Cajetanos ſibi in Ducem elegiſſe Docibilem, qui ut concives e calamitatibus aſſereret, in hoſtemque Capuanum animadverteret, impio conſilio Saracenos accivit, quibuſcum fœdus inivit. Ea re commotus Romanus Pontifex, qui Hadrianus fuiſſe creditur, ſuavibus monitis, dulciſſimiſque epiſtolis Docibilis animum tentare, atque emollire non deſtitit, quod tandem conſecutus eſt. Cajetanus autem Dux in ipſos Saracenos Leo Oſtien. lib. 1. cap. 43.

nos arma convertit, a quibus plura paſſus, trajecto Lyri, vel, ut alii ferunt, *ſuperato Gariliano monte* in Caſinum ſeſe recepit, in cujus locum a Cajetanis ſuffectus Adernulfus Aquini Comes. Plura reliqua lege apud eumdem Oſtienſem cum adjectis annotationibus Abbatis de Nuce; unde palam colliges, Cajetam electivum Ducem, ac temporarium ſibi facere conſueviſſe, adeoque Rempublicam fuiſſe modo Romanorum Pontificum auſpiciis, modo barbarorum præſidio ſuffultam. Sed Surrentum nos evocat.

V. Abbat. de Nuc. in Not. ad Oſtien. nota D. & eumd. Oſtien. lib. 3.

# CAPUT VIII.

*De Statu Reipublicæ Surrentinæ, regnantibus in Italia Gallis Imperatoribus, ubi Surrentum a Neapolitanorum jugo vindicatur.*

I. QUi pietatem Chriſtianam ex animo non penitus abjecerunt, optime norunt, nihil potius imperia labefactare, proſternere, diſſolvere, ac evertere funditus, quam hæreſim, & a vera Eccleſia defectionem. Obtinuerunt ſummi principes a Jeſu Chriſto, cui a Patre data fuit omnis poteſtas, & imperium, ſupremos dominatus, tamquam feuda, ut, quemadmodum recta comparatione quidam ratiocinabatur, æterno Regi fidelitatem ſervent; ſi vero renuant, in illas incidant Iſajæ minas: *Gens, & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* II.

Iſajæ cap. 60.

II. In confeſſo eſt, Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, ſibi deſpondiſſe Chriſtum, neque ipſum Chriſtum patrem habere, qui Eccleſiam ſui matrem non agnoſcit; quam ſupremi Principes ſummis officiis, ſumtibus, laboribus, atque periculis tueri, ac propugnare tenentur adverſus eos, qui ejus unitatem, ſanctitatem, catholicam, & Apoſtolicam doctrinam erroribus, hæreſibus, ac ſciſſionibus inficere, & conſpurcare conantur. Audiamus ſanctum Petrum Damianum: *Si quis* Lib. 10. epiſt. 10. ad Gothoſridum. *honeſtis, ac pudiciſſimis thalamis tuis inferre molinetur injuriam, quis neceſſarius tuus, quis domeſticus auderet illi familiariter conjungi? Quis illi præſumeret in amicitia copulari? Si ergo homo cum adverſario Domini ſui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto ſublimitas tua illi communicare non timuit, qui ſponſam Chriſti, ſanctam ſcilicet Eccleſiam quaſi per obſceni lenocinj ſtuprum violare præſumſit? Dei quippe hoſtis eſſe convincitur, qui ejus inimico amicitia ſociatur.* Hæc ingenue ſanctus Cardinalis ad Gothofridum Tuſciæ ducem, quod cum Cadaloo Pallavicino Antipapa, qui Honorj II. nomen aſſumſerat, amicitiam iniiſſet. Atque ita exprobantur a S. Cardinali, qui non ſuppetias quidem ferunt, ſed tantum amicitiam cum hoſtibus Eccleſiæ contrahunt. *Debet namque*, ut ſcribit S. Leo epiſt. 71. ſanctus Leo Leoni Imperatori, *Imperator incunctanter advertere, Regiam poteſtatem ſibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*. Et juxta ſanctum Auguſtinum: *Per-* S. Auguſt. tract. 11. ad Johann.

*tinet*

*tinet hoc ad Reges ſeculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt.*

Id optime præſtitit Carolus Magnus, dum quarto Romam advenit, præcipue ut paratas in S. Pontificem Leonem III. acerrimas injurias averteret, ac ulciſceretur. *Non enim ille*, ut inquit Eginhardus, *toto Regni ſui tempore quidquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate, & Eccleſia S. Petri non ſolum per illum tuta, ac deſenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata, atque ditata &c.* Quamobrem illi S. Pontifex gratas vices rependit, ut inquit Paulus Diaconus his verbis: *Ceterum vicem Carolo recompenſans, in Imperatorem coronavit.* Nihil hac coronatione eidem Carolo ferme contuliſſe Leonem, contendunt aliqui ex recentioribus Gallis; ſed aliquanto modeſtius Natalis Alexander, ne omnibus antiquis Francorum hiſtoriis videretur adverſari, præcipue vetuſtis Francorum Annalibus, & Anaſtaſio Bibliothecario, faſſus eſt, non Occidentale quidem Imperium tranſtuliſſe, quum nullam temporalem ditionem in eum tranſtulerit, *ſed Imperiale nomen, & dignitatem, & Imperialia inſignia. Cujus auctoritate? Leonis III. Pontificis Maximi, qui ipſum coronavit; & Romanis auctor fuit, ut ipſum Imperatorem ſalutarent.* Quod Jureconſulti ita exprimerent: *Tradidit non jus in rem, ſed ad rem.* Utcumque res ſe habuerit, illud certiſſimum, quod Anaſtaſius Bibliothe-

Eginhard. In vita Carol. Magn.

Paul. Diac. l. 23. Franciſc. Feu. in Tract. De legib. quæſt. 4. art. 4. Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. ſec. 9. diſſert. 1.

Maimburg. Hiſtoire des Iconoclaſtes livr. 3.

Anaſt. Biblioth. In vita Leonis III.

Digitized by Google

thecarius ſcriptum reliquit de Carolo Magno: *Tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem, & dilectionem, quam erga ſanctam Eccleſiam, & ejus Vicarium habuit unanimiter altiſſima voce Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri Regni Cœlorum exclamarunt: Carolo Piiſſimo, Auguſto, a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita, & victoria.* Idipſum habetur in veteribus Annalibus Francorum Laureshamenſibus ſub Eginhardi nomine vulgatis ad annum 801. *Et a Deo coronatum* dicunt; quoniam ab ejus in Terris Vicario Imperiali inſigne redimitus.

III. Hoc Imperialis coronæ, & chlamydis indumentum, atque unctionem Carolo inopinatam adveniſſe perhibet Maimburgus auctoritate Eginhardi in vita Caroli Magni, aliorumque Gallorum, ac Græcorum hiſtoricorum. Verum redarguitur a neoterico Neapolitano hiſtoriographo, qui illudi a Maimburgo lectores aſſerens, rem negotioſam fuiſſe, nullius adhibita auctoritate decernit, multiſque conſiliis inter ſummum Pontificem, & Imperatorem actam.

Maimb. Hiſtor. des Iconocl. livr. 4. Gretſer. defenſ. Bellarm. l. 1. V. De ea re Bellarm. & Gretſer. in defenſ. l. 1.

Verum coronationem, & unctionem ex improviſo Carolo potius adveniſſe credendum, tum quia fides habenda antiquis hiſtoricis, cum etiam quia res quadrant Imperatori animo pollenti ad omnem moderationem aſſueto, & ſui maxime compoti ita, ut dixerit Alcuinus: *Catholicus eſt in fide, Rex in poteſtate, Pontifex in prædicatione, Judex in æquitate, & Philoſophus in liberalibus ſtudiis,*

Alcuin. adverſ. Elipand. Toletan. qui cum Felice Urgelitano Chriſtum faciebant non naturalem Dei filiũ, ſed adoptivum l. 1.

*diis, inclytus in moribus, & omni honeſtate præcipuus*. Putant proinde plures, Carolum auctoritate Pontificia potuiſſe Græcorum Imperatorum, poſtquam in hæreſim ruerunt, ditiones legitime invadere. Verum hæc ad Theologos.

IV. Carolo in Imperio ſucceſſit Ludovicus, qui ob inſignem in Deum religionem, animique erga liberos, ac ſubditos manſuetudinem, clementiamque Pii cognomen juremerito aſſecutus eſt. Tantam ei humanitatem, tantamque lenitatem animi exprobrant Politici, quod ea & gnatis, & ſubditis, ut ſæpiſſimas molirentur defectiones, turbaſque in Regno excitarent, anſam præbuerit. Ita vanis Politiæ magiſtris cum Machjavello ſuo facile eſt generalia axiomata propter peculiaria rerum adſtruere.

V. Pio Ludovico ſucceſſit in Imperio trux, auſteruſque primogenitus Lotharius, * qui nihilominus nec ſubditos in officio continere, nec pacatum regnum efficere valuit. Quis enim neſcit quæ turbæ, qui tumultus, quæ tempeſtatum procellæ eo regnante emerſerunt? Regna divina prudentia, rectoque in rebus arduis conſilio, quod a Spiritu Sancto, conſumataque ſapientia principibus advenit, moderanda ſunt. Hanc regnandi artem ſero tandem aſſecutus Lotharius, dimiſſo Imperio, in monaſterio Prumienſi monachum induit; ubi num melior factus addubitat Sigonius.

VI. Poſt Lotharium Imperium ſuſcepit Ludovi-

V. Philipp. Briet. ad ann. 814. damnantem in Carolo lubricitatem, & concubinatum, a quo reatu immunem alii exiſtimantes, dicunt concubinas eas vere fuiſſe ſucceſſive uxores, dictas vero concubinas, quia pauperes, & ſine dote mulieres, etiam in Concil. Toletan. 1. c. 17. relat. a Gratian. in C. Is qui, Diſtin. 34.

V. hac de re Ludov. Bail. contra Bartholum. Emman. Gonzal. ad c. 6. De Cælib. Cleric. & Mulier. Inter ſanctos relatus fuit Carolus a Paſchali Antipapa. De cujus diplomate quid ſentiendũ vide Baronium, & Natal. Alex. in hiſt. Eccl. ſecul. 9. & 10. c. 7. art. 1.

* V. Annal. vet. Franciæ Tald. Simon. Aſtronom. in vita Lud. Pii.

Plura addidit ad Capitularia Caroli Magni.

V. De ea re Baluzium.

Aimon. de Geſtis Franc. l. 5.

Sig. De Regno Italiæ l. 5.

De Monaſtica vita Lotharj.

V. Natal. Alex: ad ſæculum 9. c. 7. art. 3.

dovicus II., in cujus laudes Galli hiſtorici merito largiſſime effunduntur, quas compendio complexus eſt Maimburgus, qui duxit neminem ex Caroli Magni deſcendentibus hujus mores, virtutes, valoremque adeo ad vivum expreſſiſſe, quam hic Ludovicus. Is ter Italiam trajecit a Johanne VIII. primo corona Imperiali donatus. Saracenorum, e quibus illuſtres victorias, ac triumphos tulit, infeſtiſſimus hoſtis fuit, eoſque pene confecit, Bario, ubi validiſſime ſe munierant, expugnato. Pluribus noſtrarum regionum diſſidentibus Toparchis armorum ſuorum felicitate devictis, conſueta animi magnitudine Adelchim Beneventanum Principem in ſua ditione firmavit, a quo barbaro ſane viro carceribus infanda proditione mancipatus, tandem præ Saracenorum incurſione, ut eos compeſceret, vinculis liberatus eſt.

De Geſt. Ludov. V. Annal. vet. Franc.
Aimon. l. c. c. 33.
Maimb. Hiſtoire De la Decadence de l. Empire l. 1. ann. 856.

Leo Oſtien. in Chron. Caſin. l. 1. cap. 36.

VII. Regebat tunc temporis Neapolitanam Eccleſiam Athanaſius ſanctiſſimus Epiſcopus, qui miris modis a Sergio impio nepote ſuo Duce Neapolitanæ Reipublicæ vexabatur; moleſtiſſime namque ferebat a ſancto patruo redargutiones, & ſanctiſſima monita ita, ut hic in Caſtrum Lucullanum, ſive inſulam ſancti Salvatoris appellatam ſecuritatis gratia ſe receperit; unde levi phaſelo Surrentum trajecit, ubi a Stephano Surrentino Epiſcopo germano ſuo liberaliſſime exceptus fuit. Ducis interea Neapolitani tam iniqua geſta, & Neapolitanorum impiam amicitiam cum Saracenis contractam exoſus Ludovicus Au-

guſtus agros Neapolitanos vaſtatum, atque incenſum miſit milites ſuos, de qua re provocarunt Neapolitani ad Baſilium Imperatorem Græcum, qui quum literas ipſi Ludovico Auguſto pro Neapolitanorum tuitione dediſſet, Apologeticum reſponſum ab eo recepit, quo Neapolitanorum perfidia in admittendis Saracenis, & Paſtore ſuo vexando exprimitur; hanc epiſtolam Erchempertus, Baronius, & Marinus Freccia, mutilam vero Cæſar Capacius, Chioccarellus, aliique referunt. At tantum nefas non perpetuo admiſere Neapolitani. Deinde enim in Saracenos exarſerunt, eoſque validiſſime, ſtrenueque profligarunt, ut in prima parte dictum ſatis. Modo heic eorum exſufflandus eſt error, qui Surrentum aliquando Neapolitanæ Reipublicæ ditioni ſubjecerunt.

V. etiam Card. Baron. tom. 10. ad ann. 812.
Frecc. De Subfeud.
Chioccar. De Epiſc. Neap. in Athanaſ. V. quæ diximus in prima parte.

# CAPUT IX.

*Surrentina Civitas a Neapolitanorum jugo vindicata.*

I. SIcardus Beneventi Dux Siconis filius ſuæ Toparchiæ initio adverſus Neapolitanos bellum adorſus eſt, & cauſſatus hos non ſibi pendere vectigal patri jamdiu ſponſum ſtricta obſidione civitatem vallavit, quam paulo poſt diſſolvit initis pactionibus, ſive Capitularibus, ut vocat Erchempertus, cum ſancto Johanne tunc electo Epiſcopo Neapolitano, & cum Andrea Du-

V. Not. Baron. ad Martyr. Rom. die 22. Junj.

ce,

ce, quem Magiſtrum militum appellat, cum iis ſcilicet, qui omnes ordines referunt Eccleſiaſticorum, & Laicorum, quas conventiones per Rothridum miſit. Initio autem Capitularium hæc ait faſtoſus Sicardus: *Pro quo promittimus nos Dominus vir glorioſiſſimus Sicardus Langobardorum gentis Princeps vobis Johanni electo ſanctæ Eccleſiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magiſtro militum, vel populo vobis ſubjecto Ducatus Neapolitani, & Surrenti, & Amalfi, ac ceteris caſtellis, vel locis, in quibus dominium tenetis terra, marique pacem veram, & gratiam noſtram vobis daturos ab hac quarta die menſis Julj Indictione XIV. uſque ad annos quinque expletos, &c.*

Hæc verba referuntur a Capacio in Duce Andrea, Erchemperto, aliiſque.

Forte nondum confirmatus erat Johannes a Gregorio IV.

Circa ann. 832.

Ex his verbis eliciunt Peregrinius, Pater Antonius Caracciolus, Abbas Angelus de Nuce, aliique perpauci, Surrentum id temporis Neapolitanis Ducibus fuiſſe ſubjectum, atque in ea ſubjectione permanſiſſe uſque ad annum 944., quando, teſte Leone Oſtienſi, Johannes Conſul, & Dux Neapolitanus plures Eccleſias dono datas Benedictinis confirmavit, aliaque addidit: *Nec non*, hæc ſunt hiſtorici verba, *Cellam ſancti Severi in Surrento*; unde deducunt Conſuli Neapolitano Surrentum quandoque paruiſſe.

Leo Oſtien. In Chron. Caſin. lib. 1. c. 56.

Addit inſuper P. Antonius Caracciolus, in exilium miſſum Surrentum a Sergio Neapolitano Duce Pancratium quemdam Neapolitanum equitem, cujus rei teſtem vocat Anonymum ſcriptorem vitæ ſancti Antonini.

II. Ut nodum hunc abſolverent aliqui, dixerunt neque Neapolim, neque Surrentum veras tunc fuiſſe Reſpublicas, ſed Exarcho ſubjectas, qui illis regendis præfectum militum mittere conſueverat, quocum fœdus inivit Sicardus. Inepta ſane conjectura. Magiſtri enim militum Imperj ſumma erat præfectura, quam paulo ante explicavimus. Præterea jam diximus, Longinum Exarchum hæc nomina Italia ablegaſſe, tantummodo illa Ducum relinquentem. Quid? Quod cum electo Epiſcopo Sicardus etiam contrahat, quod denotat tunc Neapolim Rempublicam fuiſſe, quæ omnium civium genus complectebatur, quum Sacerdotj, & Populi Principes viri contraherent.

Ex cit. leg. ult. C. De Diverſ. offic.

III. Sed quod maxime ad rem noſtram facit, ſi ſanctus Athanaſius, ut Ducis Sergj furorem evaderet, Surrentum ſeceſſit, manifeſtum eſt, ea tempeſtate Surrentum Neapolitanis minime paruiſſe, aliter male quidem ſibi conſuluiſſet ſanctus Athanaſius, & recta Beneventum potius confugiſſet. Surrento enim facillimum fuiſſet Sergio Athanaſium vel revocare, vel opprimere.

IV. Quid? quod in ſatis famigerata illa, ac laudatiſſima expeditione Neapolitanorum, qui validiſſimum contra Saracenos præſidium, regnante Leone IV. comparantes inſignem de iis victoriam reportarunt, Amalphitanos, & Cajetanos ſocios habuerunt, ut omnes fatentur hiſtorici. Queî igitur ſubjecti erant Neapolitanis (ut Sicardus

dus

Digitized by Google

dus videtur innuere) ii, qui navales, & ultroneos ſocios contra Saracenos ſeſe ipſis Neapolitanis adjecerunt?

V. Rurſum in prima parte luculenter demonſtravimus, Sicardum barbarum virum fidem Neapolitanis promiſſam nequidquam ſervaſſe, & Surrentum comparato exercitu obſediſſe, invaſiſſeque. Sed in rem noſtram eſt, nullum a Neapolitana Republica præſidium, nullas ſuppetias teterrimis illis temporibus tulit Surrentum, ſed bellico civium valore, & præſtantiſſimo in primis ſancti Antonini præcipui illius civitatis Tutelaris, ut alibi dictum, adjumento immanis, infidique hoſtis arma confregit. Manifeſtum igitur ad Neapolitanorum Rempublicam ea tempeſtate Surrentum nihil pertinuiſſe.

VI. Quid igitur reſpondendum illis verbis, quæ in Induciis a Sicardo cum Neapolitanis initis referuntur? Sane nihil inde aliud quam Surrentinos Neapolitanis fœderatos fuiſſe evincitur; hac una enim via quæ hucuſque attulimus cum verbis illis Capitularis Sicardi poterunt conciliari. Secus aliæ, quas notavimus paulo ante hiſtorias, ejus ponderis ſunt, ut Capitulari illi, vel illius editori fidem poſſent detrahere.

VII. Leonis Oſtienſis loco occurrimus eo ipſo, quod ibi Abbas de Nuce perpendit, potuiſſe ſcilicet eam ſancti Severi Eccleſiam, ſive dicas, Cellam ad ipſum Johannem hæreditario aliquo jure ſpectare, non autem jure Ducatus, quem Neapoli gerebat. Quod

Digitized by Google

Quod ad Pancratium Surrentum relegatum nihil certe ea objectione conficitur . Rex enim ut in aliud Regnum ſubditum ſuum releget, nihil opus eſt , ut extra Regnum ſuum auctoritatem , & dominatum exerceat . Pancratius ſiquidem ille Neapoli fortaſſe a Duce expulſus Surrentum extra dominationis Neapolitanæ Reipublicæ confinia ſe recepit .

# CAPUT X.

*Surrentinos quoque cum ſua claſſe Neapolitanis in confœderatione contra Saracenos inita ſe adjunxiſſe conjicitur .*

I. COmpertum ſane omnibus eſt, Regis ad exemplum ſubditorum mores componi; id in Neapolitana civitate patuit, primo Sergio Neapolitanorum Duce , ſive Magiſtro militum , ut illum appellat Anaſtaſius Bibliothecarius . Quum enim vir frugi , ac pius is eſſet , ſub ipſo Neapolitani Religionem quam maxime coluerunt, & Chriſti Vicario addicti hujus præceptis geſſerunt morem , ac reverentiam præſtiterunt S. Leoni IV. id temporis regnanti , Pontifici quidem vitæ integritate , nitoreque præclariſſimo , qui ad eam dignitatem aſcendit anno 847. , in Occidente Lothario imperante , in Oriente vero Michaële III.

II. Furebant ea tempeſtate Saraceni , qui potiſ-

Digitized by Google

potiſſimam Hiſpaniarum partem armis ſubegerant, Africanas oras tenebant, occuparant Siciliam, Italiamque ferme univerſam præcipue ulteriorem diris invaſionibus vaſtabant, depopulabanturque, & Romanam ditionem pluries appetiverunt; quamobrem ſanctus Leo de muniendis, cingendiſque muris ſanctorum Petri, & Pauli Baſilicis cogitavit, quod dum adornaret, eccam novam Saracenorum incurſionem, qui valida inſtructa claſſe urbi imminentes, aliiſque vicinis civitatibus Romanorum animos turbarunt, deterrueruntque. Quod quum ad aures Neapolitanorum devenit, nulla interjecta mora naves ſuas multo armato milite complent, & Amalphitanos, Cajetanoſque ſibi aſciſcentes ſocios Tiberina oſtia verſus ſolvunt; ubi Romanis litoribus appulerunt, Cæſarius claſſis Dux unus ex quatuor Sergj filiis, quos Erchempertus enumerat, a Leone accitus cum aliquot inſignioribus commilitonibus Romanam civitatem adit, & ipſum Pontificem in Palatio Lateranenſi conveniunt, ad ejuſque pedes provoluti animum Leonis, qui jam in ſuſpicionem de illorum claſſe devenerat, levant. Neapolitanorum enim, ſociorumque conſilium exponunt, idque unum in animo Neapolitanæ plebis, confœderatorumque eſſe affirmant, tueri ſcilicet Romanam Eccleſiam ab Saracenorum infeſtatione, qui jam Africa moverant, Romæque per Sardiniam populabundi prænavigantes imminebant.

Teſt. Leon. Oſtié. in Chron. Caſſ. l. 1. cap. 27., & Anaſtaſ. Biblioth.

Ab hoc S. Leone IV. Civitas Leonina appellata ea pars Urbis, quam ultra Tiberim muris munivit, eamque Urbanus VIII. in ampliorem formā redegit.

III. Hi-

III. Hilari, pluſquam dici poteſt, animo ſanctus Pontifex Ducis, aliorumque pietatem demiratus fidem dictis adhibuit, atque iiſdem, aliiſque ſuis militibus circumſeptus Roma Oſtiam petit, quo ubi pervenit, ſacrum ſolenniter fecit, pios commilitones ſacra Synaxi reficiens, & Neapolitanos, totamque claſſem oratione, precibuſque ad Deum fuſis confirmans, eorum animos ad hoſtes Chriſtiani nominis aggrediendos, delendoſque excitavit. Qua oratione tanta Neapolitanis confidentia, tantum robur acceſſit, ut in advenientes hoſtes violenter irrumpentes eos diſperſerint, navium eorum partim merſis, partim captis. Integram vero Neapolitanis victoriam eripuit oborta tempeſtas, quæ etſi confligentes naves diſjunxit: tamen illas Saracenorum vehementer impellens, atque ad litus trahens, retrahenſque tandem ad ſcopulos, & ad ipſa litora alliſit.

IV. Hiſtoricum hoc factum ab Anaſtaſio Bibliothecario ejuſdem temporis ſcriptore fuſe enarratum omnes ferme Neapolitanæ hiſtoriæ auctores miris laudibus extollunt, & poſtremo Nicolaus Giannettaſius, qui ipſam Neapolitanam hiſtoriam Liviano more adornare conatus eſt ſupra ceteros, orationes ſcilicet Ducum interjiciens politicis conſultationibus inſperſas, & viros, acies, pugnas, invaſiones, certamina minute deſcribens, re altius repetita, & quo pacto Neapolitanus Dux claſſem inſtruxerit, & prælium quo ordine adorſus ſit, enarrans, ſed nonnihil eloquentiæ quod

Giannet. Hiſt Neap. t. 1. lib. 7. pag. 133.

quod poëſim ſapit, in qua ſane excellebat, inſeruit.

Verum is, etſi Surrentinis addictiſſimus eſſet; tamen nihil de illis commemorare auſus eſt: quod nullam apud Anaſtaſium Bibliothecarium mentionem de ipſis invenerit. Nos vero in ſuperiore parte ex Anonymo, qui vitam S. Antonini ſcriptis prodidit, aliiſque firmiſſimis petitis conjecturis palam fecimus, Saracenorum palantes naves Ænariam uſque appuliſſe, unde a Surrentinis penitus dejectæ, & in fugam verſæ, quum barbaræ claſſis miles, navaleſque Socii maximo fuiſſent terrore a quinque Surrentinis Sanctis Patronis concuſſi. Surrentini igitur vel una cum Neapolitanis, Amalphitanis, & Cajetanis navale prælium commiſerunt, vel ſaltem a certamine ultimi victores diſceſſerunt, infeſtiſſimamque illam infidelium claſſem e Crateris oris, Romaniſque litoribus longe victam, deterritamque abegerunt.

At eſt inſuper quod magis mirere, conſtans ſcilicet, ac firma ſemper Surrentinorum pietas. Non enim ſine ſummo animi mœrore legimus, adeo mobiles fuiſſe Neapolitanos, ſive potius eorum Duces, ut qui ſub Sergio I. probo, ac pio Duce anno 847. infeſtiſſimi Saracenis fuerunt, ſub II. anno 875. cum ipſis immanibus infidelibus fœdus iniverint, poſtquam hi fortioribus copiis aucti Tarento, ac Bario potiti ſunt. Socios autem fœderis habuerunt Neapolitani Salernitanos, Amalphitanos, & Cajetanos, qui in ſce-

lere modum omnem exceſſerunt. Litora enim Romana radentes a præda, & internicionibus non abſtinuerunt, atque in eas anguſtias injecerunt Johannem VIII., ut Carolum Lotharj, & Judittæ filium in auxilium ſollicitare coactus fuerit; a quo in Italiam miſſi Lambertus Dux, & Guido frater, quibuſcum Summus Pontifex Neapolim, ac Salernum profectus eſt. Juſſis Romani Pontificis ex tempore paruit Guaiferius Salerni Princeps: renuit vero obfirmato animo deſciſcens Sergius Neapolitanus ita, ut diris tandem illum una cum civitate devoverit Johannes; quo exciti fulmine Neapolitani Ducem ejecerunt, ejuſque fratrem Athanaſium Neapolitanum Præſulem in Ducem quoque elegerunt, qui in fratrem ſæviit, & publico bono, ac Papæ reverentiæ conſuluit.

V. Anaſt. Biblioth. in Vit.

Lætor ſane quam maxime, in ea conſpiratione cum Saracenis Surrentinos non invenire enumeratos, etſi claſſe, & navalibus armis pollerent, ut in ſequenti capite dicemus. Neque putet quiſquam, eos e calamo, vel memoria excidiſſe Leonis Oſtienſis, aut Erchemperti. Quum enim plures dediſſet literas Johannes VIII. ad Neapolitanos, & Cajetanos, ut eos admonendo ab horrendo ſcelere erigeret, nullas ſcripſit Surrentinis a tanta labe immunibus. Hi enim nunquam in amicitiam receperunt eos, qui ſe Dei inimicos, & Chriſtianæ Religionis hoſtes profitebantur infeſtiſſimos.

CA-

# CAPUT XI.

## *De Surrentinorum Navibus.*

I. NOn incongruum heic ducimus, occaſione a ſuperiori capite accepta, nonnihil de re navali Surrentinorum ſubdere; illos nedum vectorias, & annonarias claſſes ad commercium fovendum a principio habuiſſe putandum eſt: verum etiam belligeras ad hoſtes profligandos, præcipue Saracenos, quibuſcum navale prælium non raro committebant; ut liquet ex antiquis monimentis, præcipue vero ex pluries a nobis laudato Anonymo ſancti Antonini biographo. Hinc veriſſimum putamus, quod recens ſcriptor, licet nullo antiquo adhibito teſtimonio, habet, *Campanorum ſcilicet navale fuiſſe ad Sarnum fluvium, ad quem ſitum eſt Surrentum .... cui vicinum Caſtellum Almarium, Stabienſe cognominatum a vicinitate Stabiarum*. Satis enim probavimus, Surrentinos maritimis omnibus Campaniæ oris, præcipue ad Pompejos uſque imperaſſe; quare ibi navale commodum habuiſſe proximum portui veroſimile eſt, modo magna ex parte repletum eſt.

Claud. Barthol. Mariſot. in Orb. Marit. lib. I. c. 34. pag. 136.

II. Diu perquiſivimus, ſi quid de figura eorum navigiorum, quibus Surrentina claſſis conſtabat, inveniremus. Hac de re Marinus Freccia Doletum quiddam peculiare tractaſſe indicat. At apud eum auctorem, qui cum Lazaro Bayſio

eruditiſſimo ſane viro his de rebus contendit, ne jota quidem de navibus Surrentinis eſt, ni credat Freccia de Surrentinis navibus Doletum locutum, quum de Campanis verba fecit, quod credibile quidem eſt. Præter Doletum, ac Bayſium exploravimus etiam Cœlium Rhodiginum, Willebrordum, Snellium Wolfgangum Lazium, & Johannem Scheffotem, alioſque de ea re tractantes, apud quos nihil peculiare ad rem noſtram.

III. Roſtratas eas ſæpe ſæpius vocat elegantiſſimus Pater Giannettaſius, ſed num propriiſſime ignoramus. Roſtratæ enim juxta Tullium, Livium, Plutarchum, alioſque eæ oblongæ naves erant, quæ roſtra ex ære in prora habebant ad belli uſum; unde & æratæ etiam dictæ. Conſule hac ſuper re Bayſium, quare Livius inquit: *Una & octoginta roſtratis navibus, multis præterea minoribus, quæ aut aperte Roſtratæ, aut ſine roſtratis ſpeculatoriæ erant, Delum trajecit*. Ex quo Livj loco animadvertes roſtratarum triplex genus, unum ſcilicet earum navium, quæ conſtratæ, ſive tectæ dicebantur, & cataſtromate, ſive tabulato, vel pluribus tabulatis tectæ erant; quamobrem Tullius de navi, qua vehebatur princeps Cleomenes, inquit: *Erat enim ſola illa navis conſtrata, & ita magna, ut propugnaculo ceteris poſſet eſſe*. Et Cæſar ſcripſit: *Appulſaque ad proximum litus trireme conſtrata*. Et alibi: *Maſſilienſes uſi Domitj conſilio naves longas expedierunt numero 17., quarum erant undecim tectæ*. Ex roſtratis

Laz. Bayſ. pag. 69: Liv. IV. Decad. lib. 6. Cæſar. l. 2. de Bell. Civil., aliique.

Cicer. orat. 7. in Verrem.

Cæſar. 2. De Bell. Civil.

Idem ibidem l. 1.

ſtratis igitur quædam erant tectæ, ut Livius loco citato innuit. Aliæ apertæ, hoc eſt, ſine ſuperiori cataſtromate, ſive tabulato, Pontem nunc dicunt noſtri, prout noſtræ *Galeræ*; ex his vero navibus apertis aliæ æreo roſtro erant, & ad pugnam aptæ: aliquæ vero ſine roſtris, quæ claſſem anteibant, hoſtis, aut maris explorandi gratia; quarum ſigna erant haſtæ tres hamatæ per medias proras actæ, ſingulæ duabus coronis laureis ornatæ eſſe videntur in nummis ab Urſino, & Goltzio editis, & proinde ſpeculatoriæ dicebantur. Neque proinde putes, *Galeras* noſtras recte dici Latine triremes, quadriremes, vel quinqueremes. Eæ enim erant tribus, quatuor, & quinque remorum ordinibus ſecundum altitudinem (ut in multis numiſmatibus antiquis videre eſt) ita diſpoſitæ, ut alternatim ipſi remi, ſcalmique collocarentur.

V. Mariſot. in Orb. Maritim. l. 1. cap. 23.

IV. Liburnicas potius dicendas eſſe crediderim, quemadmodum tales oblongas naves appellaſſe videtur Suetonius Tranquillus: *Utrobique parte Liburnicarum demerſa*. Apertiſſime namque Appianus: Ἐγένοντο λιβυρνοὶ γένος ἕτερον ἰλλυριῶν, οἱ τὸν ἰώνιον, καὶ τὰς νήσους ἐλῄστευον ναυσὶν ὠκείαις τε, καὶ κούφαις; ὅθεν ἔτι νῦν ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα, καὶ ὀξέα δίκροτα λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν. Hoc eſt: *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Jonium mare, & quæ in eo ſunt, inſulas prædabantur celeribus, & levibus navigiis; unde etiam nunc leves, & celeres biremes Romanis Liburnicæ vocantur*. Has biremes dictas putamus ab Appiano,

Sueton. in Auguſt.
Appian. In Illyrico.

piano, non quod duos remorum haberent ordines ſuperiorem, & inferiorem: ſed quod ad utrumque latus ordine remorum munirentur, aliter non leves fuiſſent.

V. Nos igitur bellicas Surrentinas naves ita fuiſſe dicemus, quas perduraſſe uſque putamus ad Manfredi tempora, & ultra, qui tectorio Corradini nomine utriuſque Siciliæ regnis potitus fuit; & adverſus Alexandrum IV. Optimum Romanum Pontificem e nobiliſſima Comitum familia apertas fovit inimicitias. Is enim circa annum 1260. quatuor Liburnicas in Adriaticum impulit, ut maritimas civitates, quæ Papæ partibus, ſive Guelforum adhærebant, acerrime vexarent, vaſtarentque: duas Siculas, quibus imperabat Simon Vintimilia: unam Surrentinam, cujus Præfectus Paulus Donurſus ſtrenuæ virtutis patricius Surrentinus: quartam Puteolanam ab Henrico Spada conſtructam, & Conſtantio populari ſuo traditam, ut ex antiquis monimentis nobiliſſimæ Donurſorum familiæ refert Pater Nicolaus Giannettaſius.

Giannett. Hiſt. Neap. lib. 17. pag. 345.

VI. Ea Donurſorum, ſive, ut barbaris temporibus ſcriptitatum crebriſſime invenimus, Domini Urſonum, nobiliſſima æque, ac antiquiſſima gens in curiam, ſive ſedile, ut dicitur, *Nili* olim Neapoli cooptata multa Religionis ſuæ, ac pietatis monimenta in Neapolitana civitate, præſertim in æde ſancti Dominici extruxit, multa quoque Surrenti, & Guelfis, & Romano Pontifici perpe-

perpetuo addicta fuit. Ex ea plures viri Regularium familiis aſcripti non vulgaria dederunt ſanctimoniæ ſpecimina. At vero quandoque e bono caudice detorti Stolones pullulant, & ex ſaniſſima arbore degeneres fructus; quemadmodum Paulus ille Donurſus, de quo paulo ante meminimus.

VII. Bellicis hiſce oblongis navibus munitos Surrentinos etiam, poſtquam Carolus Andecavenſis Neapolitano Regno potitus eſt, liquet ex veridico Johanne Villano Florentino, qui tradit Rugerium Auriam Prætorem Claſſis Petri Aragoniæ, qui a Græcis excitus Carolum Regno pellere conabatur, inſignem reportaſſe victoriam e conflictu cum Guilielmo Carnuto Prætore claſſis ipſius Andecavenſis, in quo claſſium conflictu Caroli filius captus fuit; quando Surrentini, ne a victore populationem iterum paterentur, & damna, ut jam antea paſſi erant a Marino Capicio Piſanorum claſſis Præfecto, quæ pro Svevis merebat, veriti, Liburnicam cum Legatis miſerunt, qui victori gratularentur. Verum de his reincidet ſermo.

Villan. Hiſt. l. 7. cap. 31.

V. Anton. Panorm. Capac. l. 2. c. 12. in fine. Giannett. Hiſt. Neap. tom. 2. l. 20. pag. 24.

CA-

# CAPUT XII.

## *De Sergio Surrentinorum Conſule.*

Oth. Friſigéſ. l. 16. Libert. Schefard. Marcian. Schot. Luitprand. l. 2. Abb. Veſperg. Sigebert. in Chro.

I. EXactis Imperatoribus ex ſtipite Caroli Magni, quorum poſtremus fuit Ludovicus III., ab nonnullis IV. nuncupatus, Germani Proceres ad eam dignitatem in Othonem Saxoniæ Ducem non ſine magnis Italorum, & Gallorum contentionibus transferendam animum adjecerunt: qui quum ſenio confectus eſſet, oblatum maximum honorem magnificentiſſime recuſavit, monuitque, ut Conradum Franconiæ Ducem virum ſtrenuum, reique militaris ſcientiſſimum potius eligerent, quem, non deſunt, qui e progenie Caroli Magni faciunt. Hic Imperium aſſumſit anno 912., obiens dimiſit anno 919. eique ſucceſſit Henricus Saxoniæ Dux, ut ipſemet Conradus moriens electoribus ſuaſerat. Hic, quod venatione plus nimio delectaretur, Auceps cognomento appellatus fuit.

II. Henricum in Imperio excepit Otho I. ab aliis in gratiam avi II. dictus. Hic Othonem filium prius deſciſcentem, deinde emendatum ſocium ſibi in imperio adjunxit, & coronatus eſt a Gregorio V. Græcos cum Saracenis fœderatos acri bello devicit; quare a Nicephoro Phoca pacis ergo Teophaniam filiam uxorem obtinuit, & dotis nomine univerſam, quam in Italia Græci ditio-

ditionem habebant; quamobrem indignati Græci Nicephoro vitam ademere, ſummamque rerum Johanni Tzimiſco detulerunt, qui ſibi Baſilium II. cum fratre Conſtantino Porphyrogeneta juniore, utroſque cognatos ſuos in Imperium aſcivit.

Baſilius, qui nomen Imperatoris obtinebat, contra Othonem II., ſeu III. in Italiam ſecundo advenientem arma geſſit. Othonis exercitus plerumque e Beneventanis, & Capuanis conſtabat, auxilia præbente Landulfo Beneventi Principe. Beneventani autem, quorum magna pars Græco genere erant, in prima confligentes acie Othonem prodiderunt, ac terga vertentes reliquum Germanorum diſſolverunt. Otho clam fugit, & multa paſſus infortunia, vix tandem Romam pervenit, ubi collectis palantium militum reliquiis in Beneventanos proditores acerrime ſæviit.

Scipion. Ammir. in Landolfo ann. 973. aliique.

III. Circa hæc tempora Sergius primus Surrentinæ Reipublicæ Conſulatum gerebat, ut apud vetuſtum Cavenſem Archivum, Capacio teſte, legitur, ubi tempore Baſilj Græci Imperatoris mentio *Marini filj quondam Domini Sergj Forcioris civitatis Surrenti*.

Mutilam rem hanc refert Capacius; non enim ſubdit ſub quo Baſilio mentio hæc de Marino Sergj filio inſeratur, num ſub Baſilio Macedone, qui floruit imperantibus in Occidente Carolo Balbo, & Carolo Craſſo; quare his, aliiſque de cauſſis jamdudum me libido inceſſit perluſtrandi Cavenſe Archivum, quod nunquam ob-

Capac. in hiſt. Neap. lib. 2. de Surrento.tit. Duces,Comites, Pricipes, Præfectl.

tinui curis, infirma valetudine, & fortunæ fluctibus præpeditus, attrituſque. Ab amicis tamen mihi relatum, inter acta Baſilj II. Marinum hunc commemorari.

IV. *Forcioris*, inquit Capacius, *vocem barbaram a ſupremo Magiſtratu non excludo*. Verum bona pace ſolertis hujuſce viri immerito vocem illam inter barbaras amandandam putat, quæ inter Latinas ſono, & ſignificatione fortaſſe locum habet. Siquidem ubi in Evangelio vulgatæ editionis habetur: *Qui vult inter vos eſſe major, ſit ſervus veſter*, in veteri verſione Latina legitur: *Qui vult inter vos eſſe fortior, ſit veſter ultimus*. Ibi de dominatu ſermo eſt, ſenſuſque genuinus, qui vult inter vos dominatum obtinere, humile ſervitium præſtet. Porro ea verſio facta eſt, dum adhuc Latinus ſermo vigeret.

Matth. 10.

In Italica verſione, quam plurimi facit Riccard. Simon. in Critic. Sacr. Nov. Teſtament.

V. Du-Freſne Gloſſ. in Auctores mediæ, & infimæ Latinitatis verbo *Fortia*, vel *Forcia*.

Sergius igitur Forcior Surrenti idem eſt ac Conſul, vel ſupremus Magiſtratus Surrenti.

# CAPUT XIII.

*Rempublicam Surrentinam poſt adventum Nortmannorum conſtitiſſe traditur, ejuſque memoranda quædam recenſentur.*

I. NOrtmannorum ope ulteriorem hanc Italiæ partem in Regnum coaluiſſe nemo ferme eſt, qui ignoret. Verum qua occaſione huc advenerint, ſub quibus Ducibus principio merue-

meruerint, diſſident non parum inter ſe hiſtorici. Nebulo quidam illorum fortaſſe pietatem exoſus, & reverentiam, qua pluries Romano Pontifici ſe ſubdiderunt, etſi aliquando defecerint, uti vagos prædones, infeſtoſque latrunculos objurgat, calumniaturque. Verum ſtrenuos eos fuiſſe viros, & bellica virtute Neuſtriæ potiſſimam partem, nobiliſſimamque ſedem occupaſſe, ut etiam in Anglia, plures ſcriptores memoriæ tradiderunt; ex illuſtribus bibliothecis eorum præclara monimenta aliqua evulgarunt Petrus Pithoeus, & Jacobus Sirmundus, omnia ferme ingenti volumine comprehendit Andrèas Du-Cheſne. Eorumdem in ulteriores haſce Italiæ provincias adventum, præclara facinora, miroſque militares progreſſus ex coævis hiſtoricis, Leone ſcilicet Oſtienſi, Guilielmo Apulo, Guifredo Malaterra, Anna Comnena Alexj Imperatoris filia, Guilielmo Tyri Archiepiſcopo, Cardinali Petro Damiano, Anaſtaſio Bibliothecario expiſcari fas eſt. Ipſos profecto ut corporis robore, magnitudine, ac ſpecie pollentes, ita animo cordatos, juſtos, magnanimos, pios, & ad præclara gerenda bella apprime factos contra egregium illum *Mangonem* animadvertemus, nec ſine peculiari Numinis conſilio, ac providentia ad infideles Saracenos profligandos in Salerni litora appuliſſe, & tanta virtutis ſuæ præbuiſſe ſpecimina.

Henningus Arniſæus in Politic. Commentation.

II. Quum Salerni principatum obtineret Guaimarius, oppidum illud infeſta obſidione cin- Leo Oſtienſ. Hiſt. Caſin. l. 2. c. 37.

Anno 1002.

xerant Saraceni, quando eo appulit navigium quadraginta Nortmannorum manum Jeroſolymis reducem advehens, quô inviſendi cauſſa Chriſti ſepulchri adierant, prout illorum temporum pia conſuetudo ferebat. Centum fuiſſe tradit Orderic. Vital. Hi a Guaimario Principe humaniſſime invitati, atque excepti operam ſuam ultro offerunt; atque arma accipientes, dum deſides, ac ſecuri infideles jacerent in litore, in eos repente irruunt, multaque occidione profligant. Qui vero reliqui fuerunt ex cæde, territi naves conſcendunt, ſibique fuga ſalutem parant.

Orderic. Vital. Uticenſ. Monach. Eccl. Hiſt. l. 3. penes Du-Cheſne.

III. Ad adeo egregium facinus ſtupens Guaimarius mirificas Nortmannis gratias refert, eoſque muneribus, atque æris pondere proſequitur. Quæ omnia illi reſpuentes pro Religione tantum, & Chriſto ſe profitentur arma ſumſiſſe, & certaſſe contra hoſtes, neque unquam ſpe mercedis humanæ horum jaculis ſua corpora impavide objeciſſe: ceterum partæ, Deo opem præſtante, Victoriæ fructum præmio ab hominibus accepto imminui, labefactari, ac prope penitus deperire; proindeque ut Deus, qui vires ad profligandos Chriſti hoſtes, animumque ſuppeditaverat, mercedem quoque impertiretur, unum exoptare. Tantam pietatem, animique robur demirans Guaimarius enixe rogat, ut ſaltem apud ſe remaneant; nam brevi reverſura erat iterum devictorum hoſtium occaſio, qui ſui impotentes, & prædis, rapiniſque intenti Italiæ litora, & præſertim Saler-

Leo Oſtien. in Chron. Caſin. loc. cit.

Scipion. Ammir. Delle Famiglie Nobili Napoletane in Pandolfo di S. Agata Prince'pe di Capua, e di Benevento.

Salernitanum ſatagebant invadere. Id etiam negant ſtrenui victores, cauſſanturque revocationem ad patriam, quam Robertus Nortmanniæ Dux, conjunctique ſollicitabant: ſpondent nihilominus vel reverſuros, vel alios miſſuros commilitones, ſe vero, licet tam procul itinere abituri eſſent, animo tamen ne vel minimum quidem ab adeo humano Principe diſceſſuros. Eos Guaimarius concordi voto licet invitus dimittit, comiteſque adiungit Legatos ad Robertum Nortmanniæ Ducem rogatum, ut ex ſua tam valida, ſtrenuaque gente tantum copiarum mittat, quantum ad penitus fundendam Saracenorum manum, & retundendam ejuſmodi prædonum contumaciam ſatis videretur; atque ad infringendam ſimul Græcorum perfidiam, utroſque Chriſti hoſtes, illos, quod nunquam Chriſtianæ militiæ nomen dederant: hos vero, quod per hæreſim a Catholica fide defecerant. Mittit inſuper ad illicium dona præſertim Citrinorum, Aperynorum, aliorumque ſuaviſſimorum fructuum, qui collecti tardius matureſcunt, ne per longum iter marceſcerent, ut Cœli Itali, & præcipue Salernitani clementiam, & ſoli ubertatem patefacerent.

Claud. Bouffiers Dell' Origine del Reame di Sicilia, e di Napoli lib. 1. in princ. &c.

IV. Guaimarj voto felix exitus reſpondit. Plures enim e Nortmanna gente, indulgente Roberto, in Italiam trajiciunt, alii clam e patria ſecedunt; hos inter Oſmundus Drengot nobiliſſimus vir, qui ob occidionem Guilielmi Repoſtelli unius e familiaribus Roberti e patria profugus, atque

Scipio Ammiratus loc. cit. non Drengot, ſed Giſelbertum Batterieum appellat. V. Orderic. Vital. lib. 3.

Villel. Celul. Gemmaticen. Monach. hiſt. Nortm. lib. 7. cap. 30.

atque errans cum filiis, nepotibus, amicisque quamplurimis iter celerius maturavit. Sequuntur alii ex Nortmannis urbibus, qui ad hanc ulteriorem Italiam pervenerunt. Rem aliter refert Guilielmus Apulienſis, qui omiſſo Nortmannorum ad Guaimarium Salernitanum adventu ita de illis cecinit:

*Horum nonnulli Gargani culmina montis*
*Conſcendere: tibi, Michaël Archangele, voti*
*Debita ſolventes. Ibi quemdam conſpicientes*
*More virum Græco veſtitum nomine Melum &c.*

Quocum inito conſilio, alios ipſi accivere e Nortmannia commilitones. Utraque narratio tam Oſtienſis, quam Apulienſis hyperboles quid, & exaggerationis redolet.

Illud equidem certum, quod ſub diverſis Langobardis Ducibus, ac Toparchis meruerunt. Præ ceteris ſummam militarem laudem adepti ſunt, qui ſub celebri Melo, & Datto Barienſibus, licet infeliciſſimum ſortitis exitum, contra Græcos pugnarunt. Alii ſub Guaimario, cujus ditioni Amalphiam, Surrentum noſtrum, & magnam Calabriæ partem acquiſiverunt.

V. Heic vero, ne error, & confuſio in hiſtoriam incidat, animadvertendum, Guaimarium hunc, qui longe, lateque Nortmannorum ope dominium ſuum ampliavit, filium ejus eſſe, qui primus Nortmannos humaniſſime invitavit, quique major dicitur in Chronico Caſinenſi, alibi vero Guaimarius III., ut diſcriminetur a filio,

Chron. Caſin. loc. cit.

qui

qui minor, & IV. audit: quos non diſtinguit, accuratus alioqui hiſtoricus Gallus.

Claud.Bouff.In in hiſt.Neap.Gallice ſcripta. V.Camill. Peregr. Hiſt. Princ.Lang. In Stemat. Princ. Salern.

Uterque Guaimarius fratres habuit Guidones nomine; ex poſteriori autem prognatus Guaimarius *Giſuni* dominus, qui abdicata ſeculari pompa in Monaſterio Cavenſi vitam vixit ſub annum 1091., diciturque filius Guidonis Ducis Surrenti.

V. Chron.Cavenſ. apud Ughell. Ital. Sacr.tom.7.In Archiep. Salern. tit. de Vir.illuſtr.Cœnob.Cavenſ.

VI. Vixit Guaimarius III. ſedente in Petri ſolio Benedicto VIII., qui & IX. etiam dicitur, imperante ſcilicet Henrico, qui & Claudus audit, Ticini autem regnante adhuc Arduino Rege Langobardorum, qui quum pluries Regnum amiſiſſet, recuperaſſetque, ludentis fortunæ vices exoſus, ad æternam, immutabilemque felicitatem animum convertit, interque Monachos tres annos humilem vitam duxit.

Guaimario III. Guaimarius IV. filius ſucceſſit. Ille modeſtior, ac temperantior: impotens hic ſui, in quem ingens ampliandi dominatus libido inceſſerat; quamobrem Conradi II. Henrici filj, qui in Imperium Occidentale ſucceſſerat, gratiam ſibi ſummo ſtudio conciliavit. Sub annum 1035.

VII. Obtinebat id temporis Capuæ principatum Pandulfus Teanenſis ei traditum ab ſancto Henrico Imperatore. Sed, depulſo inde Pandulfo ſanctæ Agathæ dicto, & in Germaniam captivo miſſo ob conjurationem cum Græcis initam, Guaimarius ejuſdem cognatus ab Imperatore Conrado ipſi Pandulfo & libertatem obtinuit,

& reſti-

Digitized by Google

& reſtitutionem dominj. Sed quoniam pravis inquinatus moribus, ad omnia ſcelera proclivis erat, Caſinenſibus Monachis, viciniſque Toparchis inſenſiſſimus hoſtis extitit; quapropter Imperialium militum agminibus obſeſſus, plura pro obſidionis ſolutione cum ipſo Imperatore pactus eſt, ſed nulla ſervata fide a promiſſis reſilire non metuit; quamobrem iterum Imperatoris juſſu expoliatus fuit Capuano principatu, qui Guaimario Salernitano datus eſt. Pandulfus in anguſtias obſidionis injectus clam Neapolim ad Sergium Ducem confugit anno 1035.

Leo Oſtiē. Chron. l. 2. c. 65.

VIII. Guaimarius, dum duo Pandulfi inter ſe dimicarent, adverſus Amalphitanos ſibi finitimos Nortmanno milite fretus arma movet pro libertate tuenda (quæ cauſſa animum, ac robur dimicantibus addidit.) At licet ſtrenue pugnarent Amalphitani: ferocibus tamen, robuſtiſſimiſque Nortmannis obſiſtere minime vaiuerunt. Erant quippe hi, ut fertur, corpore proceriſſimi, validiſſimi lacertis, vigore floreſcentes, ac bello aſſueti, & omnibus, apud quos merebant, fideliſſimi.

IX. Poſt captam Amalphiam audacior effectus, inſolentiorque Guaimarius Surrentum invaſit, imparatamque prælio pubem facile oppreſſit. Nullus enim delectus factus fuerat a Conſule, tale nihil metuente, quippe qui juris naturalis, & gentis ſatis conſcius bello ſine cauſſa numquam cieri, ac laceſſi timebat. Omnes enim, qui dominandi ſtudio bella movent, culpam aliquam

Guaimarius Surrentum occupat.

quam in hoſtes refundunt. Tullius Hoſtilius Rex Romanorum tertius corrupto ingenio, & feroci animo undequaque materiam excitandi belli perquirens, & colorem, in Albanos primum arma movit, quod agreſtes Albani ex Romano agro prædas agerent. Verumtamen non prius in illos impetum fecit, quam per Legatos querelas intenderet, bellumque denuntiaret. Perſimilis erat Guaimario cauſſa, ſive quæſitus color irrumpendi in Amalphitanos, nulla autem in Surrentinos; a quibus injuriam minime paſſi Salernitani, irruendi occaſio fuit Guaimario: nihilominus ipſos Surrentinos imparatos prædonis inſtar aggreditur, ſibique ſubjicit. Ea vero feraciſſima ditione adauctus nomen Ducis Surrentini ſibi retinens Guidoni fratri dominium tradit.

Liv. lib. 1.

X. Præ tam aperta proditione, immanique ſcelere Dei, hominumque iram in ſe, ultionemque ſollicitat. Ab Imperatore Henrico II. Conradi II. filio Capuæ principatu poſt novem annos privatus eſt, ut nos putamus, etſi non deſint, qui velint eo ſponte ſe abdicaſſe. Incredibile enim videtur, hominem dominandi cupidum, qui longe, lateque, ut ſuam ditionem extenderet, aperta injuria aliena invaſit, ea, quam retinebat, & adeo inſigni Toparchia, qualis erat Capuana, ultro voluiſſe ſe abdicare.

Leo Oſtien. lib. 2. c. 80.
Et in Chron. Salern. cui parum fidei præſtat Peregrin.

Immo potius, ut ditionem ſuam augeret, hydropicorum inſtar ſiti ampliori regni potiundi ciebatur; & quo plus imperandi in eum inceſſe-

 bat

bat cupiditas, tanto trucior, facinoroſiorque evadebat; ejus faſtum, immanitatem, immenſamque dominandi libidinem exoſi tam Amalphitani poſtremo ejus dominio adjuncti, quam Salernitani jamdiu ejus Imperium ſubſtinentes icta conjuratione, dum in litore ſpatiaretur, impetum in eum faciunt, ac triginta ſex vulneribus confodientes feroci animæ e corpore evolanti hiantes aditus patefaciunt; nec tamen conjurati conceptum odium remittunt, ad ludibrium exanime cadaver fune alligatum per civitatis pomœrium raptant, circumferuntque, inhumatumque canibus, feriſque devorandum relinquunt.

Leo Oſtien. in Chron. Caſin. l.2. cap.85.

Tam atrox Principis viri facta occidio anno, ut colligunt docti viri, 1051. adeo Guidonem occiſi fratrem permovit, ut extemplo collectis validiſſimis Nortmannorum copiis mortem, injuriaſque fratri illatas ultus ſit, amiſſamque Salerni ditionem, Amalphitanamque recuperaverit, quam Giſulpho Guaimarj filio tradidit, qui ut patre trucior, ita nec multo felicior fuit. Ejus autem ſævitiam in ſubjectos populos neque Robertus Guiſcardus, neque Riccardus Comes Averſanus, neque ipſe ſanctus Gregorius VII. Romanus Pontifex emollire potuerunt.

Camill. Pereg. Hiſt. Princ. Lang. in Stemmat. Princ. Salern.

Abb. Angel. de Nuc. in Not. ad Cap. Oſtienſ.

V. Goffred. Materr. l.3. cap.2. & Guilielm. Apul. lib.3.

XI. Eo vero tempore, quo Guido Nortmannorum ope in Amalphitanos, ac Salernitanos arma movit, Surrentinos ſe in libertatem aſſeruiſſe, omnino credendum eſt. Siquidem anno 1071, quo celeberrimum Caſinenſe templum ab Alexandro II.

dro II. ſolenniſſimo ritu inauguratum fuit, illuc præter decem Archiepiſcopos, & Epiſcopos quatuor, convenere multi Proceres, atque Magnates, de quibus hi præcipue enumerantur a Leone Oſtienſi *Richardus Princeps Capuanus, Giſulphus Princeps Salernitanus, Landulphus Princeps Beneventanus, Sergius Dux Neapolitanus, Sergiuſque Dux Surrentinus*. Poſtremum hunc contra fidem hiſtoriæ deleverat Matthæus Lauretus Abbas ſancti Salvatoris, qui Chronicon Caſinenſe cum notis edidit; proinde eum merito exagitat, carpitque Angelus de Nuce fidelior, accuratiorque ejuſdem Chronici editor, atque enarrator ex fide utriuſque Codicis, qui ſervantur in Archivo Caſinenſi, & ex edito Venetiis ante editionem Laureti: *Cur autem*, ſubdit hic auctor, *Sergium Surrentinum hinc expunxerit Lauretus, tam ignotum mihi eſt, quam nota ejus inconſulta quidquid proſcribendi licentia*.

Archiepiſcopus Capuanus I. Salernitanus II. Neapolitanus III. Surrentinus IV. Amalphitanus V. Sipontinus VI. Tranenſis VII. Aceruntinus VIII. Ydrontinus IX. Oreatinus X.

Angel. de Nuc. in Not. ad laud. Cap. Not. E.

XII. Quum Giſulphus igitur Salerno imperabat, non Guido ejus patruus, ſed Sergius Surrentinam Rempublicam tenebat, qui in monimentis Notariorum a Scipione Ammirato proditis, & a Carolo Borello Dux, & Conſul indigitatur, ut exinde firmiter teneas, non jure dominj, ſucceſſionis, & hæreditatis, ſed electione Rempublicam Surrentinam adminiſtraſſe.

V. Inſtrumenta Notariorum relata a Scipione Ammirato *Delle Famiglie Nobili Napoletane nella Famiglia Maſtrogiudice*. pag. 167. & Carol. Borell. in Vindic. Neap. Nobilit.

XIII. Neque lectorem turbet vox *Ducis*, & *Principis Surrentini*, quæ in antiquis monimentis quandoque occurrit. Poſtquam enim Longinus Ravennæ Exarchus edictum vulgavit, ut quiſque civi-

Referuntur pleraque a Capac. Hiſt. Neap. lib. 2. ubi de Surrent. tit. De Illuſtr. Vir.

civitatis Rector *Ducis* nomine nuncuparetur, liberarum etiam civitatum, quæ Romanorum more moderabantur, adminiſtratores prius *Conſules*, *Duces* exinde promiſcue dici cœpere, ut adhuc retinent inclytæ Reſpublicæ Veneta, & Januenſis.

Hæc parum advertens Scipio Ammiratus gravis alioqui hiſtoricus prolapſus eſt in errorem, ut putaret, poſt Guidonem perpetuo Surrentinam regionem in Toparchiam abiiſſe, in cujus ſententiam pedibus ivit pluries laudatus Borellus: qui in eo tamen diſſident inter ſe, quod prior putet, Sergium illum Magiſtrojudicum familiam procreaſſe, hic autem Serſalium; fortaſſe utrumque verum; quum enim ea tempeſtate cognomina viri inclyti non aſſumerent, qui deinde ex Sergio deſcenderunt poſteri, in duas familias abjerunt, quarum altera Magiſtrojudicum, Serſalium altera ſibi cognomen aſcivit. Sed falſiſſimum omnino eſt, celebrem illum Sergium in Surrentina nobiliſſima provincia diſpoticum dominium obtinuiſſe. Neque dubitationi illi Ammirati: num Guidonis filius fuerit hic Sergius, locum fieri poſſe exiſtimo. Si enim Dux, & Princeps hæreditatis nomine extitiſſet, nequaquam Conſul etiam fuiſſet nuncupatus.

XIV. Nos vero tenemus, præcipuum illum fuiſſe ex Surrentinis Patriciis, & tempore necis Guaimarj, dum Guido in ulciſcendis fratris injuriis totus erat, ad concionem convocatis ex ordine,

dine,

dine, & populo concivibus ita fuiſſe allocutum: „ Ergone, ampliſſimi Patres, præclariſſima pubes, patiemur nos Guidonis, aut Giſulphi ex „ Langobardorum progenie immani jugo colla „ ſubjicere, nos, inquam, antiquiſſima Cadmi „ ſoboles, qui nec ſtrenuiſſimorum Romanorum „ armis ſubigi, nec ad Græcas leges abigendas „ adigi potuimus; quique a Syllæ, aliorumque „ immanitate erepti, nihil damni neque a Gothis, neque a ceteris barbaris nationibus unquam ſubſtinuimus? Quidne animum fortaſſe „ ferum, rabidumque ferimus, ut in alios truci „ ferocia propter prædæ libidinem irruamus? „ Homines ſumus, humani nihil a nobis alienum putemus. Cadmi genus nacti literas potius ab eo, ac muſas, quam horrentia Martis „ arma tractare edocti ſumus. At non proinde „ deſides, inerteſque ignavorum more ſervitutem decet ſubire. Defenſionem ipſa nos natura „ edocuit; edocuit & Evangelica, quam profitemur, lex. Annuere noſtris conatibus non ſemel „ Divi Tutelares, atque ab invaſionibus nos miris „ oſtentis tutati ſunt. Excutiamus igitur omnem „ ex animo pavorem, atque ſocordiam, adverſus „ injuſtos hoſtes juſta arma capiamus; pugnemus pro libertate, pro patria, pro liberis, pro „ juſtitia; laudibus extollemur a confœderatis noſtris Neapolitanis, e quibus præſidium expectare fas eſt, præcipue quod inter eos verſetur Pandulfus e Capua dejectus Princeps, Guai-

„ marj,

Digitized by Google

„ marj, ac Giſulphi adverſarius. Sed quod po-
„ tiſſimum, ſuperi nobis rite pugnantibus præ-
„ ſentiſſimi aſtabunt. Ita & juſtam ſuorum
„ iram acuere, atque excitare fortitudinem, ut
„ potiri libertate poſſint, non prætermittent, ut
„ & patriæ conſulatum communi voto promove-
„ re. Ita de rebus adeo antiquis nulla peculiari memoria traditis conjici poſſe videtur.

XV. Hic eſt ille Sergius, quem adeo ſolenni conſecrationi Caſinenſis Eccleſiæ cum aliis egregiis Magnatibus interfuiſſe legimus apud Leonem Oſtienſem, qui, ut majori, qua poſſet, expreſſione frequentiam, ac multitudinem eorum, qui convenerant, ſignificaret, inquit: *Diverſæque conditionis virorum, ac mulierum ad diem condictam multitudo confluxit, ut ſtellarum fere Cœli, quam illorum omnium numeroſitatem cuilibet fuerit æſtimare facilius*. Qua quidem emphaſi extenuari potius orationem putavit Oſtienſis Commentator Abbas de Nuce animadvertens *vulgata* uſum fuiſſe *locutione* auctorem *ipſius ſacræ paginæ*: *Numera ſtellas, ſi potes*. Subditque, etſi innumerabiles videantur, re vera non modo numerari ab Aſtronomis: ſed nec multo plura ſupra mille reperiri.

Angel. de Nuc. ad l. 3. Chron. Caſin. cap. 3. Not. 6. Geneſ. 15.

XVI. Sed cenſor iſte potius animadverſione dignus eſt, tamquam rerum Aſtronomicarum imperitus. Siquidem Aſteriſmos, & ſidera illa comprehenſa enumerant Aſtronomi, & quæ nudis oculis conſpiciuntur, ſecernuntque eorum magnitudi-

tudines a prima uſque ad ſextam, præter alias nebuloſas, eaſque, quæ non perpetuo apparent, fortaſſe quod ſurſum motu ſuo elatæ ex oculis ſe ſubducant. Verum non omnes Aſtronomi in conſpicuarum ſtellarum numeratione conveniunt ob varios ſitus, unde illas conſpiciunt, aliiſque de cauſſis; illarum tabulas proinde conficientes multum diſſident ita, ut alii 1022., alii 1025., alii 1392., alii 1600., nonnulli 1709., neque deeſt, qui uſque ad 12000. ſe numeraſſe nudis oculis fateatur.

V. Johan. Bapt. Ricciol. in Almageſt t. 1. l. 6. c. 6.

XVII. At multo plures, & ferme infinitas eſſe, & plane innumerabiles Teleſcopio compertum eſt. Solam Galaxiam, ſive lacteam viam Cœli eodem Teleſcopio detectum eſt congeriem, & coagmentationem eſſe minutiſſimarum ſtellarum, ut Democritus olim opinabatur, & inter noſtros Italos Dantes Aligerius egregius poëta Florentinus putaverat.

V. Galil. in Numer. Sider. Kepler. lib. De Nov. Stell. cap. 21.

Democrit. apud Plutarch. De Placit. Philoſoph. Dante nel Convivio.

Itaque vere, non autem per hyperbolem, ut quidam autumarunt, ſacra Scriptura dixerat: *Numera ſtellas, ſi potes*; & egregie Leo Oſtienſis ea phraſi, atque energia dicendi uſus eſt. Unde minus recta nota illa Commentatoris. In hæc excurrendi veniam nobiſmetipſis damus, quum non hiſtoriam, ſed Alvearium potius ex hiſtoria conficimus.

XVIII. Eadem quoque licentia non pigebit lapſum heic detegere, atque oſcitantiam recentioris hiſtorici, etſi nobis dudum, nempe quum vive-

Digitized by Google

Nicol. Giannet. Hiſt. Neap. lib. 10. Decad. 1. pag. 112.

viveret, amiciſſimi, bono lectoris, ne ſcilicet & ipſe heic labatur. De Deſiderio enim, quem Præfectum Caſinenſis Cœnobj appellat, verba faciens Giannettaſius ſubdit: *Qui Pontifex inde creatus, & Urbanus II. dictus eſt*. At Deſiderius ille, qui Cœnobium Caſinenſe quarto inſtauraverat, Baſilicamque ornarat magnificentiſſime, atque ad eamdem inaugurandam Alexandrum II. enixis precibus adduxerat Caſinum, ut alibi attigimus, ubi creatus ſubinde fuit Pontifex vel invitus, non equidem Urbani II., ſed Victoris III. nomen aſſumſit, eumque Platina veneno ſublatum fuiſſe juxta vulgarem famam ſuſpicatur; diſcrepant vero alii.

V. Angel. De Nuce in Not. ad Chron. Caſin. l. 3. cap. 73.

# CAPUT XIV.

*Reſpublica Surrentina diu poſt Sergium libertatem ſervavit.*

I. GIſulphus, poſtquam in Salerni principatum, ut dicebamus, hæreditario Guaimarj patris nomine a Guidone patruo reſtitutus fuit ope Nortmannorum, Amalphiam vi a patre aggreſſam, occupatamque minime retinuiſſe videtur ex iis, quæ refert Guafredus Malaterra monachus Benedictinus gravis ſane ſui ævi hiſtoricus, qui ſuaſione Rugerj Regis Siciliæ Roberti Guiſcardi fratris, atque ipſius Rugerj res geſtas quatuor breviſſimis libris memoriæ commendavit.

Guafred. Malaterr. l. 3.

Opus

Opus poſtea deperditum, ſed inde adinventum a diligentiſſimo Hieronymo Surita typis editum fuit, & doctiſſimo Antonio Auguſtino Terraconenſi Antiſtiti nuncupatum. De repertitiis libris tamquam de effoſſo, erutoque theſauro exultat incomparabilis Baronius. Ex eo igitur, quæ modo de Amalphitanis dicenda erunt, mutuabimur.

II. Rem non bene exploratam confundere videtur recens Gallus hiſtoricus; fert enim Amalphitanos poſt occiſum Guaimarium aſperum Giſulphi exhorreſcentes imperium, repetitis adverſus hunc precibus Roberti Nortmanni Apuliæ, Calabriæque Ducis præſidium imploraſſe, quod haud veroſimile videtur; erat namque Giſulphus Roberto arctiſſima affinitate conjunctus, cui Tegelgutam ſororem (neptem per errorem facit Tarcagnota) matrimonio copulaverat. Ab eo igitur adverſus cognatum auxilium ſperare, ut vanum, ita temerarium fuiſſet.

P. Bouffiers Hiſt. Dell' Origine del Regno di Sicilia, e di Napoli l. 3.

Malat. l. 3. c. 1. Sicelgiaram appellat Ammiratus in Sicardo Capuæ Principe.

III. Verum quidem eſt, acerrimas ſimultates, occultaſque contra Giſulphum finitimum Salerni Principem inimicitias foviſſe Amalphitanos, atque effræna ampliandæ ditionis libidine percitum fuiſſe Robertum. Is unus erat e celeberrimis duodecim filiis Tancredis Altavillæ in Neuſtria, ſeu Nortmannia, quæ Neuſtriæ pars erat, Domini, primuſque illorum ſeptem, quos e Fraſenda ſecunda uxore procreaverat: ſtrenuus ſane vir, impiger, ſolers, ac ſagax; unde Viſcardi nomen, quod eorum lingua aſtutum ſonat, illi factum,

Tarcagn. Hiſt. del Mondo part. 2. l. 10. pag. 268. edit. Venet. 1562.

Malat. lib. 1. Caraf. Hiſt. di Napoli.

ſed longe, lateque dominandi numquam ſatur, arma aliquando movit etiam in ipſum ſummum Eccleſiæ Paſtorem Leonem IX., quem poſtquam captivum fecit, Romam omnibus honorum, reverentiæque ſignificationibus detulit.

Platin. in vit. Leon. IX. & in Nicol. II. aliique.

IV. A Nicolao II. diris devotus fuit, quod Eccleſiæ ditiones occupaverat; Trojamque Apuliæ ſibi adjunxerat. Sed anathemate deinde liberatus, poſtquam ſatis Eccleſiæ fecit, & Beneventum, ac Trojam reſtituit, Apuliæ, & Calabriæ (quas duas provincias ſub Eccleſiæ Romanæ ditione tunc extitiſſe auctor eſt Platina) Dux, & Pontificj exercitus vexillarius, atque anteſignanus creatus fuit. Is poſt ademtum cum fratre Rogerio Saracenis Panormo Calabriam repetit, ubi arma in Giſulphum movendi occaſiones aucupabatur. Tandem ut voti compos fieret, S. Epheniam, Arecumque exiles, & modo exciſos Calabriæ ulterioris pagos prope Nicaſtrum invadit, quos ſui juris eſſe contendebat Giſulphus, ut & totam Calabriæ oram uſque ad portum, quem *Fici* dicebant. Confiniorum igitur turbatio, quæ a condito uſque orbe diſſentionum ubique occaſio extitit, jurgiorum inter cognatos cauſſa fuit.

Tarcagn. Hiſt. del Mondo p. 2. l. 10. anno 1058.

Malat. lib. 3.

V. At dexter, verſutuſque Robertus metuens, ne a Riccardo Averſæ Comite, & Capuæ Principe Giſulphus auxilia conſequeretur, illum, cui infenſiſſimus pridem erat, ſibi animo reconciliavit, multiſque pactionibus ad obſidendum Saler-

lernum cum plurimis copiis accivit. Amalphitanos quoque Salernitani Principis oſores, a quo patris ultionem metuebant, incendit, fœdere cum iis icto, perpetuaque ſponſa protectione in eorum civitatem militare præſidium immittit. Itaque ſollicitati potius ad bellum Amalphitani, quam incentores fuerunt.

Altera ex parte Bacalardus Humfredi filius a patruo Roberto Apuliæ ditionibus privatus; quod fratres ſuperſtites, non filios pactione ſuccedere contenderet, nullam ulciſcendi in patruum occaſionem prætermittebat, ultroque ſe cum Hermanno fratre Giſulpho comitem offert, ſuam, amicorumque ſpondet opem, ſtimulosque irato Principi addit.

Caraf. Hiſt. di Napoli l.3. pag. 51.

VI. Ut novus hic armorum motus ad ſancti Gregorj VII. aures non multo pridem ad ſancti Petri Cathedram evecti pervenit, ſive quod in Giſulphum propenſior eſſet, a quo plura ſervitia acceperat Eccleſia; ſive quod creſcentem in dies Nortmannorum potentiam neque e re Eccleſiæ Romanæ, neque Imperj Occidentalis duceret, illico literas dedit ad Deſiderium Eccleſiæ Caſinenſis Abbatem, ut Salernum adiret, curaretque modis omnibus, Giſulphum, ac Robertum in pacem adducere. Impiger Deſiderius mandata exequens Salernum convolat, ubi Riccardum ſibi amicitia conjunctiſſimum deprehendens jam obſidionem illius civitatis adornantem tantum efficit, ut illum tandem ad concionem cum Giſul-

Leo Oſtien. in Chron. Caſin. l.3. cap. 45.
V. etiam Scipion. Ammir. in Riccardo primo Capuæ Principe.
S. Gregor. VII. epiſt. l.8. in Concil. ult. edit. t. 10.

pho pertrahat; deinde legationem ſibi a ſummo Pontifice demandatam aperit, pacemque ſuadet ab ipſo Romano Hierarcha imperatam. Propterea periculum ex tot armorum fœdere imminens exaggerat, atque ob oculos ponit Roberti militarem virtutem cum pari fortuna, ſeu potius divinæ providentiæ diſpoſitione conjunctam, obtemperandum aliquando tempori, neque indecorum quandoque ſummo viro, animi impetum, etſi juſtum, cohibere, ſed in prudentiæ laudem verti: Cum cognato rem agi, & cum eo principe, quocum ſi animum, & conſilium conjungeret, quæ non ſperandæ adverſus Saracenos Chriſti hoſtes victoriæ? Plura addit Deſiderius, ſed incaſſum verba funduntur. Ultores quippe quum ſemel animo vindictam inbiberint, neſciunt modum habere, & in pericula, propriumque excidium præcipites ruunt. Giſulphus itaque in iras magis exardeſcens irritum emittit votum, ſuperoſque teſtes advocat, ſe numquam cum Roberto pacem initurum. Triſtis diſcedit, pace minime obtenta, legatus. Furor arma movet, obſidione vallatur Salernum, atque in dies ita arctius ſtringuntur muri, ut paucos poſt menſes tanta caritate annonæ, omniumque rerum penuria cives laboraverint, ut lacrymas eliciant ab iis, qui eadem apud Leonem Oſtienſem, aut Guilielmum Apulienſem legunt. Bacalardus clam oppidum ſancti Severini aufugit. Giſulphus, qui elato olim erat animo, & ad concordiam deſcendere renuerat, hu-

Oſtien. l. 1.
Apulien. l. 3.

humilis deinde, ac demiſſus quo vellet abeundi ut privatus homo vix facultatem impetravit. Civitas Roberto victori ſe dedit. Rem aliter enarrat Tarcagnota, Salernum ſcilicet honeſtis pactionibus poſt ſeptem menſium obſidionem ſeſe dediſſe. Sed fides danda coævis ſcriptoribus.

VII. Atque hic Langobardorum Salerni principum finis. Infelix ſane Toparchia, digna ſupremis tantum principibus obtemperare, quam ob animi duritiem, ſaniorumque conſiliorum rejectionem amiſit Giſulphus, qui Deſiderio potius, quam Bacalardo debuiſſet auſcultare. Nobiliſſimis deinde traditam Sanſeverinis Principibus Ferdinandus iterum perdidit; quod non Bernardo Taſſo ſui a ſecretis recte conſulenti, ſed Vincentio Martello juvenilia, ac faſtoſa ſuadenti adhæſerit.

Tarcaga. l. cit.

V. Bernard. Taſſ. & Vincét. Martelli Conſultationes.

Inter omnes Salernitanos Principes nullum invenio Tancredem appellatum, qui filium Amaſiæ enecaverit juxta Johannem Boccacium; quare ut fabellam, ita nomen Principis etiam ex integro effinxiſſe puto.

Boccac. nel Decamer. novell. 40.

VIII. Poſt Salernitanam victoriam Riccardus Averſæ Comes, & Capuæ Princeps in Neapolim arma movit, quæ civitas miro oſtento a ſancto Januario tutelari ſuo propugnata fuit. Robertus vero Viſcardus Bacalardum perſecutus eſt; non enim Beneventum oppugnavit, ut fert Tarcagnota.

Oſtienſ. loc. cit.

Idem l. 3. c. 45.
Tarcagn. tom. 1. part. 2. lib. 11.

CA-

# CAPUT XV.

*Adverſus eos diſſeritur, qui Surrentinam Rempublicam a Roberto Viſcardo occupatam fuiſſe tradunt.*

I. POſt captam a Roberto Viſcardo Salernitanam civitatem, Amalphiam quoque, & Surrentum in ejus ditionem veniſſe falſo ſuſpicantur nonnulli, ex quibuſdam antiquis ſchedis pervetuſti Archivi Cavenſis, in quibus legitur: *Robertus Nortmannorum, Salernitanorum, Amalphitanorum, Surrentinorum, Apulienſium, Calabrienſium, atque Siculorum Dux*.

Ex Cæſar. Capac. Hiſt. Neap. l.2. c. 12. ubi De Surren.tit.Duces, Conſules, Principes, Præfecti, pag. 135.

Verum quum ex Malaterra veridico, & coævo hiſtorico ſuperiori capite palam fecerimus, Amalphitanos minime ſe dediſſe Viſcardo, ut recentiores quidam hiſtorici commenti ſunt, ſed tantum ei adhæſiſſe, & auxiliaria arma præbuiſſe contra Giſulphum, Amalphia victorem illum Nortmannum nequidquam potitum eſſe conſtat: multominus Surrentina Republica a Salerno remotiori.

II. Præterea ex Tabulariorum documentis, quæ profert ſolertiſſimus Scipio Ammiratus, liquet, Barnabam filium Sergj Conſulis, qui cum Giſulpho Salernitano ſolenni ſacræ Ædis Caſinenſis inaugurationi interfuit, Præfecturam Surrentinæ civitatis geſſiſſe, deinde Sergium Barnabæ filium, tum Johannem filium Sergj, poſtea Riccardum ex Johanne natum, ac demum Matthæum ex Riccardo.

Appreſſo Scipione Ammirato nella famiglia Maſtrogiudice ritrovaſi iſtrum. dell' anno 1257. del tenor ſeguente: *Ego Matthaeus de Maſtrogiudice Præfectus filius q. Domini Riccardi Præfecti, filj q. Domini Johannis Præfecti*

Si-

Simile documentum legi apud Carolum Borellum, de quo ſuperius verba feci. Sed Sergj poſteros Serſales vocat. Utrumque verum eſſe poteſt. Sergius enim, cui nullum cognomen juxta ejus tempeſtatis conſuetudinem invenitur additum, plures fortaſſe edidit filios qui ad tempus Surrentinæ civitatis Præfectura functi ſunt, vel plures habuit nepotes, ex quibus qui nati fuerunt poſteri, varia ſibi tractu temporis cognomina aſciverunt.

*olim Maſtrogiudicis, filj q. Domini Sergj Præfecti, filj q. Domini Barnabæ Præfecti, qui filius fuit q. Domini Sergj olim glorioſi Conſulis, & Ducis hujus Surrentinæ civitatis.*
Carol. Borell. In Vind. Neap. Nobil.

III. Porro Præfecti nomine ſine alio adjuncto Rectorem provinciæ notari recte animadvertit Gutherius. Alii vero epitheto aliquo diſtinguebantur. Maxima omnium dignitas in officiis Domus Auguſtæ fuit Præfectura Prætorio, quam ab Auguſto primum invectam eſſe communiſſime ferunt. Quocirca laudatus Gutherius convicioſe ridet Wolfgangum Lazium, quod ſcripſerit Præfectum Prætorio regnantibus priſcis Regibus Romanorum originem traxiſſe, *quo tempore judicio, & Militibus præfuerunt*, Quæ redargutio fortaſſe non recipietur ab exacte perpendentibus verba Pomponj Jureconſulti, ubi Dictatorum originem repetens inquit: *Et his Dictatoribus Magiſtri equitum jungebantur, ſic, quomodo Regibus Tribuni Celerum, quod officium fere tale erat, quale hodie Præfectorum Prætorio*. Itaque nomen innovatum ab Auguſto, officium cum Tribunis Celerum commune, quem Magiſtratum Regum tempore cœpiſſe palam eſt.

Jacob: Guther. De offic. Dom. Aug. l. 2. c. 7.

Wolfgan. Laz. l. 2. Comm. Reipubl. Rom.

L. 2. De Orig. Jur. §. Populo deinde aucto.

IV. Nunc

IV. Nunc ad Rempublicam Surrentinam remeantes illud de ea multo potius aſſerendum, quod de monimentis nobiliſſimæ Florentinæ urbis querebatur nitidiſſimus ſui ævi ſcriptor, perpauca ſcilicet ex illis, & involuta reperiri. Quis enim aucupetur ejus Conſules, & num annui, an ad vitam duraverint? Præfecti vero officium quot annos permanſerit? Præſertim quum ejus memoriæ, quæ in civitatis, & Archiepiſcopali Archivo cuſtodiebantur, conflagrarint, miſereque perierint in lugubri illa clade anni 1558.; quum ingens Africanarum Liburnicarum claſſis ſub Prætore *Pialy Baſſano* univerſam Surrentinam ditionem, ut alibi attigimus, depopulata eſt, ac pene funditus devaſtavit. Ego hac in re opinor, Surrentinam Rempublicam origine, ut diximus, Græcam Græcis moribus, & politia principio floruiſſe, & fortaſſe inſtar Athenienſis Reipublicæ habuiſſe Archontes, interque Archontes Hemegonem, vel Prytanem: poſtquam vero in municipium Romanum verſa eſt, ut ſuperius probavimus, ad mores Romanæ Reipublicæ, ac ritus acceſſiſſe, atque inſtituiſſe magiſtratus, ut ex marmoreis inſcriptionibus ſupra allatis liquet, Conſuleſque temporarios habuiſſe, tum Gotthica, vel Langobarda inſtituta induiſſe, Conſulemque habuiſſe perpetuum. Quod aperte elici datur ex præclaro monimento penes Archivum Caverſe ſervato, & a doctis Antiquariis eruto hujuſmodi: *Nos Sergius, & Sergius, hoc eſt, Genitor, &, Filius*

Gio: Villan. Hiſt. di Firenze in principio: *Della noſtra Città poche, e non ordinate memorie ſi ritrovano.*

V. Iohan. Meurſ. De Archont.

Scipion. Ammir. Delle Famiglie

*lius Dei gratia ambo Duces, & Conſules Surrentinæ civitatis, offerimus vobis Domino Manſo Abbati nomine veſtri Monaſterj ſanctæ Mariæ de Paſitano omne Dacium de omnibus puppis, de navigiis, & lontris parvis, vel magnis ipſius ſancti veſtri Monaſterj, vel de ipſis hominibus ipſius Monaſterj, qui cum eis navigaverint in toto noſtro Ducatu, ut nullum Datium, nullam angariam, nec perangariam, aut planaticum, vel cenſum nobis dare, aut facere debeant &c.*

NobiliNapoletane nella famiglia Maſtrogiudice. Capac. Hiſt. Neapol. l. 2. tit. Illuſtres viri Surrentini.

V. Breve hoc rudetum plurimam poſtremæ Surrentinæ antiquitatis notitiam exhibet, primo duos extitiſſe ſimul Sergios Conſules, qui, ut ſuperius diximus, tempore Baſilj Porphyrogeniti Conſtantinopolitani Imperatoris floruerunt circa annum 959. præter tertium, qui cum Giſulpho Salernitano Caſinenſis ædis inaugurationi interfuit anno 1071. Michaële Ducha Paropinacio imperante in Oriente, quem poſt ejectum Salerno Giſulphum adhuc in conſulatu permanſiſſe conjecimus.

Deinde ex eodem vetuſto monimento contra Carolum Borellum ſuperius profligatum iterum animadvertes, ſtatueſque, Orientalis Imperatoris nomen edictis ſuis Surrentinum Conſulem minime præpoſuiſſe; in hac enim ſcheda dicitur: *Dei Gratia Conſul.*

VI. Sed præterea eruitur, in ditione Surrentina ſummam auctoritatem Conſules exercuiſſe, vectigalia irrogaſſe, eaque imminuiſſe,

vel deleviſſe, prout Reipublicæ conſulere ducebant. Quod ſi ſecundo Sergio poſteros Præfectos, de quibus mox dicebamus, addes, Reipublicæ conſiſtentiam uſque ad annum 1257. firmiſſime ſtatues.

Qui vero Præfecti in laudato m. ſ. documento nuncupantur, Præfecturii apud nonnullas antiquas, fractaſque Tabellariorum ſchedas ſcribuntur; Præfectorii apud Ulpianum nuncupantur, inferioreſque Conſularibus viris habentur.

L. 1. ff. De Senatorib. *Vir Præfectorius an femina conſulari præferatur.*

VII. Sed quid dicemus ad titulum, quo Robertus Viſcardus Surrentini Ducis nomine inſignitur? Sane faſtus potius, & gloriæ vox fuit; quemadmodum enim dictum eſt, eumdem jactantiæ titulum uſurpaſſe Guaimarium, etſi Guido frater paucos dies dominium retinuerit: ita credendum, Giſulphum Guaimarj filium titulo, non re Surrentinum principem ſe inſcripſiſſe: Robertum vero Viſcardum, devicto Giſulpho, omnes ejus ſibi aſciviſſe titulos; quum re vera ne Amalphitana quidem ditione Salerno proximiore potitus ſit, ut ex Gaufredo Malaterra ſtatutum eſt. Sed quid in Surrentina Republica geſtum ſit in ſequenti tempeſtate, expiſcari ex ejus ætatis hiſtoriis, quoad fieri potuerit, adnitamur.

CA-

# CAPUT XVI.

*Breviter recenſetur poſt obitum Roberti Viſcardi Expeditio, militariſque Crucigerorum apparatus in Terram Sanctam, cui Proceres Nortmanni in noſtra ulteriori Italiæ parte regnantes ſe comites adjunxerunt, Surrentinique plurimi Commilitones.*

I. ROBertus Viſcardus vita exceſſit anno 1080., ut ferunt coævi ſcriptores, diſſidentibus aliis tam circa tempus, quam circa mortis conditionem; quidam enim a Segilgaita uxore propinato veneno necatum fuiſſe credunt paulo poſt ſanctum Gregorium VII., cui in ſancti Petri Cathedra ſuffectus fuit Deſiderius Abbas Caſinenſis, qui a Nicolao II. juxta Platinam, alioſque pridem Cardinalis Oſtienſis creatus fuerat, ac Victoris III. nomen aſſumſit: egregius ſane Pontifex, qui validiſſimam adverſus Saracenos Africanos expeditionem molitus eſt, e quibus inſignis inde victoria reportata fuit. Quumque apud Victorem honorifice verſaretur devictus a Viſcardo Giſulphus, teſte Leone Oſtienſi, hunc quoque in adornata claſſe adverſus Saracenos Chriſti hoſtes pugnaſſe credendum eſt, ac delectum militum pro ea expeditione habitum præcipue in Campaniæ oris, & Surrentinis quammaxime, qui ſuis Liburnicis ferme perpetuum cum illis bellum agitabant.

V. Malat., & Guilielm. Apul.

Order. Vital. Hiſt. Eccl. l. 7. Ugo Falcand. 64.

V. Platin., & Ciaccon., & qui plura deſiderat circa creationem Victoris III. adeat t. 12. Concil. poſtrem. edit. Venet. p. 703.

Leo Oſtien. Chron. Caſin. l. 3. cap. 66.

 II.

II. Victori III. ſucceſſit Urbanus II. egregius ſane Pontifex, & admirandus. Nec quiſquam tanti Principis præclariſſima geſta vel ante, vel poſt Pontificatum patrata pro dignitate recoluerit. Quis enim enarrabit invictam, imperturbatamque animi conſtantiam in profligando hæreſiarcha Guiberto Antipapa? Quis exantlatos labores, ut modum imponeret corruptis Eccleſiaſticorum moribus, (*a*) vel Principum elatos animos temperaret, ut hi cognoſcerent, ſe quoque æterni Paſtoris oves eſſe Petri ſucceſſoribus, & Chriſti Vicariis, ut S. Gregorius VII. innuebat, concreditas? Quis egregias illas diſputationes adverſus Græcos in Synodo Barenſi circa proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, in quibus commilitonem eximium habuit S. Anſelmum Cantuarienſem? Quis itinera pro Eccleſiæ integritate, dignitateque ſervanda, toties ſuſcepta? O quam jucundum eſſet hæc memoria repetere, ſi hic opportunus eſſet locus. Sed eo minus opportunus eſt, quo uberior ſandi materia.

V. Concil. Rom. habit. ann. 1089. Tom. 12. Concil. pag. 778.

(*a*) V. Concil. Trojan. & Concil. Melphitan. ejuſdem anni Concil. Narbó. ann. 1090. præcipue vero Concil. Toloſan. ejuſdem anni, vel 1089. aliaque.

V. præcipue Concil. Placent., & Claramont.

V. Pagium.

III. Verum non adeo alienum erit a noſtro inſtituto, qui geſta Surrentinorum aucupamur circa id temporis, quo Apuliam, Calabriam, aliaſque provincias, quæ in florentiſſimum Regnum deinde coaluerunt, & potiſſimam Campaniæ partem tenebant Nortmanni, ſi aliquid delibemus de celeberrima illa expeditione Urbani II. perſuaſione, dexteritateque adornata pro recuperandis locis Terræ Sanctæ, quo & Nortman-

manni Proceres perrexerunt cum delectu Campanorum militum, ac Surrentinorum, & plurimam in iis victoriis, quæ triſte ſui deſiderium Chriſtifidelibus reliquerunt, partem habuerunt.

IV. Eam expeditionem ſecum diu meditatus fuerat ſanctus Gregorius VII., ſed, ut Salomoni ſacri Templi conſtruendi gloria a Deo reſervata fuit, quod jampridem animo reputaverat David, ita Urbano conceſſum fuit ejuſdem deſiderium explere. De adeo præclara expeditione ab Hiſtoriarum ſcriptoribus, & poëtis conſtante fama Latine, Italiceque celebrata Urbanum in Synodo Placentina anno 1095. coacta primo diſſeruiſſe tradit Aloyſius Maimburgus auctoritate adductus Bertholdi Conſtantienſis ſcriptoris ejus Concilj coævi. Ego tamen in eo nihil tale lego, ut neque in actis Concilj, ſed tantummodo legatos miſiſſe Alexium Comnenum ſeniorem ſubſidium imploratum ab Eccleſia Latina adverſus diras Turcarum, ac Saracenorum in Græcos invaſiones.

Maimburg. Hiſt. Des Croiſades l. 10. pag. 20. edit. 3.

V. Berthold. Conſtant., & Domnizonem, qui eam Synodum carminibus complexus eſt.

Maimburg. Hiſt. Des Croiſades l. 1.

V. Tom. 12. Concil. collect. Venet. pag. 822.

Inter acta vero Synodi inſerta eſt abſolutio Praxedis Imperatricis, & quæ datæ fuerunt induciæ circa Anathema in Philippum Galliæ Regem latum, & Simoniacorum, hæreticorumque damnationes, quæ quindecim canonibus comprehenduntur, quos in Anſelmi Lucenſis celebris canonum collectoris manuſcripto Codice contineri perhibet eximius Baronius, quem tamen modeſte,

Anſel. Lucen. l. 7. Decret.

Baron. ad ann. 1095.

Digitized by Google

V. Luc. Holſt. tom. 12. Concil. pag. 824.

ſte, moderateque carpit Lucas Holſtenius; quod Lucenſis novem annos ante Placentinum Concilium exceſſerat.

V. Ceterum de hac expeditione in Terram Sanctam multum actum eſt in Synodo Claromontana Arverniæ coacta eodem anno, quo illa Placentiæ, ideſt 1095. ut habetur in pluribus mſ. Codicibus. Etſi in eo, quem exhibet Petrus de Marca ex Monaſterio Anianenſi tranſlato in Bibliothecam Colbertinam legatur *anno Dominicæ Incarnationis MXCVI. Indict. IIII. XIIII. Kal. Decembris*. In aliquibus etiam codicibus notatur, celebratam fuiſſe anno MXCIX., quod vix crediderim; confirmatum enim fuit in hac Synodo Placentinum Concilium anno præcedenti celebratum.

Petr. de Marc. In Concord. Sacerd., & Imper. l. 6. c. 31. De Celebri Colbertina Bibliotheca adiLe GranDictionaire de Moreri verbo Colbert.

Potius exiſtimarem plura concilia Provincialia celebrata fuiſſe pro iiſdem Eccleſiæ negotiis, quorum inſcriptiones confuſæ. Illud vero Claromontanum, quod a Bertholdo, & Guilielmo Malesburienſi Generale appellatur, anno 1095. ante menſem Decembris incohatum fuit, & abſolutum inde antequam annus laberetur.

V. Stephan. Baluz. in addit. ad Petr. de Marc. loc. cit.

VI. Canones ejus Synodi integri non reperiuntur; ſed tantum 32. circumferuntur, quorum nonnulli extant in Decreto Gratiani. In 11. Indulgentia pleniſſima conceditur proficiſcentibus in expeditione ad Terram Sanctam.

In Gener. Colleſt. Conoil. edit. Venet. Tom. 12. pag. 830.

In Codice vero Petri de Marca, ubi canones Synodi referuntur, CVIII. habetur: *Tunc*

*etiam*

*etiam expeditio facta eſt, & conſtituta eſt equitum, & Peditum ad Hieruſalem, & alias Aſiæ Eccleſias a Saracenorum poteſtate eruendas, & in eorum bonis pax continua promulgata.*

Duas nervoſas ea in Synodo, piiſſimaſque habuit Pontifex orationes, quarum ſecunda extat in eodem Tomo Conciliorum. In ea diligens eſt, atque evidens in deſcribendis Chriſtianorum ærumnis, vehemenſque in excitandis affectibus, qua dicendi arte ſuo ævo plurimum pollebat Urbanus, teſte Domnizone Presbytero. Hac commotis animis tot, tantique ſacræ militiæ nomen dederunt, ut ingentes copiæ coaluerint, plurimique magnam pecuniæ vim contulerint. Atque omnis adſtans concio tam ingenti clamore Summi Pontificis dictis annuit, ut undequaque intonuerint ipſi campi, ſtrepitumque reddentes eas voces ſonuerint, quibus concordi animo omnes conclamaverant, ſcilicet: *Dieu le veut*, *Dieu le veut*.

Domniz. In vit. Mathild. barbaro carmine, prout ætas illa ferebat, ſcripta.

VII. Petrus Diaconus Caſinenſis Chronici continuator integro capite hiſtoriam hujuſce expeditionis perſtringens tradit, vociferatum, ac repetitum fuiſſe: *Deus lo volt*, *Deus lo volt*: ſtatutumque, ut in itinere milites pia hæc dicta ingeminarent: ita adhibita ab hoc ſcriptore ſimplicitatis gratia prima dictione conſuetæ Latinitatis, ſecunda Italica, tertia antiquata, qua uſus Plautus, aliique priſci Latini ſcriptores.

V. Robert. Monach. l. 1. Beldrich. Archiep. Guiliel. Tyr. & Guiliel. Malesb.

Quod ſi, puriſſime lector, incomtis hiſce, horriduliſque Petri Diaconi verbis fortaſſe offenderis,

deris, aures equidem tuas demulcere potueris facundiſſimi Petri Angeli Bargæi carminibus, clamorem illum, qui Urbani II. ſermonem conſecutus eſt, ita referentis:

Petr. Angel. Barg. Syriad. l. 2.

*Vix ea fatus erat, procerum quum cœtus ovantem*
*Suſtulit exultans clamorem ad ſidera, qualem,*
*Nubibus abruptis, dare ſæpe tonitrua ſuerunt.*
*Poſcentes bellum, ſeque in diuturna vetantes*
*Tempora perplexis differri ambagibus, idque*
*Unum omnes ore exclamant, unum ore frequentant.*
*Vult Deus, hoc fieri bellum, jubet arma moveri*
*Hæc Deus, ex ſpecubus reſonans reſpondet ab imis*
*Vox eadem.*

Quum omnes illius ætatis ſcriptores ingentem numerum referant Procerum, & commilitonum, qui tam pio bello nomen dederunt, & Cruce rubra in dextera ſcapula tamquam teſſera ſacræ militiæ ſeſe inſigniverunt, libet heic ipſius Pontificis epiſtolam ad Alexium Comnenum Imperatorem Conſtantinopolitanum datam excribere:

In poſtrem. edit. Côcil. Venet. t. 12. epiſt. 16. col. 731.

VIII. *Urbanus II. Romanus Pontifex Alexio Imperatori Conſtantinopolitano &c.*

*Quum ſtatutum fuiſſet ad Clarummontem Arverniæ, & communibus votis bellum adverſus Saracenos gereretur, tanta hominum multitudo Cruce ſignata eſt, ut trecenta hominum millia cenſa fuerint. Ducum*

*cum autem fortiſſimorum tantus ardor, ut de recuperanda Jeroſolyma multum ſperare debeamus. Primus omnium Petrus Eremita innumerabilibus ſe ducem præbuit, cui Godefredus, Euſtachius, & Balduinus fratres Balionj comites ſe addiderunt; majores etiam copias paraverunt hinc Podienſis Epiſcopus belli Dux, & Raymundus ſancti Ægidj comes, inde Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, & Robertus Nortmanniæ, & alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Carnuti comites. Quid dicam de Boamundo ipſo, qui ingenti animi magnitudine iis ſe comitem adjunxit cum ſeptem millibus delectæ juventutis Italicæ, relicta fratri omnium rerum cura, quocum diu bello contenderat? Ad hos belli maximos apparatus unum illud in primis eſt neceſſarium, ut tuo præſidio, commeatuque tantæ copiæ juventur. Quare abs te peto majorem in modum, ut quibuſcumque rebus poteris, juſtiſſimo bello, glorioſoque faveas. Illud autem, tametſi non dubitem abs te curatum iri: volui tamen te per litteras noſtras ſcire, id mihi, & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ jucundiſſimum fore. Vale. Romæ &c.*

In qua epiſtola primo memoratur Petrus Eremita, qui præcipuus ſacri belli incentor fuit, natus *Samarobrinæ* primaria Picardiæ urbe, ut omnes conveniunt; etſi non deſit (*a*) qui illum in Hiſpaniis natum eſſe tradat. Hunc pridem militiæ operam dediſſe memoriæ proditum eſt, tum ſolitariam, atque aſceticam vitam excoluiſſe, perinde Jeroſolymam demigraſſe, & Galilæa, univerſaque Syria

(*a*) Johan. Boniſic. Soc. Jeſ. lib. 2. Hiſt. Virgin. ex teſtim. Abb. Rodenſ. in Chron. fert, Hiſpanum fuiſſe, atque ex familia S. Benedicti V. Abb. de Nuc. in Not. ad Chron. Caſin. l. 4. c. 11. lit. E.

ria peragrata ad Simeonem Jeroſolymitanum remeaſſe, quocum aliquantiſper verſatus, de immani jugo, quo a barbaris Chriſtifideles premebantur, accepit; qua re maxime commotus literas ad Urbanum II. commiſerationum, & obteſtationum plenas dedit, ut Latinorum animos ad pium bellum ſuſcipiendum acueret. Tantas fidelium calamitates miſertus Summus Pontifex, nulla mora, miſſo prius ad Chriſtianos Principes ipſomet Eremita cum commendatitiis, impiger tantum opus aggreditur, feliciſſimiſque auſpiciis perfecit.

IX. Tanti Eremitæ famam, ac egregia facta plus æquo imminuere, atque extenuare allaborat Maimburgus; propterea quod vix in Hungariam ejus copiæ in tres diviſæ claſſes cum perveniſſent, in prædas, ac rapinas effuſæ, indulgente, vel animante Petro ipſo, ita incolarum furorem provocarunt, ac tantum in ſe eorum excitarunt impetum, ut fuſæ, ac palantes in ſilvas ſe recipere, ac latebras, atque inter immanes feras ab hominibus impetitæ ſalutem quærere adactæ fuerint. Verum memoria excidit Maimburgo horrenda Græcorum in Latinos proditio, & Alexj Imperatoris inſitum odium, ac turbulentiſſima occulta molimina, quæ pio Eremitæ in ſuſpicionem minime ceciderant, qui potius auxilia ſperabat recepturos eos milites, qui publicam cauſſam contra communes hoſtes agebant. Quid igitur mirum, ſi detecta exinde perfidi ſimulatoris fraude, & deprehenſo animo in Romanum Pontifi-

Maimburg. Hiſt. des Croiſades liv. I.

tificem contumaci, a quo ſumma acceperat beneficia, in eum tamquam in communis utilitatis hoſtem agendum putarit Petrus, atque indulgentiam fecerit ſuis copiis, ut ubicumque poſſent per illius ditionem ſibi victum pararent. Verum hæc minus ad rem noſtram faciunt.

X. Sed quod minime omittendum eſt, ex præfata Urbani Pontificis epiſtola colligitur, plurimos ex Italis ſacræ expeditioni ſe adjunxiſſe, præcipue ſtrenuos Nortmannos, qui in ultimis hiſce Italis provinciis victricia arma gerebant, inter quos Boëmundus Roberti Viſcardi filius major natu, qui contra Rogerium germanum fratrem præſidio Rogerj Boſſi multo ardore pugnabat. Is quippe pietatis, & veræ gloriæ ſtimulis incenſus, quum frequentem militum Ultramontanorum Cruce rubra in dextera ſcapula ſignatorum multitudinem in Orientem confluere videret, mutato conſilio, ſacra arma capeſſere, & in Syriam illorum exemplo conſtituit proficiſci, habito delectu XII. millium Italorum, ut vulgaris eſt fama, quæ vires acquirit eundo. Sed fides danda potius allatæ Urbani epiſtolæ VII. millia fuiſſe tradenti.

Giannett. Hiſt. Neap. Dec. 1. l. 10. pag. 232.

XI. Heic vero mirari ſubit, quei tam graviter labi potuerit Camillus Peregrinius ſolertiſſimus alioqui Criticus, nec imperitus Chronologus, dum animadvertit, a Torquato Taſſo poëtica potius licentia, quam hiſtorica veritate effingi Tancredum octigentorum equitum Campanorum

Peregr. Hiſt. Langob. in caſtigar. ad Anonym. Caſinen.

Taſſ. Geruſalemme liberata cant. 2.

*Gli ottocento a cavallo, a cui fu ſcorta,*
*Laſciar le ſpiagge di Campagna amene,*



rum

*Pompa maggior de la natura, e i colli, Che vagheggia il Tirren, fertili, e molli.*

rum ductorem; quod ea tempeſtate Langobardi Principes adhuc Capua dominarentur, ſuoque duce regeretur Neapolis; quapropter nec Boëmundo, nec Tancredo erat poteſtas ulla habendi in Campania delectus. In quem errorem patriæ amore, ut puto, allectus incidit, ratus fortaſſe, diuturniorem Langobardorum dominationem Capuanis honorificentius ceſſiſſe. At vero ecquis noſtratum hiſtoriarum cognitione vel leviter tinctus ignorat, Richardum Nortmannum Averſæ Comitem, Landulpho principe bis devicto, Capua potitum fuiſſe, cujus *inveſtituram*, ut inquiunt, a Nicolao Papa II. obtinuit, ut per idem tempus Robertus Viſcardus Ducatus Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ, præſtito ab eiſdem Romanæ Eccleſiæ fidelitatis ſacramento, atque obligatione tributi ſingulis annis pendendi, *duodecim* ſcilicet *denarios* pro ſingulis quibuſcumque bovum jugis, ut abunde refert Leo Oſtienſis.

Oſtien. In Chron. Caſin. l. 3. c. 16.

V. Scipion. Ammirat. Nelle Famiglie Nobili Napoletane in Riccardo Principe di Capua XIII.

XII. Conſtat igitur, nuſquam Taſſum hiſtorici partes exactius, quam heic expleviſſe, & Richardum Nortmannum nedum Capua, ſed etiam, ut inquit laudatus Oſtienſis, *infra tres menſes* Campania ferme tota potitum fuiſſe, Neapolim quoque vallo ſtrinxiſſe, quam miro ſane oſtento ſanctus Januarius Civitatis protector liberavit. Mortuo enim in ipſa obſidione Richardo, Jordanus filius illam diſſolvit, qui Capuam, Teanum, ceteraſque Campaniæ regiones, exceptis Neapoli, ac Surrento, retinuit.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc accedit quod memoratus Petrus Diaconus ſubdit, Rogerium ſcilicet Boſſum in Trinacriam triſtem remeaſſe, quod ſelectiſſima exercitus ſui pubes Boëmundi militiæ nomen ultro dediſſent, pluresque alii Campaniæ Toparchis conjuncti, inter quos *Tancredus Marchiſj filius* eximius apud Taſſum heros, & Richardus, cui Achillis Homerici partes ipſemet Taſſus tribuit, mutato Richardi in Rinaldum nomine grandius, pinguiuſque ſonantem. Is fuit Boëmundi frater patruelis natus e Guilielmo, qui agnomen *Braccio di ferro* ſua ſibi virtute aſcivit. Petr. Diac. lib. 4. Chró. Caſin. c. 11.

XIII. Egregios alios Boëmundi commilitones memoria excidiſſe queritur idem auctor; Doleo & ego ſchedas quaſdam amiſiſſe, in quibus plures Surrentini annotabantur, qui ultro ſub Boëmundo meruerunt.

Utinam parilis aliquando ardor, & pietatis zelus Chriſtianorum Principum corda pervadat, neque amplius inſuperabiles in ampliando Chriſti regno ſibi ob oculos difficultates ponant! Quandoquidem non tam res noſtra in Terra illa Sancta recuperanda agitur, quam illius, qui ſua omnipotentia facit *prava in directa, & aſpera in vias planas*. O quam gloriam, & quæ ſane præmia a ſummo rerum omnium conditore, & Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui ea loca ſua præſentia cohoneſtare dignatus eſt, recepturi eſſent, qui tantum opus aggrederentur! Utinam daretur, antequam extremum mihi fatum oculos claudat,

tan-

tantum cœptum ſi non manu, ac viribus, quibus jam defæcatum graves me premunt anni, ſaltem lacrymis, precibuſque juvare, ac proſequi.

XIV. Porro ut obſtacula quoadfieri poſſet ab ea expeditione ineunda prudentiſſimus Urbanus II. removeret, plures de *Treuga* (ut tunc temporis dicebatur, *inducias* Latine verteres, ut animadvertit Grotius) & de *Pace* canones inſtaurandos eſſe cenſuit, alioſque addendos. *De Treuga*, & *Pace* ſervanda etiam ante Synodum Claromontanam ſollicitus fuit optimus hic Pontifex, ut in Synodo Trojæ coacta, ubi duo concilia celebraſſe putant Baronius, Binnius, aliique, unum diſertiſſime probant Philippus Labbeus, & Stephanus Baluzius: verum enixius in Concilio Claromontis, quod etſi integrum non ſuperſit: plura tamen ejuſdem exempla proferuntur a Petro de Marca, aliiſque, ubi *can.* 8. pax inter milites, & pedites ad Palæſtinam profectos uſque ad eorum reditum ſervanda injungitur.

Grot. De Jur. Bell. & Pac. c. 21. lib. 3.

XV. Quid vero hujus *Pacis*, & *Treugæ* nomine veniat, cujus titulus extat in primo Decretalium libro, non bene exploratum eſt apud antiquos Canoniſtas; immo neque ab ipſo doctiſſimo Baronio recte perceptos eſſe putat Petrus de Marca, qui tradit, effractis Fori a Romanis præfinitis legibus, atque deperditis, barbaros irrepſiſſe mores, & per Europam graſſatum fuiſſe abuſum, ut ipſi per ſeſe litigantes *Faidas*, ut dicebant, *diffidationibus*, hoc eſt, pri-

Marc. in Concord. l. 4. c. 14.

privatis duellis definirent; cui turpiſſimæ ſane morum corruptelæ obſiſtere ſacra Concilia, & Laici principes etſi ſategiſſent: tamen ſtatim & unico imperio minime evelli poſſe animadverterunt; quemadmodum ruentes equos, & rhedam jamjam everſuros non unica retinaculorum compreſſione cohibere poteſt etiamſi ſcitus ſit auriga, ſed ſenſim compeſcere, ac refrænare; ita Concilia, & Laici principes trucem illam corruptelam paulatim reprimendam eſſe duxerunt peculiaria quædam ſtatuentes tempora, quibus privatam pacem violare nefas eſſet: tum contra omnes violatores judicium Epiſcopis, & pœnas infligendi relinquentes auctoritatem; cum etiam contra deſides in eo negotio civitatum rectores, qui in harum legum obſervantiam pro virili minime invigilarent, ut habetur præcipue in Synodo coacta Juliolonæi, nunc *Honfleur* dicti, ſedente ſancto Gregorio Papa VII. anno æræ communis 1080. præſente Guilielmo Angliæ Rege, & Nortmanniæ Duce.

V. Roger. De Hoveden. in Ann. par. 2. in Henric. II.

In t. 12. Concil. edit. Venet. col. 653.

XVI. Heic libenter concedo, quæ de *Treuga Domini* præfinita a ſacris canonibus præcipue ab iis, qui nobis ſuperſunt ex Concilio Claromontano (non enim extant omnes) narrant, de induciis ſcilicet privatis plerumque intelligi debere, non de publicis. Sed nihil eſt quod de ea obſervatione adeo ſe jactet doctiſſimus alioqui Præſul Petrus de Marca; quum nemo ferme eruditorum ſit, quem lateat, in judiciis jure Langobardo-

Concil. Claromont. can. 32. reliqui.

dorum admiſſas fuiſſe purgationes, quæ vulgares dicuntur in V. Decretalium libro, deductas, ut plerique putant, ex lege Moſis, ubi *adulterj*, non vero *ſtupri*, ut dicit Cujacius, inſimulatis mulieribus ſacrificium Zelotypiæ afferri jubetur, & amariſſimas aquas imprecationibus, ac maledictis a Sacerdote offuſas propinandas tradi: quam legem cum aliis cæremonialibus omnibus deletam eſſe monet ſanctus Thomas, aliique paſſim Theologi.

Numer. c.5. Jacob. Cujac. ad l. 11. De Feud. tit. 1. §. ſi autem.

S. Thomas 2.2. quæſt. 95. art. 8. ad tert., & 3. p. quæſt. 8. art. 3. Cujac. ibidem.

XVII. Tria purgationum genera invexere leges Langobardorum, ignis ſcilicet, Aquæ, & Singularis certaminis, ſive μονομαχίας, quod duellionem appellant. Hoc etſi improbum, & ferinum Luitprandus Langobardorum Rex exiſtimaverit: vetare nihilominus minime potuiſſe ob ſuæ gentis conſuetudinem, ingenue fatetur. Idem confirmavit Imperator Fridericus, diuque duravit, etſi improbatum ſacris canonibus; quinimmo & Anglorum, ac Nortmannorum conſtitutionibus ad proprium honorem, & dignitatem tuendam extenſum, ut ex Paride de Puteo liquet, & ex Mutio Juſtinopolitano. Efferos hoſce mores delere conata ſunt, ut dicebam, Concilia, ad quæ id negotium maxime pertinere pii quique Principes dignoverunt.

L. 13. Lang. De Hom. lib. 60.

Pat. de Put. De Re Militar. Muzio Giuſtinopolitano Nelle Riſpoſte Cavaleſche al Marcheſe del Vaſto.

XVIII. A Conciliis omnes purgationes vulgares facile abolitæ; purgationes quoque Canonicæ prohibitæ, unica illa per jusjurandum tantum relicta, quam temperavit Benedictus XIII., juſſitque



Digitized by Google

reciperetur a reis in criminum inquiſitionibus. Canonicæ vero ideo ſublatæ; quod multæ in eas ſuperſtitiones irrepſiſſent, præcipue in purgationem per *Crucem*, ut demonſtrat Jeſuita Gretſerius. Purgationem vero per ſingulare certamen evellere difficilius fuit; quapropter toties repetiti, & innovati Canones De *Pace*, & *Treuga*.

Gretſer. De Cruc. l. 2.

V. Emanuel. Gonzalez. tit. De Purgat. Can. & tit. De Purgat. Vulg.

V. Del rio l. 4. Diſqu. Magic. c. 4. q. 5. ſect. 2.

Illud heic contra Marcam adjiciendum, *Treugam* nedum privatis certaminibus, ſed publicis etiam bellis injunctam quandoque fuiſſe ab Epiſcopis, ut videre eſt in tribus Conciliis a Stephano Baluzio eidem adjectis. In Synodo quippe Tulugienſi incerti temporis prohibent Epiſcopi tempore *Adventus*, vel *Quadrageſimæ caſtrum, vel munitionem ædificare &c.* Et in Concilio Narbonenſi habito anno 754. hæc jubent Patres: *Quicumque vero, appropinquante Quadrageſimæ tempore, ſive Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, nec non & Adventus Domini, caſtrum, vel munitionem conſtruere voluerit, non illi facere hoc liceat &c.* In fragmentis autem Actuum Concilj apud ſanctum Ægidium *can.* 3. habetur: *Militibus autem majoribus, vel minoribus hoc præcipimus, ut ab hodie uſque in Nativitatem ſancti Johannis nullus arma ferre præſumat quacumque de cauſſa, niſi ſui ſolutione Epiſcopi.*

Alciat. l. De ſingul. certam. Boſquet. in Not. ad Innoc. III. lib. 2. regeſt. 14. alioſque.

Baluz. Addit. ad Marca De Concord. Sacerd. & Imper. l. 4. c. 14.

Plura igitur horum exemplo in Concilio Trojano, ac Placentino circa arma, pacem, & treugam ſtatuenda cenſuit Urbanus II., quæ firmavit in Synodo Claromontis; atque omnia

Can. 6.

amplexi fuerunt pii fideles ab Evangelio edocti nihil potius a Servatore noſtro ſui gregis Paſtoribus demandatum, quam pacem, & caritatem fovere. Et in veteri lege ſummum Sacerdotem conſulendum ſancitum eſt ad bella movenda; quod & ſolenne fuit Romanis, aliiſque Gentilibus.

V. De Marc. ibid. cap. 15. Non ita vero pacifice de eodem negotio recepta a Philippo Galliæ Rege juſſa Bonifacj VIII.

# CAPUT XVII.

*De Roberto Patricio Surrentino Capuæ Principe, ejuſque geſtis pro Romana Eccleſia.*

I. OMnis illa, quam Urbanus II. adhibuit providentiam, ſolertiam, prudentiamque, ut pacatus regeretur Chriſtianus orbis, dum in hoſtes Chriſti inferebatur bellum, non adeo efficax fuit, quin inter refractarios fideles privata, publicaque diſſidia vel recrudeſcerent, vel denuo pullulaſcerent. *Faidæ*, *& diffidatio* (deflendæ potius, an irridendæ voces?) tamdiu durarunt, ut Canones adverſus eas ineptias Alexander III. in Concilio III. Lateranenſi innovandos eſſe duxerit. Inter Principes bella illa luctuoſiora exarſerunt, quæ Henricus V. nonnullis IV. dictus in Paſchalem II. pro inſtitutionibus ad Eccleſiaſtica beneficia *Inveſtituris* dictis, & pro reditibus Eccleſiarum vacantium exercuit; tantumque excitarunt odj inter Germanum militem, Romanoſque,

que, dum Imperialis diadematis accipiendi cauſſa Romæ degeret Imperator, ut Tibridis undæ cruore manare viſæ ſint: quumque Romanæ viæ propter expugnatam Nicæam, captam Antiochiam, & Hieruſalem a Saracenorum jugo liberatam, in cujus Regem pius Goffredus electus fuerat, hilari carmine reboare debuiſſent, triſti bellicorum lituorum clangore auditæ ſunt obſtrepere; & Eccleſiaſtici auri ſacra fames, quæ viros ad arma, ac bella excivit, ſcriptorum manus uſque ad noſtram ætatem, doctoſque viros in matrem eorum Eccleſiam calamis armavit.

II. Non inquiete prorſus circa id temporis in noſtræ ulterioris Italiæ finibus res agebantur. Rogerio Boſſo Siciliæ Comite extincto anno 1101. Simon filius ex Adelaſia uxore natus in ditionibus ſucceſſit, cui brevi temporis curriculo fato cedenti Rogerius frater natu minor ſuffectus, vir grandi quidem animo, & ad maxima quæque factus. Hunc Paſchali II., & Gelaſio II. ſapientiſſimo Pontifici animo addictiſſimum fuiſſe ferunt: deſciviſſe vero a Calliſto II., qui Guilielmo Rogerj Burſæ filio, & Viſcardi nepoti Apuliæ Ducatum confirmaverat, & Eccleſiæ Vexilliferum inſtituerat. Tanta potitus dignitate Guilielmus ſtatuit, quemadmodum ajunt plerique hiſtorici, Conſtantinopolim proficiſci, ut Imperatoris Alexj filiam uxorem duceret ſibi pluries a patre promiſſam. Verum a Rogerio II. Siciliæ Comite viro dominandi cupido ditionibus ſuis

Fazellus Hiſt. Decad. 1. l. 7. Caraf. Hiſt. di Napoli l. 3. p. 54.

bellum metuens, Apuliam, & Calabriam ſummi Pontificis Calliſti II. patrocinio commendavit. Vix diſceſſerat Guilielmus, quum Rogerius Siculus moræ impatiens valido exercitu utraſque Provincias Papæ commendatas invadit, & Patruelis fratris filio rapit. Summus Pontifex bellum ſollicite in illum parat, ac Beneventum cum plurium Cardinalium comitatu commigrat; indeque ad Rogerium, dum Nicotari arcem obſidebat, Hugonem Cardinalem Legatum mittit, qui belli injuriam, in filium patruelis proditionem, & inobedientiam in S. Sedem, contumaciamque præ oculis ponat; præcipiatque, ut ab incepto deſiſtat: ni pareat, bellum indicat. Obfirmato animo contumax Rogerius monita ſpernit, quinimmo & bellum urget. Pontifex interea febre correptus Romam repetere coactus eſt. Guilielmus a Græcis deceptus ſine uxore, amiſſiſque ampliſſimis Toparchiis miſerrimus Salernum apud ejus loci principem ſe recepit, ubi paucos poſt dies vitam cum morte commutavit. Hanc vero non hiſtoriam, ſed ſpecioſam fabellam eſſe contendit Auguſtinus Inveges graviſſimis fretus auctoribus, firmiſſimiſque conjecturis; ſtatuitque Guilielmum Salerni in ſuo principatu obiiſſe ſine liberis, cui ſucceſſit Rogerius II. Comes Siciliæ. Re vera enim de Guilielmo ſuperius ab hiſtoricis indicata fide laborant ex Chronologia, nominibus, & cognatione Guilielmi III. Ducis Apuliæ, quæ omnia ne ipſe quidem Inveges animadvertit.

Sigon. De Regn. Ital. l. 10. Fazell. Decad. 2. l. 7. c. 4. Tarcagn. Hiſtor. del Mondo p. 2. l. 12. anno 1122.

Inveges Hiſt. di Palerm. p. 3. Ann. di Chriſto 1123. 1124. & 1125. Caraſ. pag. 55.

III. Il-

**III.** Illud tamen certum eſt, Rogerium Comitem II. Siciliæ Guilielmi Ducatum Apuliæ, Calabriæque ditiones cum Capuæ, & Salerni principatibus obtinuiſſe. Adeo amplis ditionibus, multoque adauctus auro Comitis Siciliæ, Ducíſque Apuliæ, Calabriæque titulis haud contentus ad Regium nomen, dignitatemque anhelat; cœtu proinde multorum Epiſcoporum, ac Toparcharum anno reparatæ ſalutis 1129. Idibus Maj coacto Panormi, quô plures Neapolitani quoque Magnates convenerunt, Regiam coronam ſuſcepit, & Siciliæ, totiuſque Italiæ intolerabili faſtu ſe Regem proclamari juſſit, quum ne tertiam quidem totius Italiæ partem occupaſſet. Exhorruit, eo audito nuntio, Calliſtus, bellumque in illum parabat, quum morte correptus legitimum ſucceſſorem habuit Honorium II., qui eadem deceſſoris conſilia in Rogèrium animo volutabat: abſtinuit nihilominus a bellicis motibus, ne magis, magiſque turbarentur res Italiæ, donec anno ſalutis 1130., eo mortalitatem exuente, ſtatim creatus fuit Summus Pontifex Innocentius II.

Inveges Hiſt. di Palermo p.3. ano. di Criſto 1123., 1124. & 1125. Caraf. pag.55.

V. Alexand. Abb. Teleſin. Monaſter., & P. Pag. ad ann. Chriſti 1127.

**IV.** Implicant ex noſtratibus hiſtoricis aliqui Innocentj geſta, feruntque, hunc deceſſorum ſuorum conſiliis inſiſtentem illico poſt ſuam electionem, comparato Romanorum exercitu, in Rogerium moviſſe, qui in Caſini planitie prope ſanctum Germanum caſtra quum metatus fuiſſet, Pontificis adventum metuens alio demigravit prope Gallucium pagum, ſed metu omni libe-

Gio: Tarcagn. dell'Hiſt.del Mõdo par. 2. lib. 12. pag.290.a terg.

Caraf. l.3.pag.55. a terg.

liberatus fuit a Guilielmo filio Tarenti principe. Is namque rei bellicæ peritiſſimus fortiſſimis ſuis Nortmannis in collectitium, rudemque Romanum exercitum effuſus in fugam vertit; atque inſuper ipſum Summum Pontificem una cum novem Cardinalibus captivum ad patrem duxiſſe ferunt, qui Summum Pontificem hujus veneratione, ac religione tactus pronus adoravit, eodemque honorifice excepto facultatem fecit, quocumque vellet, abeundi. Tanto devictus beneficio Innocentius Rogerium Regem inſtituiſſe fertur, ac Ducem in Apuliæ, & Calabriæ regionibus confirmaſſe, & Neapolitanam quoque donaſſe civitatem, quam eouſque Græco imperio ſubjectam fuiſſe tradit Carafa, cujus opinionem adverſus Borellum ſupra refellimus.

Dum hæc agerentur, & ubi infelix Romanorum armorum exitus auditus eſt Romæ, tunc Petrum Petri Leonis filium, Anacleti nomine indito, in Pontificem elegiſſe Cardinales perhibent.

V. Sed turbant ſane hiſtorici iſti rerum ordinem, tenebriſque veritatem conantur offundere. Non enim adhuc evulgata Honorj morte, Gregorius e *Papareſchorum*, ſive *Matthæorum* nobiliſſima familia a ſaniori, ut inquit ſanctus Bernardus, Cardinalium parte electus fuit, & paulo poſt eodem prorſus die, ut nonnulli putant, Anacletus. Audiamus Petrum Diaconum ea tempeſtate viventem: *Interea Papa Honorio vita decedente, electi Gregorius Cardinalis ſancti Angeli in*

Petr. Diac. Chron. Caſin. l. 4. cap. 97.

*Papam*

*Papam Innocentium II.* , *& Petrus presbyter Cardinalis ſancti Calliſti in Anacletum* .

Non me latet, a clariſſimo Baronio nonnumquam ſuſpectæ fidei inſimulari Petrum Diaconum, præcipue in citato illo capite, ubi tradit, *Inveſtituras* Lothario Imperatori antiquo more fuiſſe ab Innocentio reſtitutas contra vetitum Paſchalis II., & concordatum. Adverſus Baronium doctam Apologiam adornavit Abbas de Nuce, qua memoratum lapſum excuſat, & nonnulla alia defendit. Verum inter ſucceſſivam electionem duorum Pontificum omnes conveniunt, parum temporis interceſſiſſe.

Petiit Lotharius ab Innocentio jus inveſtiendi antiquo more; obſtitit S. Bernardus, remque compoſuit.

V. Bernard. de Borevel in vita ſancti Bernard. Othonem Friſigensem. Maimburgú De la Decadence de l' Empire liv. 4. ann. 1132.

Angel. De Nuc. in Not. ad Chron. Caſin. l. 4. c. 106. in Excurſu Hiſtorico.

Commentitius igitur ſubitaneus ille belli apparatus ab Innocentio comparatus, & commiſſum id temporis prælium a Guilielmo Tarentino cum Romano exercitu. Evenere quidem hæc, ſed anno ſalutis 1139., dum decimum Pontificatus ſui annum Innocentius ageret, ut infra dicemus.

Innocentius ergo paulo poſt ſuam electionem animadvertens populum Romanum Antipapæ Anacleti, qui ſancti Petri Baſilicam occupaverat, potentia, divitiis, ſceleſtis moribus, profuſione etiam ſacrorum calicum, aliiſque illecebris illius obedientiæ plurima ex parte conciliatum, & bonam ulterioris Italiæ partem Rogerj opera corruptam eidem adhæſiſſe, relicto in Lateranenſi Æde Conrado Sabinenſi Epiſcopo, qui ſuas vices expleret, cum ſociis Cardinalibus ad mare clam ſecun-

cundo Tiberi navigavit, ibique a duabus Piſanorum Liburnicis exceptus Piſam trajecit, ubi honorifice habitus ſtatim Anacletum, ejuſque aſſeclas diris devovit. Sed quod e re noſtra eſt, Innocentium eouſque ſecutus eſt Robertus Surrentinus Capuæ princeps, cujus gratia hæc libaremus, oportuit, & de quo modo dicendum. Deinde in Galliam profectus, ibi ſanctum Bernardum Claravallenſem eximium propugnatorem nactus eſt, cujus maxime ope a Philippo I. Galliæ Rege, cui adhæſere omnia Hiſpaniæ piiſſima regna, deinde a Richardo Angliæ Rege veneratus, a Lothario tandem religioſo Imperatore recens electo ſumma virtute, & ſcientia rei militaris prædito benigne ſuſceptus, Romam ab eo cum valido exercitu traductus eſt.

VI. Interea Anacletus Rogerium in Regem Siciliæ inauguravit, Ducemque in ditionibus Apuliæ, & Calabriæ eumdem confirmavit; immo Regem utriuſque Siciliæ illum renuntiaſſe plurimi tradunt. Pater Cabaſſutius hæc addidit: *Quin etiam Rogerius Siciliæ Comes, atque Apuliæ, & Calabriæ Dux cum Roberto principe Capuano ſuos populos ad Anacletum traduxit*. Sed quod de principe Roberto annectit, tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum: parcendum tamen extero elegantiſſimo ſcriptori, qui inſuper paulo poſt pejori mendo Rogerium hunc *Roberti Guiſcardi filium* dicit; re vera Rogerj Boſſi filius fuit natu minor, & Viſcardi nepos.

Johan: Cabaſſ. In Not. Eccl. ad Hiſtor. Synop. Secul. XII.

Ita-

Itaque, ut latentes haſce veritates in lucem proferamus, animadvertendum, Robertum Capuanum principem, poſtquam comitatus eſt Innocentium, tantum Piſæ commoratum eſſe, donec, collecta valida Piſanorum claſſe, & deſcripto exercitu, Neapolim remeavit, ubi icto fœdere cum Rogerio Neapolitano Duce trigeſimo quarto, Averſam exercitu illo ſtipatus contendit. Averſani libenti ſe animo eidem dederunt. Id ubi reſcivit Rogerius, qui circa Caſinum verſabatur, confeſtim illum invadens, in fugam vertit, Averſamque evertit, *vel in cinerem redigit*; hæc ipſiſſima Petri Diaconi verba.

Capac. Hiſt. Neap. l. 1. in Roger.

Petr. Diac. Chron. Caſin. l. 4. c. 97.

Anno 1130.

VII. Vides igitur, hucuſque ad Anacleti obedientiam minime acceſſiſſe Robertum, qui illa clade ſuſcepta, ac fortunæ injuriam ferens, nequaquam animum deſpondit, ſed Neapolim ſe recipiens ibi Innocentj legitimi Pontificis reditum præſtolatus fuit, qui Leodio diſcedens maturato itinere cum ſancto Bernardo Januam pervenit, ut ibi Imperatorem valido Germanorum exercitu ſtipatum in Italiam adventantem expectaret. Hic poſtquam Januam tetigit, ipſi Innocentio junctus, Romam una contenderunt: ubi in Baſilica Lateranenſi, quod illa ſancti Petri ab Anacleto detineretur, rumpendi cauſſa moras Imperator in ſolenni pompa ab Innocentio Imperiali diademate pacifice fuit decoratus.

Oth. Friſingen. ann. 1132.

VIII. Multum quidem incommodi paſſus eſt Romæ Germanorum exercitus a Proceribus, quo-

rum juſſu ab editis turribus lapides in illos, ac ſpicula torquebantur; majorem vero ſibi allatam ſenſerunt calamitatem ab æſtivo calore, quem in hiſce regionibus gens illa frigori aſſueta vix poterat tolerare; Lotharius proinde magnis itineribus Roma in Germaniam remeavit, ratus etiam rem omnem pro Innocentio officiis abſolvendam fore. Vix autem Italia ceſſerat Imperator, quum illico res funeſtius turbari, atque Anacleti partes augeri cœperunt, & vim in dies ſchiſma nanciſci. Quare epiſtolis Lotharium adoriri conſtituit Innocentius, monereque, virus ſchiſmatis tectum ſerpere, ac latentem in herba anguem caput extollere: Rogerium vero jura invadere Eccleſiæ, ejuſque terras abripere, Schiſmaticos Ravennam, Flaminiam, Picenum, Umbriam, Anconam, Spoletum diſſidiis, tumultibuſque complere, tantum decere Imperatorem, ut pietate promiſſi præſidj fidem liberet, tueatur Eccleſiam, & majeſtate jura, ac ditiones Imperj Carolo Magno conceſſas recuperet.

IX. His excitus Lotharius majori bellico apparatu Romam repetit, diviſoque exercitu partem Henrico Bavariæ Duci generi ſuo mandat, alteram ſibi retinet, ut memoratas Langobardiæ regiones in officio contineret.

Innocentius cum Henrico in Campaniam contendit, illaque, & aliis regionibus in ordinem redactis Apuliam ingreſſus Barium a Rogerj ditione vindicavit.

Inte-

Interea Caſinatibus Monachis, quorum plures ad Anacleti partes acceſſerant, modum imponit Innocentius. Ceteri Campaniæ toparchæ ad deoſculandos Innocentj pedes, & ad ſpondendam obedientiam jurejurando ſe obſtringentes confluxerunt.

Petr. Diac. Chrõn. Caſin. l. 4. c. 105.

X. Erat penes Innocentium Robertus noſter, cujus tutelæ, ac patrocinio quamplurimi ſe commendabant, præcipue deſciſcentes Capuani, qui cauſſantes Rogerj vim, inſtructumque exercitum defectionem ſuam excuſabant. Omnibus data venia a Summo Pontifice, Henrico Bavariæ, & Principe Roberto, cui reſtitutus tandem Capuæ principatus.

Verba Petri Diaconi, qui his interfuit: *Henricus interea gener Imperatoris una cum Papa Innocentio, Roberto Principi Capuano principatum reſtituentes cum ingenti exercitu ad Pontem S. Valentini juxta Beneventum caſtra locavit.*

Tum Beneventum profectus Innocentius cum exercitu refractarios illos Anacleto addictos vi, & anathemate expugnavit; Trojam deinde contendentibus, ea civitas ultro ſe Eccleſiæ ditioni reddidit.

XI. Per id autem temporis Lotharius, rebus Ravennæ, Umbriæ, Æmiliæ, Flaminiæ, & Picenorum compoſitis, in Apuliam progreditur. Barium civitatem, extructamque in ea a Rogerio, qui in Siciliam ſe receperat, magno molimine arcem expugnavit; deinde Salernum adventans, eam urbem cum Amalphia ſibi ſubmiſit; tum circa Caſinates Monachos plura edidit juxta Petrum Diaconum, de quibus conſule Baronium.

Petr. Diac. loc. cit. c. 106.

His peractis Imperator Innocentium veluti

triumphantem Romam reduxit, ubi breve poſt tempus Anacletus multo mœrore confectus periit. Imperator dum Germaniam repetit, victoriis, & gloria decoratus, Veronæ febri correptus eſt: iter nihilominus proſecutus in Alpibus prope Trentum viliſſimo in tugurio mortalitatis jura perſolvit.

Oth. Friſingen. lib. 7. Ab. Veſpergens. Robertus de Monte 1138.

XII. Innocentius generale habuit Concilium, Lateranenſe ſcilicet II., in quo errores Petri Abailardi, aliaſque hæreſes profligavit. Verum arma reſumere eum adegit Rogerius, inquies homo, qui in Italiam denuo contendens amiſſas ditiones magna ex parte recuperavit. Innocentius quorumdam Cardinalium conſilio arma licet invitus movit. Tum ei illa evenerunt, quæ eidem primo Pontificatus ſui anno contigiſſe alii ſcripſerunt, & in manus Guilielmi principis Tarentini concidit. Rogerius tamen etſi contumax homo, & pervicax, quum omnem vindictam poſſet de Summo Pontifice capere: tamen ad illius pedes provolutus eum adoravit, veniamque humillime precatus eſt.

Quid ad hæc diceret impius ille, qui docuit homines neque omnem honeſtatem, pietatemque induere, neque omnem impietatem, & pervicaciam exuere didiciſſe, ſed mediam plerumque viam tenere ſimili exemplo comprobat, nihil animadvertens pietatem adeo cum uſu rationis funditus radices in animo figere, ut evelli penitus nequeat? Quid quod gratia Dei improviſos motus, quibus aliquando erramus, comprimit? Politi-

V. Lectiones noſtras adverſus Macchiavellum.

litici dicerent, Rogerium, Antipapa ſublato, tempus aucupatum fuiſſe rebus ſuis melius conſulendi. Utquumque ſe res habeat, Innocentius in grati animi argumentum, & ut Eccleſiæ proſpiceret, in qua novum ſchiſma inſtare cognoverat, Regiam *Inveſtituram* Rogerio conceſſit ſequenti diplomate.

XIII. *Quos diſpenſatio divini conſilj ad regimen, & ſalutem populi ab alto elegit, & prudentia, & juſtitia, aliarumve virtutum decore decenter ornavit, dignum, & rationabile eſt, ut ſponſa Chriſti ſancta, & Apoſtolica Romana mater Eccleſia affectione ſincera diligat, & de ſublimibus ad ſublimiora promoveat. Manifeſtis ſiquidem probatum eſt argumentis, quod egregiæ memoriæ ſtrenuus, & fidelis miles beati Petri Robertus Guiſcardus* (a) *prædeceſſor tuus Dux Apuliæ magnificos, & potentes hoſtes Eccleſiæ viriliter expugnavit, & poſteritati ſuæ dignum memoriæ nomen, & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illuſtris recordationis Rogerius,* (b) *per bellicos ſudores, & militaria certamina inimicorum Chriſtiani nominis intrepidus extirpator, & Chriſtianæ religionis diligens propagator, utpote bonus, & devotus filius multimoda obſequia matri ſuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ impertivit. Unde, & prædeceſſor noſter religioſus, & prudens Papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generoſitate deſcendentem intuitus, plurimum de te ſperans, & prudentia ornatum, juſtitia munitum, atque ad regimen populi te idoneum eſſe credens, valde*

In Epiſt. 9. Innoc. II. tom 12. Concil. poſtrem. edit. Venet. pag. 1414.

(a) Videtur præcipue alludere ad auxiliares copias ſollicite præſtitas S. Gregorio VII. ab eo ſuppetias petenti, dum Romæ vexaretur: ad invaſionem Jordani Comitis Averſani in Summum Pontificem animati. V. Malater. l. 3. Guiliel. Apul. l. 4. ad profligationem Græcorum Iconoclaſtarum, & Saracenorum. Baron. ad ann. 1081.

(b) Rogerius ſcilicet Boſſus, qui præclaras victorias retulit a Saracenis. Malater. l. 1. c. 1. & alii.

*de dilexit, & ad altiora provexit. Nos ergo ejus veſtigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem, & utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſpem, atque fiduciam obtinentes,* (a) *regnum Siciliæ, quod utique, prout in antiquis refertur hiſtoriis, regnum fuiſſe non dubium* (b) *eſt, tibi ab eodem anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris Regi, & dignitate regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apoſtolica auctoritate confirmamus. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & inſuper principatum Capuanum integre nihilominus noſtri favoris robore communimus, tibique concedimus. Et ut ad amorem, atque obſequium B. Petri Apoſtolorum principis & noſtrum, ac ſucceſſorum noſtrorum vehementius aſtringaris: hæc ipſa, id eſt, regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ hæredibus tuis, qui nobis, & ſucceſſoribus noſtris, niſi per nos, & ſucceſſores noſtros remanſerit, ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu juraſti, juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non ſuſpecto, ſed tuto nobis, & ipſis, atque ſalubri, duximus concedenda: eoſque ſuper his, quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, manutenebimus. Quod ſi per eos fortaſſe remanſerit, iidem hæredes tui nihilominus teneant quod tenebant ſine diminutione. Cenſus autem, ſicut ſtatutum eſt, ideſt, ſexcentorum ſciſatorum, a te, tuiſque hæredibus nobis, noſtriſque ſucceſſoribus ſingulis annis reddatur, niſi forte impedimentum interveniat: removente vero te impedimentum, nihilominus perſolvetur. Tua ergo, fili cariſſime, intereſt, ita te erga honorem, atque ſer-*

(a) De regno Siciliæ, & Ducatu Apuliæ ab Honorio II. collato. V. Abbatem Teleſinum

(b) Cham filium Noë Siciliam appuliſſe, tamquam Regem rexiſſe volunt aliqui, quem Saturnum vocant. Alii id tribuunt Eliſæ primogenito Javanis. Sicanus Hiſpanus eamdem inſulam Ragia auctoritate renuit, deinde Carthaginenſes, poſtea Romani, & Græci Imperatores ultimo ſub Saracenis pluribus Regibus diviſa. V. Marian. Valguarner., & Auguſt. Inveg. Dell' Origine, e antichità di Palermo. Tom. 3. Era 7. Saraceenica.

*ſervitium matris tuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ devotum, & humilem exhibere, ita teipſum in ejus opportunitatibus exercere, ut de tam devoto, & glorioſo filio ſedes Apoſtolica gaudeat, & in ejus amore quieſcat. Si qua ſive Eccleſiaſtica, ſeculariſve potentia huic noſtræ conceſſioni temere contraire tentaverit, donec præſumpſionem ſuam ſatisfactione coërceat, indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat, & quouſque reſipuerit, anathematis ſententia percellatur. Amen.*

XIV. Sedatis hoc modo inter Innocentium, ac Rogerium rebus, hic mores ſuos componere, vitamque ad meliorem frugem redigere viſus eſt: & Chriſtiani nominis principes laceſſere deſinens in Africæ Saracenos arma convertit, ac ſelecta claſſe in Tunetanum regnum felici curſu trajecit, Tripolim deinde ultra minorem Syrtim contendit, oppidum valido præſidio munitum expugnavit, tum & Capſam ſtatim, & alia minora loca ſubjecit.

V. Gaufred. Malaterr. & Abbat. Teleſin.

Præterea ſancto Ludovico ab Eugenio III. ad bellum in Palæſtinam inferendum incitato conſilio, ac manu profuit; quinimmo illum Antiochia reducem, & ſive a Græca Emmanuelis claſſe captum, ſive a Saracenis Rogerj naves liberarunt, licet eam rem in dubium revocet Maimburgus.

Oth. Friſing. De Geſt. Frider. l. 1. c. 40.
Odo De Diog. l. 1. De Profect. Reg. Ludov.
Lovis Maimburg. Hiſt. De Croiciade tom. 2. livr. 4.

In Emmanuelem perfidum Conſtantinopolis Imperatorem, qui, icto cum infedelibus fœdere,

Pa-

Palæſtinam invaſerat, maritimas plures victorias obtinuit, ulteriora proſecuturus, niſi a Venetis præpeditus fuiſſet. Regj totius Italiæ Tituli non amplius ſollicitus, ſolo illo Siciliæ ab Innocentio accepto cum Ducatu Apuliæ,, & Comitatu Calabriæ &c. contentus in poſterum vixit; tandem pietatem præſeferens vitam Panormi abſolvit; cui more regio parentatum anno 1154. Itaque neque contra Cœleſtinum II., neque contra Lucium II. neque in Eugenium III., aut Anaſtaſium IV., qui brevem vitam duxit, arma movit, ſed humillime iiſdem obtemperavit.

Poſtquam fato functus eſt Rogerius, ſucceſſorem in regno Siciliæ tradunt aliqui proximum habuiſſe Rogerium maximum natu filium, quem ex Elvira ſuſceperat, & Apuliæ Ducem antea creaverat; ſed, quum hic paucos poſt dies vita exceſſiſſet, regiam hæreditatem adiiſſe Amulſum ſecundo ex eadem uxore genitum, qui breviſſime quoque vixit, huic autem ſuffectum Guilielmum Tarenti principem. Fazellus vero poſtremum hunc patris hæreditatem continuo, proximeque ſuſcepiſſe, ex antiquioribus rerum Siciliæ ſcriptoribus perhibet, duoſque majores fratres, vivente adhuc patre, e vivis ſublatos.

Fazell. De Reb. Sicil. Decad. poſter. l. 7. in princip. Inveg. Era Nortmann. 7.

XV. Sub regni ſui initium præclare ſe gerens Guilielmus ab Hadriano IV. viro humillimo genere nato, ſed celſiſſima mente, ac prudentia prædito, qui id temporis ad ſupremam Romanæ Eccleſiæ ſpeculam cuſtodiendam evectus

ctus fuit, regni confirmationem humaniſſime, humillimeque petiit, ad quam prolixe elargiendam etſi inclinaret Summus Pontifex: tamen ab iis, qui a conſiliis erant, de propria ſententia detruſus negavit; quamobrem in iras, furiaſque exardeſcens Rex, ingenti collecto exercitu plures Eccleſiæ ditiones occupavit; diris proinde a Papa devotus fuit, quibus permoti plerique Apuliæ, & Calabriæ Dynaſtæ conjurarunt. At Guilielmus validiſſimo munitus milite per hoſtium regiones diſcurrens Apuliam ſubegit, Calabriamque vaſtavit, incenditque. Has populorum calamitates, atque excidia exoſus Hadrianus, qui circa Beneventum cum exercitu ſuo, & conjuratis in regem Toparchis verſabatur (inter quos erat Capuæ princeps Robertus) per Catanenſem Epiſcopum de pace ſollicitatus æquas præbere aures non renuit, & clam per miniſtros de concordia cum Rege ipſo egit, & quem ſeveritate flectere nequiverat, blandimentis, promiſſaque confirmatione lenivit, obſequentiſſimum habuit, & ad pedis oſculum admiſit. Hadriani epiſtolam lege apud Baronium, & in tomo 13. Conciliorum poſtremæ editionis columna 21. Ann. 115.

XVI. Merito igitur miror, adeo enormiter lapſum eſſe famigeratum Hiſtoriæ collectorem, ut tradat, hæc non inter Hadrianum, & Guilielmum, qui malus audit, ſed geſta fuiſſe inter Summum Pontificem, & Rogerium, qui jam vita functus erat.

P. Foreſt. Mappamond. Iſtor. t. 3. Nella vita di Adriano IV.

# CAPUT XVIII.

*Roberto Capuæ Principi, qui Innocentio II. adhæſit, Surrentina patria adverſus Camillum Peregrinum aſſeritur.*

I. CAmillus Peregrinus Capuanus, cujus patruus magnus fuit prior Camillus, qui dialogo adverſus detractores celeberrimum Torquati Taſſi heroicum poëma acerrime propugnavit, vir fuit miræ eruditionis, optimus ſane criticus, & in Langobardorum hiſtoriis verſatiſſimus. Hic nonnulla, (ut mihi tradidit optimus vir Carolus Corteſius Patricius Surrentinus) ſcripſit de Surrentinorum gloria, ac laudibus; ſed, quum nullæ redditæ ipſi pro labore fuiſſent gratiæ, nullam prætermiſit occaſionem adverſa ſcribendi. Res, ſi modo vera, nedum in ſapiente viro, ſed ne in ingenuo quidem probanda, cui nulla de cauſſa a veritate recedere fas eſt, & potius ἀχαριςίας vitium ſedate perferendum.

Peregrinus igitur Robertum Capuanum Surrentina patria ortum ducentem ex hiſtoriis Regni-Neapolitani omnino eliminare conatus eſt. Sed quam firmiter, videamus.

Chron. S. Monaſt. Caſin. lib. 4. c. 55. in fine.

II. Principio de Roberto hæc apud Petrum Diaconum legimus: *Hoc interea anno*, ſcilicet 1120. *Robertus Capuanorum princeps, cujus ſupra meminimus, vita decedit, & Richardus filius ejus a* Ca-

*Capuanis in principatum ſubſtituitur, quo paulo poſt mortuo, Robertus patruus ejus illi in principatu ſuccedit.* Hic autem ſecundus Robertus fuit patria Surrentinus, Sergj II. Conſulis, de quo ſupra egimus, filius; idque apertiſſime firmatur ex vetuſto documento, quod ſe conſpexiſſe perhibent Scipio Ammiratus, Cæſar Capacius, Carolus Borellus, aliique hujuſmodi: *Dum eſſem ego Ademarius judex in partibus Nuceriæ in loco, ubi dicitur a Camarella, & una mecum adeſſent Dominus Jordanus filius quondam Domini Jordani principis Capuani, & Dominus Sergius princeps Surrenti ſocer ejus, & Dominus Rogerius de S. Severino, & Dominus Richardus Comes de Sarno, & alii quamplures milites.*

III. Quo teſtimonio explorata videntur relata modo Petri Diaconi verba, in quibus ſeſe plures implicuerunt. Sergius II. Conſul Surrentinus, qui & princeps, ſeu primus ejus civitatis non omnino improprie dicitur, nuptui dedit filiam ſuam Jordano Capuæ principi, cui poſt mortem ſuffectus Richardus filius, quo ſine liberis decedente, Robertus Surrentinus Sergj Conſulis filius, & Richardi patruus Capuanum principatum adivit. Hic vero a Petro Diacono avunculus Richardi potius dicendus erat, ſed non raro a minus caſtigatis ſcriptoribus Latinis patrui nomen cum illo avunculi confunditur, ut etiam in jure civili patrui non adgnati tantum, ſed cognati quoque dicuntur.

Paul. in l. Juriſconſultus ff. De Gradib. & Affinib. §. *Patruus autem eſt patris fra-*

*ter, & ipſe dupliciter intelligendus eſt ex patre, vel matre; puta avia materna mea nupſit patri tuo, peperit te, aut avia materna tua nupſit patri meo, peperit me, ego tibi patruus ſum, & tu mihi &c.*

Scip. Ammir. Delle Famiglie nobili Napoletane in Giordano II. Principe di Capua.

Itaque hanc Petri Diaconi lectionem retinendam puto, neque pro Roberto Jordanum ſubſtituendum, ut Ammiratus contendit. Movetur ſolertiſſimus hic alioqui ſcriptor ex eo, quod idem Petrus Diaconus *cap.* 98., potius citandum erat *cap.* 90., tradit, quod ſcilicet Nicolaus Abbas Caſinenſis *Robertum filium Jordani* principis ad ſibi præſidium ferendum adverſus invaſores bonorum Caſinenſium acciverit. Ex quo textu Jordanum Richardo ſucceſſiſſe putat. Quod tandem confirmat antiquo diplomate quodam Jordani, quo annus 1122. ipſius Jordani principatus ſecundus dicitur.

C. 93. & c. 94.

IV. Hac tamen adhibita correctione, neque Petrum Diaconum, neque Ammiratum ſibi ipſis conſtare animadvertes; non priorem, qui Robertum filium Jordani Capuæ principem facit, & Nicolao Abbati Caſinenſi auxilia præbuiſſe tradit; paulo vero poſt Nicolao cum Seniorecto pro Abbatia armis contendente, Jordanum Seniorecto præſidia ferentem obtrudit, hoc eſt; patrem a filio diſſidentem. Oſcitanter igitur nomina principum Capuæ a Petro Diacono, vel ejus amanuenſi commutata fuiſſe, credendum.

Ammirat. loc. cit. in Roberto XVII. Principe di Capua.

Ammiratus etiam a ſe diſcrepat, qui uno loco Richardum Roberti Capuæ principis XVII. ſucceſſorem facit, altero vero paulo poſt huic eidem Roberto Jordanum ſubſtituit, qui ſi frater defuncti Roberti fuiſſet, & patruus Richardi, nomen Petrus Diaconus non omiſiſſet adjicere.

Præ-

Præterquamquod de Richardo verba faciens, cuiuſnam filius fuerit ſe ignoraſſe fatetur Ammiratus, quum expreſſe Petrus Diaconus Primi Roberti filium fuiſſe dicat.

V. Sed ad rem noſtram firmandam clariora adducamus teſtimonia, & primo in cenſum deferamus Anonymum Caſinenſem, qui ſcriptum reliquit: *Audita morte Regis Guilielmi Comes Andreas cepit Civitatem Aliſæ, Robertus de Surrento cepit omnem Principatum Capuæ uſque Neapolim, & Salernum*. Legunt plerique: *Audita morte Regis Rogerj*, ut etiam habet editus Codex, ſed priorem lectionem tuetur Peregrinus, ut inde falſitatis arguat Anonymum. Quippe poſt obitum Guilielmi jam oculis orbatus, & tetro incluſus carcere Panormi vitam finiverat Robertus. Neque animadvertit idem Peregrinus, Caſinenſem Anonymum verba facere non de vera morte Guilielmi, ſed de rumore, qui de ea Majonis aſtu increbuerat, dum Rex voluptatibus fractus aliquandiu ſeſe occuluerat, ut produnt omnes concordi voto recentiores hiſtorici.

Apud Lud. Muratór. Hiſtor. Rer. Ital. tom. 5.

Accedat Guilielmus Tyri Archiepiſcopus de rebus Nortmannorum inſtructiſſimus, & coævus ſcriptor: *Exules quoque, quos tam ipſe* ( Guilielmus) *quam pater ejus de regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos, & armis potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Capuanum, Comitem quoque Andream de Rupe Canina, & alios multos exhortationibus ſuis Ha-*

Guiliel. Tyr. de Bell. Sacr. lib. 18. cap. 2. in fin.

Digitized by Google

*Hadrianus Papa provocaverat, ut in regnum redirent, & ad jure hæreditario ſibi debitas poſſeſſiones accederent*. Quæ pauca verba Roberti Surrentini compendiarium, ſolidumque elogium exhibent.

Hug. Falc. Hiſt. De Sicil. Calamit. Tandem Hugo Falcandus, qui infortunia, calamitateſque Guilielmi primi ab iniquo Majone eidem exhibitas abunde enarravit, hæc habet: *Robertus Surrentinus a Capuanis ſuſcipitur, & hæreditario ad ſe jure pertinentem occupat Capuæ principatum*.

VI. Sed maximam rerum diſcrepantiam heic nos videmur admittere, qui tradidimus tempore Rogerj II. Regis Siciliæ Robertum Surrentinum Capuam occupaſſe tamquam ſibi hæreditario jure debitam, quum modo allatæ auctoritates Anonymi Caſinenſis, Guilielmi Tyrj, & Falcandi eam occupationem accidiſſe ferant tempore Regis Guilielmi, quum ſcilicet aſtu, & tricis Majonis ejuſdem Regis mors divulgata fuerat, quod & Colennucius, & Summontius, & Caraſa, aliique Neapolitani recentiores hiſtorici concorditer narrant.

VII. Verum hi Chronologiam enormiter depravarunt, nec antiquiorum hiſtoricorum, plerumque barbarorum res male congeſtas perceperunt. Quando hic Robertus Surrentinus primo Capuam occupaverit, verius addiſces ex Alexandro Abbate Lib. 3. cap. 1. Teleſino (hoc eſt, Cœnobj Teleſiæ, non Celeſino, veluti per errorem legit Gerardus Voſſius, ut recte notat eruditiſſimus Ludovicus Muratorius).

Coæ-

Coævus hic ſcriptor fert, Rogerium II. nimia animi triſtitia affectum propter mortem Conjugis Reginæ Alberiæ ita vehementer ægrotaſſe, ut de ejus obitu fama prodierit, qua exciti plures Apuliæ, & Calabriæ Toparchæ res omnes turbarunt, & præ ceteris Robertus Surrentinus Capuam, Averſamque occupavit: poſtquam vero convaluit Rogerius, Averſam incendio vaſtavit, quam deinde inſtaurans una cum Capuæ principatu Anfuſo filio ſuo tradidit. Robertus vero Surrentinus inde ejectus Lotharium Imperatorem adivit ſuppetias petiturus, ſed *cernens*, (verba ſunt Teleſini) Teleſ. l.3.c.13. *ſe Teutonico fruſtatum fuiſſe auxilio, Piſam citiſſimo navigio advectus perrexit, quatenus inde bellicam manum accitam ad ſui contra Regem auxilium ſecum adduceret*; ut nos ſuperius attigimus.

Poſt obitum autem Rogerj, quum Guilielmus I. Siciliæ Regnum obtinuiſſet, & Ducatum Apuliæ, & Calabriæ Comitatum, res vero ſupine ageret, & omnia Majo viliſſimus homuncio e plebis fæce ad ſupremum Regni magiſtratum a Guilielmo evectus, cujus nutu, & arbitrio, Rege ipſo indulgente, populi regebantur, aſtu, tricisque involveret, mors item Guilielmi evulgata eſt, quo tempore Toparchæ plures varia Regni loca occuparunt, Robertus vero Surrentinus iterum Capuam receperavit, & Hadrianum IV. ad vindicandas Eccleſiæ ditiones invitarunt: qui quum nihil armis profeciſſet, pacem cum Rege componere ſatius duxit.

VIII. Au-

VIII. Audita autem inita concordia inter Hadrianum, & Guilielmum, perduelles omnes diſceſſerunt, & Róbertus Surrentinus captus, (alii qui dicunt, ad (*a*) Lyrim amnem, alii vero ad Apuliæ flumen) Panormum miſſus eſt, ubi effoſſis oculis in carcere obiit. Hæc vera Roberti hiſtoria: quam alii turbarunt tertium quemdam Robertum Capuæ principem invehentes, quum re vera præter ſecundum Robertum Surrentinum nemo alius poſtea extiterit Capuæ princeps nomine Robertus, & quæ de variis Robertis feruntur, ad unum, eumdemque ſecundum reducenda ſunt.

(*a*) V. Colennuc. Summont. Caraſ. & alios.

RobertusSurrentinus regnante Rogerio II. Capuam primo adeptus eſt, ſub eodem amiſit; Guilielmo primo dominationem exercente iterum recuperavit, iterumque cum vita amiſit.

# CAPUT XIX.

## *Quando liberæ Reipublicæ formam penitus amiſerit Surrentum.*

I. PEnes Franciſcum Mariam Roboreum poſtremum Urbini Ducem, apud quem ſæpe eruditorum virorum conventus aderat, qui in doctis colloquiis laudabiliter tempus terebant, fuit aliquando hujuſmodi problema propoſitum: Utrum præſtantior, ac laudabilior ſit Reſpublica, aut Principatus diuturnus, etſi legibus, inſtitutiſque imperfectis innixus; an vero abſolutiſſimis munitus legibus, & undequaque perfectus, ſed minori temporis ſpatio duraturus? Multa protulit in utramque partem Jacobus Mazzonius omnium eruditionum genere cumulatiſſime inſtructus, qui id

id quæſitum dignum duxit, quod ad plures Italiæ ſapientes deferretur, ab iiſque de illo poſtularetur judicium. Pervenit Patavium celebris ſane vir Spero Speronius id temporis Peripateticæ Philoſophiæ doctiſſimus, ac nitidiſſimus Italicæ linguæ ſcriptor, qui rem oraculi inſtar ita definiendam eſſe duxit: Hominum felicitatem ab opere, non a diuturnitate petendam, ſatiuſque ducendum, brevi vitam humanam vivere, quam longiſſime brutorum more, aut veluti ſtipitem, vel ſaxum durare. Delata quæſtio ad ſolertiſſimum Torquatum Taſſum, ſuppreſſo decidentis auctoris nomine, quem tamquam magiſtrum Taſſus venerabatur; Fuſiſſimam hic dedit epiſtolam politicam in contrariam ſententiam differens, contendenſque inter alia minus recte propoſitum fuiſſe problema, præcipue quod ille Reipublicæ ſtatus diuturnior ſemper cenſendus ſit, qui exquiſitioribus legibus, ac ſtatutis ſuffultus ſit. Quocirca rectiſſimas fuiſſe arbitror Reipublicæ Surrentinæ leges, quum immani temporis ſpatio ea permanſerit ita, ut quemadmodum antiquiſſimam illius originem difficile ſit invenire, ita crebras Neapolitani Regni mutationes perexigua hæc ejus pars, anguſtiſſimaque Reſpublica minime ſortita ſit, ſed ſtabilis, incolumiſque in ſuo regimine perſeveraverit.

Letterà politica del Signor Torquato Taſſo al Signor Giulio Giordano fra le opere poſtume ſtampate dal Toppi vol. 1. pag. 477.

II. *Neapolitani* enim, inquit Arthurus Duck, *& Siculi in fide populi, & Imperatorum Romanorum conſtanter manſerunt uſque ad Honorium Imperato-*

Arthur. Duck De Auctorit. Jur. Civil. Romanor. in Dominiis principum Chriſtianorum l. 2. c. 4.

*ratorem, circa ann. Chriſt. CCCCXII. quo tempore Gothi* (2) *eos debellarunt: & poſt eos Langobardi* (3) *per ducentos annos iis dominati ſunt, uſque ad Carolum Magnum, qui, extincto Langobardorum Imperio in Italia, hujus Regni ſucceſſionem* (4) *Imperatoribus Græcis reliquit, qui a Saracenis ſpoliati circa annum DCCCCXXIX eoſdem a Nortmannis poſtea ſpoliandos demandarunt, e quibus Viſcardus, & Rogerius hoc Regnum adepti ſunt* (5) *ex donatione Hadriani IV. Pontificis Romani Ann. MCLXXXVI. qui ab eo tempore, antiquque hujus Regni conceſſionem in Feudum Sedi ſuæ vendicabat; quum interea tamen Imperatores Conſtantinopolitani aliquam hujus Regni partem ſub Imperio ſuo* (6) *tenuiſſent.*

*Nortmannorum ſobole extincta, Henricus VI. Frederici Ænobarbi filius in hoc Regno ſucceſſit ex conceſſione Cœleſtini III. Anno MCLXXXXI. poſt quem aliqui Imperatores ſucceſſerunt. E quibus Conrado mortuo, quum Manfredus Nothus ejus frater Regnum ſine auctoritate Pontificis occupaſſet anno MCCLIV. ad eum oppugnandum Urbanus IV. Regem creavit Carolum* (7) *Andegavenſem Ludovici Galliæ Regis fratrem, a quo Manfredus Regno, & vita ſpoliatus eſt. Caroli poſteri ſucceſſerunt uſque ad Ladislaum Andegavenſem, cujus ſoror Johanna Regni hæres adoptavit Ludovicum Andegavenſem, & deinceps Alphonſum* (8) *Aragoniæ Regem, qui in Regno ſucceſſit, idemque reliquit filio, & ſucceſſoribus uſque ad Ferdinandum, qui a Carolo VIII. & Ludovico XII. Galliæ Regibus Regno pulſus eſt;*

(2) Procop. l. 1. Hiſt. Goth. Mich. Ritius de Regn. Sicil. Freher. in edit. Jur. Græc. Rom. in epiſt. ad Rudolph. II. Imperat.

(3) Paul. Warnefrid. De reb. geſt. Langob. l. 1. Mich. Ritius de Regn. Sicil. Decian. in Apolog. adverſ. Alciat. c. 8. Freher. in d. epiſt. ad Rudolph. Imp.

(4) Colennuc. l. 2. Hiſt. Neapol. c. 1. 2. 3. Paul. Warnefrid. De geſt. Longob. l. 1. 2. 6.

(5) Colennuc. l. 2. Hiſt. Neapol. cap. 3.

(6) Colennuc. d. l. 2. c. 4.

[7] Colennuc. d. l. 2. c. 5. 6. Thuan. Hiſt. l. 1. Chopp. lib. 2. De doman. Franc. tit. 1. n. 12. Ant. de Nigr. in Conſtit. Regn. in prælud. n. 11.

(8) Colennuc. d. cap. 5. Bodin. l. 1. De Repub. c. 9.

*eſt; & poſt hoc brevi intervallo Ferdinandus Aragoniæ Rex, ducta Iſabella Caſtellæ Regina, hoc Regnum virtute Magni Conſalvi (9) recuperavit, & mortuus Anno MDXVI. Carolo V., & Hiſpaniæ Regibus tranſmiſit, qui hujus Regni poſſeſſione, & jure adhuc potiuntur.*

*Utrique vero & Andegavenſes, & Aragonii, & ante eos Nortmanni hoc Regnum ex conceſſione Romanorum Pontificum ſemper adepti ſunt, quod inter Feuda Romanæ Sedis ab omnibus (10) enumeratur, & Romanæ Eccleſiæ obtigit, ſive ex donatione Conſtantini (11), ſive ex conceſſione earum civitatum, & Provinciarum, quæ ab Othone I. Johanni XII. donatæ (12) ſunt. Et hac ratione hoc Regnum recenſetur in Patrimonio D. Petri, appellatur Feudum (13), Feudum Eccleſiæ a Pontificibus Romanis jure beneficj conceſſum, Emphyteuſis (14) Eccleſiæ (unde ſuccedunt in eo feminæ, ut in Emphiteuſi). Reges hujus ſunt Vaſſalli, & Ligii (15) Sedis Romanæ, & obnoxii juramento fidelitatis (niſi illius juramenti relaxatio per Cœleſtinum III. facta ſucceſſoribus etiam proſit, de quo quærit (16) Cujacius) Inveſtituram accipiunt ſub annuo cenſu Eccleſiæ Romanæ præſtando (qui aliquando fuit XLVIII. millium ducatorum annuorum, poſtea in unum equum, ſive (17) Achiream converſus) per quam utile dominium tantum adipiſcuntur, directo dominio penes Eccleſiam Romanam (18) manente, & ex hoc Regno Pontifices ſæpe conceſſerunt Feuda (19) Baronibus ejuſdem Regni; & Reges non poſſunt exercere juriſdictionem in*

(9) Thuan. Hiſt. lib. 1.

[10] Affict. deciſ. 282. Grammat. deciſ. 1. n. 21. Cardin. Tuſch. v. Rex Neap. concl. 346. Choppin. d. tit. 1. n. 12. Bodin. d. l. 1. c. 9. Ant. de Negr. in conſtit. Regn. Neap. in prælud. n. 11. Arniſæ: De Jure Majeſt. lib. 1. cap. 5.

(11) Affict. in conſtit. Neap. in prælud. quæſt. 24. n. 1.

(12) Jo. Frãc. Leo. in Theſaur. for. Eccleſ. p. 1. c. 12. n. 8.

(13) Card. Tuſch. v. Rex Sicil. concl. 351. & in v. Rex Apul. concl. 391.

[14] Tuſch. d. concl. 351.

(15) Franc. Guicciard. l. 1. Hiſt. Bodin. d. l. 5. c. 9. Ant. de Nigr. in d. prælud. n. 11.

(16) Cujac. ad c. veritatis 14. de jurejur.

(17) Socin. Jun. conſil. 126. n. 39. l. 3. Mar. Muta in

*in Clericos hujus Regni, niſi de Feudo* (20) *agatur &c.*

Itaque Neapolitana civitas anno 1184. è Reipublicæ ſtatu in Regiam dominationem, ut communiter putant, tranſivit. At vero Surrentum imperante Carolo Andecavenſi circa annum 1284 adhuc libertatem ſuam, hoc eſt, centum circiter poſt annos retinuiſſe ex noſtratibus hiſtoriis liquet.

III. Poſt trucem enim illam a Carolo Andecavenſi Siculorum defectionem, immanemque Gallorum cædem ope, & conſilio *Johannis a Prochita* factam Veſperum Siculum vulgo ab hora, eventuque indigitatam, Petrus Aragoniæ Rex conjurationis conſcius, qui eapropter magnam claſſem paraverat, Siciliam occupavit. Carolus, qui Neapoli erat, ſummo animi mœrore accepto rei funeſto nuntio, Romam, Carolo filio Salerni principe totius regni Vicario relicto, magnis itineribus contendit, quo ubi pervenit, apud Martinum IV. perfidiæ Aragonium inſimulat; ſingulari certamine inter duos Reges rem finiendam ſtatutum. Sed eo certamine minime impleto, Carolus Galliam adit, atque in Provincia valida comparata claſſe Neapolim repetere molitur, Siciliam invaſurus. Interea lembum expeditiſſimum ad Carolum filium mittit cum epiſtolis, ut a bello navali cum Auria committendo penitus abſtineret, ſeque cum valida claſſe jamjam adventurum expectaret. Lembus, & epiſtolæ in Auriæ manus pervenerunt; qui

capitul. Regn. Sicil. in proœm. Reg. Jacob.
(18) Tuſch. d. concl. 351.
(19) Afflict. deciſ. 282. n. 11. Tuſch. v. Rex Neap. concl. 346. n. 11.
(20) Grammat. deciſ. 61. n. 17. Tuſch. loc. cit.

qui ut Salerni principem, antequam pater claſſe adeſſet, ad bellum laceſſeret, Neapolim, ubi ille morabatur, navibus pervenit, & prope litora accedens, cives, milites Gallos, ipſumque principem timoris, ac ſocordiæ arguens, impetuoſos, fervidoſque Gallorum, ac Neapolitanorum animos ad prælium tandem ineundum adducit. Hi enim injuriarum impotentes juvenilem Principis animum facile ad pugnam acuunt, impelluntque, contrarium fruſtra ſuadente Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato; quamobrem ex oris ulterioris principatus Liburnicæ omnes accitæ, quibuſcum etiam Surrentinæ, quumque ſatis valida adornata claſſis eſſet, oblongas naves e portu ſolvere juſſum, & hoſtes inſequi.

IV. At ubi primum Auria navalem apparatum conſpexit, aſtu in altum ſalum ſtatim ſeſe ſubducens fugam ſimulavit. Maximo animi ardore fugientem hoſtem inſequebantur Galli, ac Neapolitani victoriæ pene certi. Quum vero ad capitis Antj, & Circej montis conſpectum perveniſſent, proras in inſequentes verti hoſtes Auria jubet. Utraque claſſe in ordinem belli inſtructa, prælium maximo animi ardore commiſſum. Claſſis Aragoniæ Prætor fugientes hoſtium naves perſequi prohibet, cunctas in unam Principis Caroli, quæ hoſtium maxime celerrima, & armorum apparatu inſtructiſſima erat, impetum facere jubet; quinimmo callidiori aſtu (ut tradit Thomas Fazellus) quum apud ſe egregium haberet tubicinem *Pa-*

Fazell. De Reb. Sicul. lib. 9. Decad. 2.

*ga*

*ganum* nomine, qui urinatoris arte ad miraculum pollebat, diuque ſub aquis ſine reſpiratione durabat, hunc, ingenti promiſſo præmio, adhortatur, ut illam Caroli navem terebra perforet; quod quum e voto eveniſſet, ſenſim Liburnica illa tantam aquam ebibit, ut jam mergi inciperet, quod ubi Salerni Princeps animadvertit, ultro ſe victum Rogerio tradidit. Sed ego hanc Fazelli de navis terebratione narrationem fabellam prorſus exiſtimo. Etſi longam ſub aquis ſine reſpiratione trahi moram, non impoſſibile ducam, verumque putem, quod de *Cola Piſce* Alexander ab Alexandro, aliique recolunt, ut & fœtus in utero matris non reſpirantes vivunt, nec ſanguinis circuitus impeditur, qui e dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum permeat. Verumtamen illud facile fieri poſſe abnuo, ut innatans aquis urinator, qui terræ pedem non fixit, tantam terebrandi vim exercere valeat, ut ſolidum lignum, durumque in tenuiſſimam ſcobem poſſit atterere. Id ſane ei perſpicuum, qui motuum muſculorum, & nationis theoriam ex doctis Mechanicis magiſtris, præcipue ex Johanne Alphonſo Borello didicerit, de qua re nos alibi. Quamobrem miror, doctiſſimum Patrem Giannettaſium ad hæc non attendiſſe; etſi Matheſis magiſtrum inter Patres Societatis exercuiſſet: & Abbatem Maurolycum optimum alioqui Mathematicum, qui preſſe, ſed accurate Sicanicam hiſtoriam ſcripſit, hæc eadem minime advertiſſe.

Giannett. Hiſt. Neap. Dec.3. l.2. pag. 24. tom. 2.

V. Pe-

V. Pejus eſt, quod non unus e Neapolitanis hiſtoricis nedum hanc *Pagani* terebrationem ut veram recipiat, ſed addere inſuper non dubitaverit, a Rogerio Auria plures nautas, ac navium ſtipatores, vulgo *Calafati*, in mare ad illam terebrandam, perforandamque navem immiſſos, quaſi vero urinatores omnes eſſent nautæ. Præterquamquod quis credat, in una Caroli navi antlias, ac ſiphones ad aquam exhauriendam defuiſſe, vel adeo imperitos, incautoſque ſtipatores, qui exiles foros arte compingere, ac obturare neſcirent? In hæc, immo pejora menda ſæpe incidunt, qui unica legali diſciplina imbuti hiſtorias ſcribere, vel ſcriptas colligere aggrediuntur ab omnibus aliis artibus imparati.

Auctor. Hiſt. Civil. tom. 3. lib. 2. pag. 64. *Ma Roggiero per uſcire d'impaccio fece buttar dentro mare molti Calafati, ed altri marinari con vergare, ed altri iſtrumenti, i quali ſubito perforarono in molti luoghi la Galea del Principe in modo, che ſi venne ad empir tutta d'acqua.*

Illud facile evenire potuit, ut ſcilicet inclinante ad Hiſpanorum partes victoria, & Liburnicis plurimis palantibus in fugam verſis, longa Caroli navis hoſtium incurſiones deflectens in ſcopulos, vel cæca ſaxa impegerit, rimaſque contraxerit, ac diſſuta tantam aquam acceperit, ut naufragium minaretur.

VI. Adeo inſigni potitus victoria triumphantis inſtar Crateris mare, Campaniæque oras diſcurrebat Auria, quum Surrentina Reſpublica aliquid fortaſſe damni ab eo ſibi timens liburnicam ad illum mittit cum oratoribus dona deferentibus quatuor ſcilicet præcocium ficorum cophinos, ac biſcentum Auguſtales. Legati ubi Prætoriam Auriæ ratem conſcendunt, captus princeps ſuorum ſtipa-

tus

Gio:Villani Iſtor. Fiorent. l.7. c.92. *Miſſer Ammiraglio, come ti chiace, da parte del Commun di Sorrienti prendi queſte palombele, e prendi queſti Auguſtarii per un taglio di calze.*

tus famulatu eis primo occurrit, quem Prætorem Auriam putantes humaniſſime ſalutarunt, nuntiumque expoſuerunt; quam rem jocoſe nimis deſcribit hiſtoricus. At illud ex hoc firmiſſime elicitur, Surrentinos id donum, brevemque orationem Reipublicæ nomine expoſuiſſe.

Zonar. Annal. t.3. In Baſilio Macedone

V. Scipion. Ammirat. Delle Famiglie Nobili Italiane Tit. del Grand' Ammiraglio.

V. Caſſan. in Catalog. Glor. Múd. par. 9. conſid. 16. ubi tempore Cóſtantini uſurpatam fuiſſe tradit.

Frecc. De ſubfeud. l. 1. tit. De Offic. Admirati Maris.

L. Sejus 46. ff. Ad Senat. Conſul. Trebell.

V. Hydrograph. du P. Fournier l.7. c.1. & 2.

VII. Patet inſuper, Surrentinam Rempublicam adhuc ea tempeſtate conſtitiſſe, & bellicas habuiſſe naves, earumque Prætorem, qui vernaculo ſermone *Ammiraglio* dici cœpit; vox ab Agarenis deducta videtur, quam etiam uſurpant poſteriores Græci Zonaras, Cedrenus, Poanſes &c. & Provinciæ rectorem denotat; Latini barbari *Admiralum*, & *Admiratum* vertunt. Freccia autem cum aliis jam inde ab ætate Conſtantini Magni Latinitate donatam fuiſſe putat, quod cum aliis quiſquiliis de more tradit ex manuſcripto codice.

A Javoleno Jureconſulto claſſis præfectus Archicubernius, vel potius Archigubernes appellatur, ut Dionyſius Gothofredus exponit. Sicanarum rerum ſcriptores tradunt Majonem Guilielmi I. Siciliæ Regis *Admiratum Admiratorum* ſe ſubſcripſiſſe; quod plures in utroque Regno tunc claſſes in portubus fuiſſent, quibus plures rectores præerant, Comites dicti in notitiis utriuſque Imperj; & ipſe Regis Siciliæ maris præfectus omnibus imperaret. Quocirca & ipſam Surrentinam Rempublicam ſuis navibus Admiralum præfeciſſe credendum eſt, qui mandatis Conſulis obtemperaret; cujus juſſu ratis, de qua ſermo, ad Rogerium Auriam expedita fuit.

Poſt

VIII. Poſt hæc autem tempora Rempùblicam Surrentinam Regno accenſitam fuiſſe, & Carolo II. Andecavenſi, qui ob plurimas calamitates ſucceſsivum rexit imperium, paruiſſe in comperto eſt, & Reipublicæ formam amiſiſſe.

Tunc ordo nobilium in duas Curias, (*Sedilia* vocant) ſejunctus eſt, quarum alteri *Dominovæ*, alteri *Portæ* nomen factum eſt.

# CAPUT XX.

*De Viris illuſtribus Surrentinis, ubi detegitur error eorum, qui Paſcilem clariſſimum Grammaticum Surrentinum faciunt.*

I. NOs, qui Robertum ampliſsimæ ditionis Campaniæ Principem Surrentinæ patriæ vindicavimus, virum literatum, celebrem ſcilicet Grammaticum e Surrentinorum catalogo, ut veritatem faciamus, amovendum omnino eſſe cenſemus. Frater Leander Albertus, qui Italiæ Chorographiam deſcripturus a doctis viris peculiarium regionum exquiſitas notitias ſciſcitatus eſt, de Surrentina regione a Cæſare Molignano Patricio Surrentino rerum Surrentinarum ſcrutatore breviſsimas illuſtriorum virorum patriæ illius memorias aucupatus eſt. Molignanus primum locum tribuit Craſsitio Paſcili, ſive Paſidi inter egregios Grammaticos a Suetonio relato. Rem inexploratam in ſuam Italiam bonus Frater Leander inſeruit

Fra Leand. Alber. nell'Italia al titolo Picentini. *Diede gran no-*

*me a queſta Città Craſſitio Libertino cognominato Paſcile con le Lettere grammaticali, il quale fu maeſtro della nobiltà Romana, e maſſimamente di Giuliano, e di Antonio figliuolo di Antonio del Maeſtrato di tre Uomini, come ſcriſſe Tranquillo.*

Caraf. Hiſt. di Napoli l. 1. pag. 4. §. Sorrento Città.

Capac. Hiſt. Neap. l. 2. c. 12. tit. Illuſtres viri.

ſeruit, ſcriptum relinquens, præclaram Surrentinæ Urbi famam ob Grammatices peritiam Craſſitium peperiſſe. Johannes Baptiſta Carafa idem tradit de Craſſitio, quem Craſſinium vocat, additque, ab Auguſto Agrippam, quem adoptaverat, Surrentum miſſum fuiſſe, ut morum philoſophiam addiſceret a Craſſitio, ac deinde relegatum in Inſulam.

II. Rurſus Cæſar Capacius idem de Craſſitio repetit, & Surrento Romam accerſitum fuiſſe ad juventutem edocendam ex Suetonio tradit. Sed opinor, hos omnes, alioſque pro ea re Suetonium allegantes, hunc eumdem, cujus locum non indicant, in hoc textu numquam vidiſſe. Porro laudatus Suetonj locus extat libro *De Illuſtribus Grammaticis* capite 18. qui Craſſitium non Surrentinum, ſed Tarentinum facit; non pigebit integra heic auctoris verba excribere, quæ ſunt hujuſmodi: *Lucius Craſſitius genere Tarentinus ordinis Libertini, cognomine Paſides, mox Panſam ſe tranſmutavit. Hic initio circa ſcenam verſatus eſt, dum mimographos adjuvat, deinde in Pergula docuit, donec, commentario Smyrnæ edito, adeo inclaruit, ut hæc de eo ſcribantur:*

*Uni Craſſitio ſe cedere Smyrna probavit.*
*Deſinite, indocti, conjugio hanc petere.*
*Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle,*
*Interim cui ſoli nota ſua extiterint.*

*Sed quum doceret jam multos nobiles, in his Julium Antonium Triumviri filium, ut Varrio quoque Flacco comparetur, dimiſſa repente ſchola, tranſiit ad Se-*

ptimj

*ptimj philoſophi ſectam*. Huc uſque Suetonius. Verba deſumta ſunt ex emendatiſſimis codicibus, quos diligentiſſime diſcuſſit Auguſtinus Babylonius, qui Suetonium ad uſum Delphini edi curavit, & notis illuſtravit.

Quid porro commune Tarento cum Surrento, niſi alliteratio? Miror inſuper, pleroſque Tarentinarum rerum ſcriptores Craſſitium hunc ſilentio præteriiſſe.

III. Id etiam mihi ignotum, unde innotuerit Carafæ, Agrippam ab Octaviano miſſum fuiſſe Surrentum, ut probitatem morum addiſceret, indeque, quum ibi non proficeret, in Inſulam relegatum. Suetonius enim de Octavio hæc refert: *Poſtquam tertium nepotem Agrippam, ſimulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege Curiata; e quibus Agrippam brevi ob ingenium ſordidum, & ferox abdicavit, ſepoſuitque Surrentum*. In pœnam igitur pravorum Agrippæ morum ea facta fuit abdicatio. In Inſulam vero Planaſiam relegatus artibus Liviæ, quæ ſenem Octavium dementaverat, Tiberiumque ad imperium omni conatu promovebat, ut inquit Tacitus de Livia: *Nam ſenem Auguſtum devinxerat adeo, ut nepotem unicum Agrippam in Inſulam Planaſiam projiceret, rudem ſane bonarum artium, & robore corporis ferocem, nullius tamen flagitj compertum*. Scholiaſtes vero Juvenalis non in *Planariam*, ſed in *Siciliam* relegatum fuiſſe tradit.

Sueton. in Octavio.

Tacit. Annal. l. 1 ſub initium.

# CAPUT XXI.

*Recoluntur Surrentini ingenio, ac Sapientia præſtantiſſimi.*

I. NE videar nonnihil Surrentinæ gloriæ detraxiſſe, quod Paſcilem egregium Grammaticum e Surrentina Republica ablegaverim, pro uno illo Craſſitio paucos heic doctiſſimos ſane viros, nobileſque colligam, quorum unuſquiſque pluris, quam mille Craſſitii faciendus.

## QUI FUERUNT E SURRENTO CARDINALES.

### *LANDULPHUS VULCANUS.*

Apud Ciaccon. edit. Roman. ann. 1677. tom. 1. fol. 829. & 892.

I. APud Alphonſum Ciacconium recentioris editionis cum acceſſione, & recognitione Auguſtini Oldoini duo Landulphi Cardinales memorantur, non adeo tempore inter ſe longinqui; amborum patria, ac familia ignoratur. Primi mentio eſt in tabulis conſecrationis Eccleſiæ Caſinenſis, in quibus ita reperitur ſubſcriptus: *Landulphus Cardinalis Presbyter*; quæ Eccleſia quamvis dedicata fuerit ab Alexandro II., ut non ſemel nos alibi attigimus: tamen a Nicolao II. hunc creatum Cardinalem Ciacconius affirmat; verum incertum omnino eſt, a Ni-

a Nicolao ne, an potius ab Alexandro tantum honorem acceperit Landulphus. Alter poſitus eſt inter Cardinales ab Urbano II. renuntiatos, & dicitur Landulphus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentj in Lucina, cujus meminerunt diplomata Paſchalis II. pro Monaſterio Mantuano S. Benedicti anno 1107. data. Quapropter inter Cardinales ab ipſo Paſchali II. creatum eum numerant Panvinius, & Aubery. Quid nos certi hac in re aſſeramus, prorſus non habemus, niſi unum ex his fuiſſe ex nobiliſſima Vulcana familia Surrentina, ut conſtat ex mſ. monimentis, quæ apud Vulcanos Surrenti ſervantur. Ex illis enim liquet, fuiſſe Landulphum Vulcanum Cardinalem, ut etiam refert Capacius. Libenter affirmaremus, Landulphos hoſce minime multiplicandos, ſed unum eumdemque fuiſſe Landulphum Vulcanum, tam illum, qui conſecrationi Caſinenſis Eccleſiæ interfuit, quam eum, qui a Paſchali II. memoratur; præſertim quum utriuſque tempora poſſent facile convenire; ſed id certo non audemus adſtruere, quum firmioribus conjecturis deſtituamur.

Capac. Hiſt. Neap. l. 2. c. 12. tit. De Vir. Illuſtr. Surrent.

## *MARINUS VULCANUS.*

II. EX ampliſſima hac Vulcanorum familia alter fuit Cardinalis nomine Marinus ab Urbano VI. Summo Pontifice ejus propinquo creatus, quem licet præterierit Capa-

pa-

pacius, celebris tamen eſt ejus apud Surrentinos memoria, & apud mſ. codices ejuſdem familiæ, ſed non eſt ille Marinus, quem in Cardinalium numerum aſcivit Urbanus VI. in tertia Cardinalium creatione anno 1381. menſe Decembri, & licet hic nuncupetur apud Ciacconium Marinus de Judice, alias de Vulcano: tamen id per errorem credimus aſcriptum. Fuit enim hic Marinus patria Amalphitanus ex nobiliſſima illa familia *de Judice*, quæ adhuc ibi ſupereſt. Vir extitit ſummo quidem ingenio præditus, Archiepiſcopus Tarentinus, Commendatarius Eccleſiæ Averſanæ, & S. R. E. Camerarius, ac variis legationibus ad plures Italiæ principes, & præcipue ad Ludovicum Hungariæ Regem functus eſt, quando ei Urbanus ita ſcripſit: *Venerabili Fatri Marino Archiepiſcopo Tarentino, adminiſtratori Eccleſiæ Averſanæ, Camerario noſtro*. Demum Cardinalis creatus fuit ab eodem Urbano VI., & Baſilicæ Liberianæ Archipresbyter. De eo etiam Ughellus.

V. Ciaccon. t. 1. ſub Urban. VI.

Ughell. De Epiſc. Tarentin. t. 8. V. Ciaccon. t. 2. ſub Urbano VI. fol. 661.

II. Verum ille, qui e nobiliſſima Vulcana familia Surrentina ortum habuit, fuit Marinus, alias Marinellus Bulcanus primæ literæ mutatione nuncupatus. Hic Urbani VI. propinquus quum eſſet Protonotarius Apoſtolicus, Prior Eccleſiæ Barenſis ſancto Nicolao ſacræ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Theſaurarius ad Carolum III. Regem Regno Siciliæ recens potitum Nuntius Apoſtolicus miſſus fuit, cui id temporis ita ſcripſit Ur-

Urbanus: *Dilecto filio Marino Bulcano Priori ſeculari Eccleſiæ ſancti Nicolai Barenſis, ſubdiacono noſtro, in Regno Siciliæ, & in terris citra Pharum pro nobis, & S. R. E. Theſaurario Generali ſalutem*. Inde in quarta creatione anno 1384. Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Novæ creatus ab eodem Urbano, & S. R. E. Camerarius. Vir fuit ſummi conſilj, & in expediendis negotiis promtus, ac diligens. Aſſisj, ubi una cum Romana Curia verſabatur, VI. Idus Auguſti die Saturni non anno 1393., ut ſcripſit Ciacconius, ſed uti ex libris obligationum, qui ſervantur mſ. in Vaticano, & ex ejus tumulo colligitur, anno 1394. immortalem ſui nominis famam relinquens deceſſit. Sepultus fuit Romæ in ſua Diaconia ſanctæ Mariæ Novæ in Sepulcro ex Pario marmore extructo cum inſcriptione hujuſmodi:

*Cardinibus ſanctæ Cardo famoſus in almis*
*Eccleſiæ, cujus Camerarius omnia toto*
*Geſſit amore vigili major, quam mente gerendis.*
*Semper erat magnus animo, conſultus aperto,*
*Parthenope natus Bulcana ex prole Marinus;*
*Aſtra petens pulcro liquit ſua membra ſepulcro,*
*M. ſemel, & C. ter, novies II. quater adde.*

In ea vero ubi dicitur apud Ciacconium *novies* II. crediderim ſcribendum potius novies X. quæ nota novies repetita nonageſimum numerum efficit.

Ne-

V. I diſcorſi delle famiglie eſtinte foraſtiere, o non compreſe ne' Seggi di Napoli imparentate con la Caſa della Marra composti da D. Ferrante della Marra, e dati in luce da D. Camillo Turini Napoletano l'anno 1641. pag. 250.

Neque quidquam officit, quod in hoc monimento *Parthenope natus* dicatur Marinus. Neapoli enim primum lucem aſpexit, ſed ex gente Vulcana, quæ Surrenti adhuc extat generis amplitudine, ac nobilitate celeberrima, ut liquet ex hujus familiæ mſ. monimentis, & obiter tradit Dominus Ferrandus de Marra, qui inſuper pluribus ſibi ſanguinis propinquitate conjunctis, & nobilibus Regni viris libenter gratificatum refert Urbanum VI., & præcipue *Riccbardum Agellium*, vulgo *d' Ajello*, ſupremum Romæ Senatorem creaſſe.

Idem pag. 251.

## *NICOLAUS ACCIAPACCIA.*

III. Cardinalatus honorem præterea conſecutus eſt Nicolaus ex clariſſima Surrentina quondam familia de *Acciapacio*, quæ jam eſſe deſiit, ab Eugenio IV. ſummo Pontifice, qui in tertia Cardinalium creatione anno 1439. die Saturni 18. Decembris Florentiæ in Concilio Generali, quum decem, & ſeptem Cardinales crearet, ea dignitate Nicolaum auxit, qui Decretorum doctor, ut ait Capacius, ex Tropienſi Epiſcopo Surrentinus primo, ut eſt apud Ciacconium, mox Capuanus Præſul, ac demum creatus Presbyter Cardinalis Titulo ſancti Marcelli, & vulgo Cardinalis Capuanus nuncupatus. Sed eo Archiepiſcopatu, reditibus, & Eugenj Pontificis benevolentia privatus in gratiam Al-

V. Ciaccon. cum acceſſion. Auguſt. Oldoin. Tom. 2. ſub Eugen. IV. fol. 902.

phon-

phonſi Regis Neapolis, cui inimicus fuit, quod Renati Andecavenſis partibus faveret, ipſo Renato ejecto, Alphonſi Regis liberalitate omnia recuperavit, ut ex veteribus mſ. monimentis Averſæ in Divi Laurentj ſervatis teſtatur Cæſar Capacius. Poſt Eugenj obitum Romam rediens magno Cleri, populique plauſu exceptus fuit; & quum vir eſſet perſpicacis ingenj, magnæ prudentiæ, multarumque literarum, & ad maxima quæque factus, ſupremam Pontificatus dignitatem illi quiſque prædicebat; ſed quod de eo augurari certo putabant, minime erat in fatis. In Comitiis Pontificiis pro Nicolao V. ſuffragium tulit, poſt cujus electionem ſtatim obiit die 3. Aprilis anni 1447. & ſepultus fuit in D. Petri. Romæ prope Templum ſanctæ Mariæ in *Via Lata* palatium excitavit, dum viveret, quod modo poſſident Aldobrandinorum hæredes.

Qui vero contendunt fuiſſe ex familia Acciapacia non Surrentina, ſed Neapolitana, aut ex Spaſiana, facile refelluntur ex actis, quæ inter eam familiam, & nobiles Sedilis Capuani interceſſerunt, & ex iis, quæ in actis Neapolitanorum Regum leguntur apud Capacium hujuſmodi: *Nicolaus Cardinalis, Rencius, & Ladislaus Acciapaccia, & alii nobiles Domicelli Surrentini.* Falſum etiam putamus, quod apud Ciacconium legitur, fuiſſe ſcilicet Archiepiſcopum Surrentinum. Id enim in actis Conſiſtorialibus non invenit Ughellus. Capac. ibidem.



Digitized by Google

Gregorium Corteſium virum ab ingenio, ſcientia, & libris ſcriptis, ac familiaritate cum primis Europæ eruditis celeberrimum, & Cardinalem a Paulo III. creatum nonnulli ex nobiliſſima Corteſiorum Surrentinorum familia faciunt; verum egregie falluntur. Mutinenſis enim fuit, ut recte advertit Capacius, & Ciacconius.

Capac. loc. cit. Ciaccon. tom. 3. ſub Paul. III.

## *ANSELMUS MARZATUS.*

IV. SUrrentinus vero fuit Frater Anſelmus Marzatus. Hic ex clariſſima Marzatorum Surrentinorum gente ortus Monopoli in Hernicis, ubi pater Gubernatoris nomine præfuit, Claudius primo appellatus fuit, ſed poſtea inter Fratres ſancti Franciſci, qui *Capuccini* dicuntur, aſcitus, mutato nomine Anſelmus vocari cœpit. In celeberrima, continentiſſimaque ea familia optime inſtitutus, atque imbutus literis brevi abſolutiſſimus concionator evaſit; hac de eo evulgata fama, Apoſtolicus concionator Romæ renuntiatur: quo in munere ita ſe geſſit, ut arguendi libertate, ſuavitateque in dicendo, voce ſonora, amplis lateribus, ſtatura procera, gravitate, majeſtateque, qua verbum Dei enuntiabat, ita auditoribus, & præ ceteris Clementi VIII. Summo Pontifici placuerit, ut hujus animum ſibi maxime devinxerit. Cœnobio Romano præfuit, & Provincialis factus Mediolanenſem, Barenſem, & Romanam Provincias rexit;

V. eumd. tom. 4. fol. 362. ſub Clement. VIII.

Fer-

Ferrariam abiit cum ipſo Clemente, unde rediens Cœnobio Romano iterum præficitur, tum Theologus Congregationis ſancti Officj, & Procurator Generalis eligitur, inde Presbyter Cardinalis ab eodem Clemente Titulo ſancti Petri in Monteaureo creatur, vulgo a loco nativitatis *Cardinalis de Monopoli* dictus. Fuit ut vitæ integritate, ita literis, ſacriſque ſcientiis Eccleſiæ Dei quam maxime utilis. Tuſculi quum diverſaretur, inopina morte correptus eſt pridie Kal. Septembris anno 1607. Corpus Romam delatum in Eccleſia ſui Tituli ſepultum fuit; aſperam, ruidamque ſuæ Religionis veſtem juxta Capuccinorum inſtitutum numquam dimiſit, induit Cardinalatus habitum, ſed ſemper ſine induſio, ſui Ordinis jejunia ad unguem ſervavit, & dies præſertim Veneris, ac Saturni pene jejunus tranſigebat pauco pane, & vino contentus, quibus rebus ut exemplo aliis fuit, ita magnam boni nominis famam ſibi comparavit.

## §. II. *DE EPISCOPIS, QVOS ECCLESIÆ DEI DEDIT SVRRENTVM.*

Heic minime animus nobis eſt, omnes eos Epiſcopos percenſere, qui ad regendas Eccleſias e Surrento ſelecti fuerunt; nimis enim opus excreſceret, neque id nobis otj ſuppetit; quamobrem ex iis plurimis unius, vel alterius celebrioris quidem nonnulla non prætereunda leviter attingemus.

## *I. PETRUS SURRENTINUS ARCHIEPISCOPUS NEAPOLITANUS .*

Chioccarell. In Antiſtit. Neapolit. Eccleſ. Catalogo .

INter illuſtres viros Surrentinos Petrus connumeratur Eccleſiæ Neapolitanæ Archiepiſcopus , de quo multa præclara habet Bartholomæus Chioccarellus Neapolitanarum antiquitatum diligens ſcrutator .

Floruit autem Petrus teterrimis illis temporibus , quibus Chriſti Eccleſia tam Imperatorum armis , quam hæreticorum verſutiis , atque impietate vexabatur . Irrepſerant in Italiam e Galliæ Toletana , & Vaſconica provincia Cathari , qui corrupte , ut advertit Cironius in quinta Canonum collectione , *Gazeri* dicebantur , Novatiani errores ex orco revocantes : Patareni , vulgo *Patarini* , qui Manichæorum ſtultitiam innovabant , ita dicti , quod ex Patara urbe Lyciæ prodierint : Pauperes Lugdunenſes , ſeu Waldenſes , qui ſua bona omnia in eleemoſynas vertentes ſe veros Eccleſiæ magiſtros , etſi rudes , & imperiti eſſent , nimis audacter jactabant .

V. Nicol. Sander. De Veſtib. Monach.
Spondan. ad ann. 1198.
Binn. in Not. ad Concil. 3. Lateran.
Emeric. in Director. S. Inquiſit.
Privol. De Hæretic.
Alphon. a Caſtr. Hiſt. hæreſ.
Bernin. Iſtoria dell' Ereſie , aliique .

Putidas horum fallacias Romani Pontifices Alexander III. , & Innocentius III. in Generalibus Conciliis detexerunt , & profligarunt . Lucius III. in Veronenſi congreſſu cum Friderico II. diris devovit , ipſique Imperatori , ut temporali etiam gladio in auctores , fautoreſque animadverteret , ſtimulos addidit , publicata celebri conſtitutione : *Ad abolendam* .

In V. Decretal. l. c. Ad abolendam 3. De Hæretic.

II. Ut

II. Ut vero accuratius caverent, ne ab hujuſmodi lupis rapacibus quidquam pateretur detrimenti Grex Domini, ad augendos cuſtodes animum appulerunt Romani Pontifices, atque arduam evellendarum hæreſum provinciam, & catholicarum veritatum prædicandarum doctiſſimis ſancti Dominici Fratribus demandarunt, unde illi familiæ *Ordinis Prædicatorum* nomen factum. Hos a Gregorio IX. ſibi commendatos mirum quidem quanto ſtudio, caritate, liberalitateque Neapoli exceperit vigilantiſſimus illius civitatis Archiepiſcopus Petrus Surrentinus, qui, ut ibi ſtabilem pedem figerent, curavit, obtinuitque, ut Monachi ex antiquiſſima, ampliſsimaque ſancti Benedicti familia, qui præclariſſima Neapoli poſſidebant monaſteria, Templum, ædeſque ſuas *ſancti Angeli ad Morſiſam* nuncupatas advenientibus Dominicanis concederent, ubi modo extat perauguſtum templum D. O. M. in honorem ſancti Dominici nuncupatum, & ampliſſimum miræ ſtructuræ Cœnobium.

III. At vero non modo in evellendas hæreſes, ſed etiam in extirpandam Simoniæ labem, quæ hæreſi proxima eſt, omnes ſuas curas, cogitationeſque contulit Petrus, qui præterea fuit in inſtituendo Clero vigilantiſſimus, in excitandis, ornandiſque ſacris ædibus munificentiſſimus, ut proinde plures lapides ſuis encomiis inſcriptos meruerit, quos excriptos operi ſuo inſeruit Chioccarellus. Hunc igitur Archiepiſcopum Surrenti natum,

ubi

ubi ego viginti ſex annorum ſpatio Eccleſiam rexi, qui Neapolim patriam meam feliciter illuſtravit, innominatum relinquere minime paſſus ſum.

## *II. ANTONIUS AGELLIUS EPISCOPUS ACERNENSIS.*

I. NEque heic pauca innuere prætermittam de AntonioA gellio Surrentino ex illuſtri familia, vulgo *d'Ajello*, ut eſt apud Johannem Baptiſtam de Tuſo Clericum Regularem, & poſtea Epiſcopum Acerrarum. Antonius hic, de quo etiam in prima parte obiter memini, præclariſſimæ ſancti Cajetani Thienæi familiæ Neapoli nomen dedit, in qua dum vixit, a vitæ, morumque integritate, & ſcientiarum fere omnium, quibus erat quam maxime excultus, laude, & a ſacrarum præſertim literarum, in quibus plurimum verſatus extitit, intelligentia, & cognitione commendatiſſimus fuit. Is magni olim Sirleti Cardinalis alumnus hunc magiſtrum ſuum ut Orientalium linguarum, quarum peritia in primis excelluit, uſu, & exercitatione, ſacrorumque librorum ſtudio æquavit, ita elucubratis, editiſque eruditiſſimis monimentis, quibus Rempublicam ditavit literariam, longe ſuperavit. Romæ quum degeret, præclaro, immortalique operi, Verſionis nempe Septuaginta Interpretum correctioni, Vulgatæque editioni inſtaurandæ admotus fuit; cui gra-

Johan. Baptiſt. De Tuſo Nell'Iſtoria de' Chierici Regolari, e principalmente nel cap. 70. pag. 271. & ſeq.

Joſeph. Silos Hiſt. Cleric. Regul. p. 1. l. 13. ann. 1575. pag. 532. & ſeq.

gravi quidem provinciæ ſuſcipiendæ quam idoneus, appoſituſque viſus ſit, quantoque adjumento fuerit, teſtatus eſt Maldonatus, qui ad idem explendum negotium evocatus, poſtquam cum Agellio collocutus fuiſſet, inquit: Quid opus fuit me a pugna cotidiana, conflictationeque cum hæreticis huc revocare, ut cum aliis accuratæ ſacrarum Scripturarum editioni vacarem, quum Romæ ſit Agellius, cujus unius opera, atque eruditio ſatis, ſuperque tanto operi eſſe potuiſſet? Quod etiam expreſſit doctiſſimus Bellarminus, qui ingenue faſſus fuit, ſe in divinorum Codicum emendatione Theologum egiſſe, ut quæ ſuboriebantur dubia juxta ſacram Theologiam enodaret, ceterum quod ad Germanam Scripturarum integritatem pertineret, unum Agellium inſtar omnium fuiſſe. Ejuſdem quoque, quem in intimis habebat, opera, & ingenio uſus fuit in OEcumenicis Conciliis qua colligendis, qua emendandis doctiſſimus Cardinalis, & de ſcientiis, & Republica literaria optime meritus Antonius Carafa, qui poſt Cardinalem Sirletum Vaticanæ Bibliothecæ præfuit. Quumque majorem in dies nominis famam conſequeretur, ejus fidei, doctrinæque Hippolytum Aldobrandinum nepotem ſuum inſtituendum concredidit P. M. Clemens VIII., qui eumdem Agellium invitum quidem, atque omnino reluctantem (ut ipſemet data ad Latinum Latinium familiarem ſuum epiſtola luculentiſſime teſtatus eſt) Epiſcopum Acernenſem deinde renuntiavit die 24. Novembris anni

V. eumdem ibidem ann. 1595. pag. 67.

ni

V. eumdem ibidem.

ni 1597. Ea dignitate auctum Romæ adhuc conſiſtere eum voluit Pontifex, ut virum publicis Eccleſiæ negotiis opportuniſſimum, quum opus eſſet, præſentiſſimum haberet. Quod ipſe ægreferens repetitis precibus impetravit, ut ſedem ſuam, ac oves ſibi concreditas tandem aliquando inviſeret. Sed Eccleſiæ ſuæ parum adeſſe præſens potuit; ejuſdem enim Pontificis imperio ſemel, & iterum revocatus ad graviſſima expedienda negotia, Romam repetere coactus fuit; ubi multa ei demandata, & præcipue ut Talmudicos Codices percurreret, preſſoque ungue vellicaret; qua quidem in re ut ſummam eruditionem, ita & incorruptum animum, ac ferreum pectus præſetulit. Quum enim ex Agellj ſententia plurimum ſibi impendere detrimenti ſentirent Judæi, illius integritatem ingenti pecuniarum vi concutere, & conſtantiam ſuperare ſtuduerunt. Sed idipſum, in quo ſpem omnem poſuerant, plurimum eis nocuit. Malis enim hiſce artibus appetitus vir integerrimus tanto zelo exarſit, ut in ſeveriora conſilia ad tantam peſtem amovendam Clementis VIII. animum vehementius impulerit; qui Pontifex per idem tempus Agellj curæ commiſit Silveſtrum Aldobrandinum Cardinalem S. Cæſarj lectiſſimum juvenem pronepotem ſuum, ut hujus eruditionem expoliret, perficeretque; quo magiſtro mirum ſane, quantum profecerit, quantamque laudem ſcientiarum acceſſione ſibi comparaverit. At vero quum diutius, quam par eſſe duceret, longe

ge ab Eccleſia ſua ſe detentum animadverteret; neque proximi reditus ſpes ſibi ulla effulgeret, ne ovibus ſuis amplius deeſſe videretur, apud Summum Pontificem pro Epiſcopatus abdicatione ſæpius inſtitit. Crebris devictus precibus tandem illum volentem, lubentemque, ut univerſalis Eccleſiæ bono Romæ præſens adeſſet, eo munere idem Clemens abſolvit anno 1604., aſſignatis eidem in Pontificio Palatio ædibus ad habitandum, & pingui cenſu attributo cum cotidiano demenſo aliis Pontificis familiaribus dari ſolito, ut dignitatis ſuæ amplitudinem ea, qua par erat, gravitate, ac magnificentia præſeferre, & ſtudia literarum, quarum amore unice tenebatur, commode fovere poſſet, ac perſequi. At navatos in communis Eccleſiæ bonum ab Agellio labores decentius honeſtaſſet ipſe Clemens VIII., ut teſtatus fuit Bartholomæus Cardinalis Cœſius, referente Bolvito, primaria quidem dignitate, ſi perſuaſum ſemel habuiſſet fore, ut vir eximie pius, ac ſeveriori religioſæ diſciplinæ inſtituto aſſuetus, addictiſſimuſque aulæ ſeſe officiis, moribuſque potuiſſet paulisper accommodare. Romæ, ubi bonam vitæ ſuæ partem, diuque & Clericus Regularis, & Epiſcopus immoratus eſt, in tanta apud eruditos exiſtimatione fuit, ut viva quædam Bibliotheca audiret.

Silos part. 1. l. 13. ann. 1575. p. 534. & parte 2. lib. 1. ann. 1595.
Bolvitus in Syllexi.

II. Plura ſcripſit, recenſuit, emendavit, & e Græco tranſtulit, ſed pauca publici juris fecit, præſertim aureum, ut cum Ughello loquar, illud

Ughell. Tom. 7. Ital. Sac. ubi de Epiſcop. Acernen.

abſolutiſſimum ſane, & ſupra omnem invidiam, ſtudiumque expolitum opus in Pſalmos Davidicos univerſos, & in Cantica, quæ in Romano Breviario recitantur, quod communi plauſu exceptum; & paulo poſt Pariſiis recuſum ſummis laudibus extollit Bolvitus; & Martinus *del Rio* nunquam de eo, niſi præſtanti addita auctoris laude, meminit. Sed, quod potiſſimum eſt, hanc Agellj in Pſalmos elucubrationem tanti fecit doctiſſimus Cardinalis Bellarminus Societatis Jeſu, & totius Eccleſiæ Catholicæ lumen, & ornamentum, ut non modo ſumma laudum ſignificatione commendarit: verumetiam ea jam evulgata, ſuum in Pſalmos commentarium diu edere renuerit, ut ipſemet teſtatus fuit Antonio Caraccjolo, qui eum conveniens Pſalmos Agellj, qui non ita pridem lucem aſpexerant, offendit legentem.

Bolvit. In ſcriptor. Theatinor. Syllex.
Martin. del Rio in Adag.Sac.

III. Typis quoque expreſſa eſt Agellj explicatio in Lamentationes Hieremiæ, & interpretatio ſancti Cyrilli Alexandrini *De Adoratione in ſpiritu, & veritate* (quos duos libros legi in celeberrima Bibliotheca Barberina) & eruditiſſimæ notæ in quinque ejuſdem Cyrilli libros Contradictionum adverſus Neſtorj blaſphemias quos e Græco tranſtulit (opus Latinis hominibus ad illam uſque diem prorſus ignotum, quod typis Vaticanis Romæ primum ipſe evulgavit, & Paulo V. P. M. nuncupavit; cui operi annexuit duas epiſtolas ad Succeſſum Epiſcopum ab eodem Cyrillo datas, & Procli Patriarchæ Con-

ſtan-

ſtantinopolitani epiſtolam ad Armenios, omnia ab eo Latine facta) attextæ Tom. VI. operum ipſius Cyrilli editionis Lutetiæ anno 1638. adornatæ cura, & ſtudio Johannis Auberti, ex quibus licet non adeo multis facile colligi poteſt, quanta Hebraicæ, Græcæque linguæ peritia, & ſacrarum literarum, ac rerum Theologicarum ſcientia, & cognitione valuerit. Commentaria vero in Salomonis Proverbia inchoata, (ut tradit ex Joſephi Silos hiſtoria Ughellus) nec dum ad auctoris judicium, limamque deducta minime paſſus eſt deperire Aloyſius Novarinus, cujus opera in medium prodierunt; quamobrem ea commentaria potius ipſi Novarino deberi putant Ughellus, & Silos; ſed id benevolentia fortaſſe ducti in Novarinum. Ceterum meminiſſe debuerat ipſe Silos quæ alibi antea ſcripſerat, videlicet: *Et, quod maxime dolendum, excidere in Proverbia Salomonis vigiliæ, quas vidiſſe ſe ad umbilicum perductas, teſtatur Ghislerius, ac juſte conqueritur, ex integro quidem corpore, contextuque operis vix pauca quædam fragmenta, ſive oſſicula reperta in ejus ſcriniis fuiſſe, quæ penes Vincentium noſtrum Ricchardum modo ſunt: ablatos nimirum præclaros eos labores poſt auctoris obitum nemo eſt, qui dubitet, uſitato profecto mortalium more maxime cupientium alienis opibus, ac pompa ſplendeſcere.* Quis igitur non potuerit ipſum Novarinum de crimine plagj merito poſtulare, vel quempiam alium, qui poſtea ipſum Novarinum eo furto ditaverit? Sedulam

Silos part.2. l.5. ann. 1608. p.205.

Iii 2 quo-

quoque operam locavit Agellius in Pſalterj ad uſum Gallicanum appellati emendatione, cujus adhuc uſus in S. Petri Baſilica Vaticana perdurat. Opus adornavit, expolivitque una cum Mario Alterio Canonico Vaticano, ejuſque Capituli Theologo, viro clariſſimo, eruditiſſimoque, qui Agellj conſuetudine ita delectabatur, ut ſæpe illum in Quirinali Cœnobio convenire, ejuſque urgere, ac juvare ſtudia ſoleret. Extat Pſalterium hoc Vaticanum Agellj manu emendatum in ſancti Silveſtri Cœnobio Quirinali, teſte Silos.

Silos p. 1. l. 13. ann. 1575. p. 532.

IV. Cetera, quæ typis excuſa ſunt, recenſet aliquantum mendoſe tamen Toppius in ſua Bibliotheca, qui maximis Agellium laudibus ornat; ſed in eo præſertim lapſus eſt, quod eum Acerrarum Epiſcopum, non Acernenſem faciat. Alia plurima ſcripſit Agellius, quæ nondum lucem publicam aſpexerunt, ſed partim in Bibliotheca Clericorum Regularium in Cœnobio ſancti Silveſtri Romæ ſervantur manuſcripta, partim aliorum incuria perierunt. Quæ omnia recenſet Silos, cujus verba heic recitare de Agellio non pigebit; ab illo enim inter alia ipſius opera memorantur *verſio item Catenæ Græcorum Patrum in Hieremiæ Threnos, quos & ſcholiis illuſtravit: proprii præterea commentarii in Vaticinia Abacuch Prophetæ. Excidere autem verſio Catenæ Græcæ in totum Lucæ Evangelium, & Collatio elocutionum Novi cum vetere Inſtrumento juxta verſionem*

Silos p. 1. l. 13: ann. 1575. p. 535. & ſeq.

Hoc anno 1575. Gregorj XIII. juſſu cœpit Agellius in Sacrorum Bibliorum correctione inſudare.

*nem Septuaginta .... Extant quoque Romæ mſ. opuſculum de Menſuris & Ponderibus : in Iſaiam prophetam a capite 20. ad finem: in Danielem expoſitio ; in duodecim Prophetas annotationes: in epiſtolas Pauli, & Catholicas annotationes Græce, & Latine: in tria priora capita Apocalypſis: ſelecta ex Rabbinorum commentariis in Job. Rabbi Bravatellus in Abacuch Latine: ſcholia in Dionyſium Areopagitam Græce, Pphraſeologia Demoſthenis, & Nazianzeni Græce. Denique nihil librorum eſt, quod non percurrerit Agellius, nihil non ſcripſit, utpote cujus numquam feriatus calamus eſt, aſſiduus quidem in legendo, annotando, commentando, ut præter ea, quæ enumeravimus, docent exaratæ in omni doctrinarum genere ſua manu ſchedulæ, ac paginæ, quæ allatæ ab ejus exceſſu in noſtrum Quirinale Cœnobium fuere. Extat penes nos earum cenſus, in quo confecta diligentiſſime adverſaria, ſchediaſmata, collectanea, miſcellæ, farragines: tum ad res difficillimas faculæ, ac notæ: cœptæ, abruptæque lucubrationes quamplurimæ, quædam non ultra initium explanata, quædam ducto a mediis initio delibata. Nihil in ſacris Scripturis intentatum, nihil non a Græcis, Latiniſque Patribus excertum: nullæ non annotatæ principum linguarum dictiones, notiones, phraſes. Theologica, Philoſophica, Mathematica etiam opportuniſſimum in uſum concinnata. Diſpar profecto, ac multiplex membrorum congeries, quæ utinam coaleſcere in unum corpus potuiſſent, haberent profecto ingenia quid a viro eruditiſſimo adhuc diſcerent.* Tandem tot labo-

laboribus, aſſiduaque in libris exercitatione fractus Agellius Romæ vivere deſiit anno 1608. ſextum ſupra ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum egreſſus, ſepultuſque eſt cum ſuis in ſancti Silveſtri Cœmeterio. Sed agente poſtea doctiſſimo, ſapientiſſimoque Cardinali Ceſis, apud quem ſummo loco ſemper fuerat Agellius, in Eccleſiam tranſlati fuerunt ejus cineres, & lapide ad illius memoriam ſempiternam excitato, ad ipſius Cœmeterj limen repoſiti. Qui plura de eo deſiderat, adeat Joſephum Silos, & laudatos Johannem Baptiſtam de Tuſo, Bolvitum, Ughellum, Toppium, alioſque. De eodem honorifice etiam meminit Baronius in Annalibus, & Antonius Caracciolus, & alii non pauci, præſertim, qui de recentioribus ſcriptoribus verba faciunt.

Silos p. 2 lib. 5. pag. 205.

Johann. Bapt. de Tuſo loc. ſupra cit.
Ughell. tom. 7. Ital. Sac. ubi De Epiſc. Acernens.
Topp. in Bibliothec. & alii.
Anton. Caracciol. in Moniment. Eccleſ. Neapol. cap. 2. ſect. 5.

V. Sed ne heic longus nimis eſſe videar, aliis recenſendos relinquam plures peritos, ſtrenuoſque exercituum Imperatores, providos magiſtratus, prudentiſſimos a conſiliis ſenes, præclariſſimos in Regum aulis enutritos juvenes, ſpectatiſſimas matronas primoribus viris matrimonio conjunctas, ſacerdotes vitæ integritate, omnibuſque virtutibus ornatiſſimos, ex quibus non omittam heic honoris cauſſa nominare Dominum Balthaſſarem Nobilionem virum Patricium, qui egregiis ſuis natalibus ſummam humilitatem, ſuique ipſius deſpectionem conjunxit. Tam ardenti caritate flagravit in proximum ſuum,

ſuum, & præſertim in pauperes, ut, quamvis in hos omnia pene ſua erogaſſet, ſibi tamen minime ſatisfecerit; quamobrem omnibus omnia factus pro illis ſtipem quæritare non erubuit. Aſſiduis præterea contemplationibus in Deum rapiebatur, dignus ſane, ut aureo ſtylo celebrentur ejus virtutes, & prodigia recolantur; quibus poſteri, & ipſius patria civitas permota ad illius exemplum tota componatur, atque apud ſanctam Sedem inſtet, ut in Divorum numerum, probatis antea iis, quæ opus ſunt, cooptetur. Interea pro me intercedere non dedignetur, cujus familiaritate tamquam ſui Paſtoris, & conſuetudine quaſi cotidiana lubentiſſime fruebatur. Neque heic omnes recenſeam Regulares morum innocentia, ac bonarum artium, doctrinæque laude præſtantes, qui Surrentum patriam ſuam illuſtrarunt. Sed non æquum eſt, ut omnino præteream nonnullos eorum, qui ſanguinis nobilitati quas ſcientiarum cognitione, eruditioneque ſibi compararunt, laudes conjungentes, ut familiæ ſuæ, ita Surrentinæ civitati ſempiternam gloriam pepererunt.

## *SCIPIO CAPICIUS.*

I. PRimo mihi occurrit Scipio Capicius Patricius Surrentinus e Curia Dominovæ, & Neapolitanus e Curia Nili. Is Bernardi Taſſi facundiſſimi poëtæ Italici Lyrici, Epicique conſuetudine uſus, Latinas muſas ſeveriores ad mi-

racu-

raculum excoluit; Lucretj ſtudioſiſſimus viviſſimo ſtylo illum expreſſit duobus editis libris: *De Rerum Principiis*, quos Paulo III. Summo Pontifici nuncupavit. Audi quid illi ſcripſerit Cardinalis Petrus Bembus Latinarum, Græcarumque diſciplinarum ſcientiſſimus, atque aptiſſimus ingeniorum æſtimator, & æquus judex: *Poëma de Principiis Rerum tuum heroicis carminibus conſcriptum in duos diviſum libros legi ſane libentiſſime. Eſt enim ejuſmodi, ut magnopere cum Lucretj ſtylum, & elegantiam, tum antiquorum hominum ætatem illam cultam, & perpolitam redoleat. Itaque & tibi gratias habeo, qui me jucundiſſime tua librorum lectione oblectaveris, & Taſſum noſtrum ea de re pluſculum etiam, quam ſoleo, amo; ſoleo autem, & debeo certe plurimum; quod eum puto tibi auctorem fuiſſe, ut mihi illos mitteres, ab ipſo enim accepi; quamobrem edas illos cenſeo, ſinaſque per manus, perque ora gentium pervagari. Magna enim tua laude nomen ipſum proferent, & æternitati conſecrabunt tuum. Reliqua, quum ad te redierit, intelliges. Vale IV. Nonas Julj MDLV. Romæ.*

II. Hæc clariſſimus Bembus. Majora forte ſunt, quæ ſcripſit Paulus Manutius gravis, & acer hujuſmodi rerum cenſor, qui in epiſtola nuncupatoria, qua idem poëma, quum recudit, eximiæ matronæ Iſabellæ Villamarinæ Salerni Principis uxori dicavit, hæc inter cetera de Capicio habet: *Divinum carmen eſt multis luminibus ingenj, multa arte diſtinctum. Equidem nihil legi in hoc genere*

*nere perfectius, ut ne Lucretius quidem pluris apud me ſit, quo quum antea propter ſermonis elegantiam delectarer, uterer que multum, cœpit mihi jam minus eſſe familiaris, poſtquam Capicium legi.*

Licet vero Capicius ſtyli Lucretiani ſtudioſiſſimus imitator fuerit: tamen Philoſophiam illam Epicuream abegit, atque impugnavit. Non enim inane, neque inſectiles atomos admittit, & quatuor elementa juxta Peripateticorum, vel potius Ægyptiorum mentem rerum omnium corporearum principia facit. Ægyptios porro Phyſices ante Grajos auctores appellat; quod ſi verum eſt, ab Hebræis res potius deducenda, a quibus Ægyptii ipſi edocti fuerunt, ut dilucide Marshamus demonſtrat.

## *BRUTUS CAPICIUS.*

Scipioni Capicio Brutum Capicium annectam, generis nempe decus, & liberalium facultatum delicium, qui extructos hortos, & ædes a Conrado III. Capicio Beneventano Archiepiſcopo in *Monteſarchio*, quo divertere conſueverat Ferdinandus Rex, quum in Apuliam contenderet, luculentiſſime celebravit, de quo adi Capacium. Capac. l. 1. Hiſt. Neapol. c. 12. De Illuſtr. Vir. Sur- rent.

## EPICURUS CAPICIUS.

NEque heic prætereundus Epicurus Capicius, qui cujas ſit, etſi mihi inexploratum, Surrentinum tamen fuiſſe reor. Hujus Tragicomœdiam *La Cecaria* inſcriptam olim legi, opus ſane inter Italas elucubrationes minime contemnendum.

## BERNARDINUS ROTA.

I. E Curia *Portæ* egregius poëta commemorandus Bernardinus ſcilicet Rota, qui Latinas, & Etruſcas muſas æquali cum laude excoluit, teſte egregio viro Scipione Ammirato, qui Italica Rotæ Epigrammata, vulgo *Sonetti*, atque odas, vulgo *Canzone* edi curavit, dicavitque Scipioni Gonzaghæ, cui ſcribit, quod Latina Rotæ opera brevi eſſent in lucem proditura. Mihi tamen longe politior in Italica lingua Bernardinus videtur, qui lyricis illis carminibus uxorem ſuam nobiliſſimam, ac fortiſſimam, cunctiſque virtutibus ornatam Portiam Capiciam viventem celebravit, mortuam autem luctuoſis carminibus Franciſci Petrarchæ inſtar deflevit. Verum ſeipſum ſuperaſſe videtur Rota in Eclogis Piſcatoriis. Inter Latinos vero poëtas primus Jacobus Sannazarius piſcatorias Eclogas ſcripſit, Pierideſque, ut lepide cecinit eximius Arioſtus, e montibus ad litora tran-

Scip. Ammir. nella Lettera dedicatoria: *Conoſcerà il pregio, e l'eccellenza del noſtro non meno in queſta lingua volgare, che nella Latina, come preſto, ſpero in Dio, che vedrà negli ſcritti Latini di lui, che ſono fra brieve ſpazio di tempo per uſcir fuori.*

Arioſto.
*Giacomo Sanazar, ch'a le Camene*
*Laſciar fe i monti, ed albergar l'arene.*

tranſtulit. Inter Italos primus Bernardinus Rota idipſum præſtantiſſime perfecit. Hujus Eclogæ Neapoli tertio recuſæ fuerunt anno 1572. a laudato Scipione Ammirato, qui Scipioni Mormili dicavit, aſſeruitque, adeo illis delectatam fuiſſe Victoriam Columnam Piſcariæ dominam, Italicam ſcilicet alteram Sappho, ut memoriter recitaret, & caneret. Inter illas proſam ſe inſerturum inſtar Arcadiæ Sannazaricæ, idem Ammiratus promiſit, num fidem ſuam liberaverit, ignoro.

II. Sunt eæ Eclogæ numero 14., inventione, luminibus ingenj, conceptuum varietate ad rem piſcatoriam facientium refertæ; perſpicuitas, ac evidentia in iis mira ob verborum copiam, ac delectum, elocutio nitidiſſima. Piſcatorum ſimplicitatem artificioſiſſime imitatus ſtylum aliquando materiæ accommodatum ſine ullo tumore attollit, ut præcipue in nona Ecloga, quam ſub Nicis voce Græca Victoriam Latine ſignificante Victoriæ Columnæ Natalem diem celebravit, & in undecima, in qua Ridolphi Pii Cardinalis egregiæ dotes allegorice commendantur. Interdum ſtylus mira arte deprimitur, ac ſimplex, planiorque videtur, ut quum luſus piſcatorii jucundiſſime exprimuntur.

III. Epica quoque delectatus poëſi duas edidit comœdias Italico ſermone illis Terentj minime ſecundas, immo longe præſtantiores.

Comedie: Lo Scilinguato, e gli Strabalzi. V. Dionigi Atanagi nell' Epiſtola al Sig. Gio: Girolamo Acquaviva.

Domum habuit cum ornato viridario in



Digitized by Google

Echio colle e regione Occidentem verſus Mergellinæ collem ſpectante, locumque præ aëris ſalubritate, amœnitateque adamavit, & in Æglen nympham convertit, antiquis ædibus Surrentinis relictis, quæ vetuſtate ferme collapſæ ſunt.

## *DE TORQUATO TASSO SURRENTI NATO NONNIHIL.*

I. Optimatibus pleriſque, locupletiſſimiſque Dynaſtis hoc in more poſitum eſt, ut viros pietate, indole, virtutibus, ingenio, ſcientiis præſtantiſſimos cum viventes, tum mortuos eximiis laudibus proſequantur; ſique inopia premi eos viderint, Fortunæ iniquitatem execrari, & plenis buccis accuſare cum Pierio Valeriano non deſinant, & lingua quidem miſericordiam præſeferre oſtendunt, manu vero opem præſtare vel negligunt, vel detrectant; neque precibus, neque lacrymis ad eorum levandam egeſtatem commoventur; atque omne munificentiæ officium coërcentes tales meritiſſimos viros æquis honoribus, aut dignitatibus, ut par eſſet, cumulare nihil omnino curant. Contra vero audaces homines, effrontes, verſutos, linguaque procaces, a quibus mali aliquid metuunt, omnibus munificentiæ, atque honorum officiis proſequuntur: mortuos vero vituperiis, ac labe inſectantur. Hac arte fucatum virtutis ſtudium affectant, & proborum amicitiam fovere poſſe putant, improbo-

Pier. Valer. De Infelicit. Literator.

borum nequitiam ſuperare. Revera tamen cunctis ſolertibus, ac probis illaudati exiſtunt.

Hæc ſane paſſus eſt Torquatus Taſſus vir, qui hominum conditionem exceſſit, mente ſolertiſſimus, moribus probatiſſimus, in ſtudiis literariis aſſiduus, atque indefaticabilis, humanis, ac ſacris ſcientiis ornatiſſimus, in omni poëmatum genere, quod rariſſimum eſt, præſtantiſſimus, quibus læſit neminem, laudavit plurimos, atque immortalitate donavit, ſapientibus notiſſimus, a magnatibus perquam laudatus, cunctis acceptiſſimus, fortunæ tamen iniquitate vexatus, & maxima vitæ paſſus incommoda, a nemine efficacem opem expertus, nec debitos honores vivens aſſecutus eſt.

II. Naſcitur hic Surrenti e Bernardo Taſſo, qui Bergomi Cenomanorum Italiæ notiſſima urbe nobili genere ortus erat, Neapolim vero appulſus Portiam Rubeam nobiliſſimam matronam uxorem ſibi adjunxit, affinem Serſalium præclariſſimorum patriciorum Surrentinorum. Diu poſt conjugium Surrentum amœnitatis gratia cum Portia uxore prægnante Bernardus divertit; atque in ædibus olim Magiſtrijudicum ad litorales rupes amœniſſime prominentes domicilium habuit, ubi Portia Torquatum parentum lucem, deſideriumque in vitam edidit. Ea concameratio non longum tempus ſubſtitit, ſed fluctuum concuſſione ſubſedit, pertæſa fortaſſe e trivio incolas accipere, poſtquam præclariſsimum Torquatum amiſit.

III.

III. Neapolim a parentibus Torquatus deducitur; ubi triennium agens ſummo animi ardore humanas literas addiſcere cœpit; ſeptennium egreſſus Latinam linguam a Patribus Societatis Jeſu apprime didicerat, quando ad Græcas literas animum contulit (quod mirum jure merito viſum eſt egregio viro Ægidio Menagio) & Italicam odem, vulgo *Sonetto* matri conſcripſit, tanta dignam quidem laude, ac ſi a provectæ ætatis conſummatiſſimo viro fuiſſet elucubrata.

Menag. in Antibaillet.

Adeo tenella ætate, ut vix firmo pede terram tereret, fortunæ adverſitatem firma conſtantia ferre addidicit. Egregia, quæ fecit, ac paſſus eſt, plurima ex parte memoriæ tradidit Johannes Baptiſta Manſus Villæ Marchio, qui Torquati noſtri vitam edidit. Nobis ſatis ſit dixiſſe, in eo ſumma fuiſſe omnia, ingenium, rationem, memoriam, literaturam, cogitationem, diligentiam, laborem.

IV. Italicæ poëſis via, ſive Lyricæ, ſive Epicæ, maxime vero Heroicæ, (cujus leges diſertiſſime tradidit) ad gloriam feliciſsime graſſatus eſt. Ejus opera qua carmine, qua ſoluta oratione numero plurima, eruditione ſelectiſsima in dies, crebreque prodibant. Sed eadem ipſa, quibus alii magnum ſibi nomen faciunt, Taſſo noſtro nonnihil præjudicio fuerunt. Præ multitudine, & frequentia multa ex illis deperdita ſunt; ex iis, quæ reliqua ſunt, Heroicum poëma, cui titulus *Geruſalemme liberata*, quod deinde plurimis mutatis,

Torq. Taſſo Diſcorſi del Poema Eroico.

tatis, reſecatis, additiſque *Geruſalemme conquiſtata* inſcripſit, præ ceteris in pretio eſt. Verum emunctioris naris literati omnibus poëmatibus *Amyntam* præferunt. Carolus Buragna Neapolitanus vir acerrimi judicj, ac politiſſimæ literaturæ cultor, a trium mirandorum poëmatum ſe voluptate, & admiratione rapi fatebatur, inter Græcos ſcilicet a Muſæi Leandro, & Hero: inter Latinos a Catulli Argonautica: inter Italos a Taſſi Amynta. Omnia ejus opera typographi, & excriptores nimio quæſtus ſtudio ea plerumque incomta, & inemendata primo evulgarunt; præ excellentia in multis literatis tantam invidiam excitarunt, ut ſtylum cenſuris ne, potius dicam, an ſatyris in eum acuerint.

V. His malis omnibus nuperrime occurrerunt ſolertiſſimi, ingenioſiſſimique Florentini, qui pleraque ex amiſsis tanti viri operibus collegerunt; & ſex magnis voluminibus ediderunt: ſumma diligentia priorum editorum errores emendarunt, & tandem doctiſsimas eorum apologias a diſertiſsimis viris compoſitas inſimul evulgarunt, ita & ſibi, & Taſſo, & Surrenti noſtri, ubi tantus vir ortus eſt, æternæ famæ conſuluerunt. Sed hæc pauca de tanto vate, de quo æterna fama loquitur, indicaſſe ſatis ſit.

CA-

# CAPUT ULTIMUM.

*De Surrentinorum Patriciorum præſtantia. Ubi nonnihil de nobilitate generatim diſſeritur.*

I. JAm promiſſas lucubrationes pro mea tenuitate abſolviſſe ego mihi videor. Sed mutilam adhuc rem, & inclinatam reſtare putabunt illi, qui, in hujuſmodi topographicis hiſtoriis nobilium familiarum numerum, nomina, inſtitutorem audire cupiunt, & longam eorum ſeriem, qui illas egregiis facinoribus, nobilitatiſque ſplendore locupletarunt, eorumque ſtemmata cum allegoriis effinxerunt.

Arduam ſane provinciam talia ſcribentes, diſcrimenque ſubeunt, ut in odioſa loca neceſſario adducantur, ſive omnia de qualibet familia loquantur, ſive reticeant. Præterquamquod ecquas tu nobiles familias putabis? eas, quæ egregios plures viros comprehendunt; quid ſi inter eos tabidos multos, & turpiſſimis vitiis infectos invenies? Sani, & validi vegetem, floreſcentemque familiam ſervabunt, an vero morboſi polluent, ac ſordibus inquinabunt?

Senec. De Benef. l. 4. c. 30. II. Primum quidem enixe tuetur Seneca inquiens: *Aliquando daturum me etiam indignis quædam non negaverim in honorem aliorum. Sicut in petendis honoribus quoſdam turpiſſimos nobilitas indu-*

*induſtriis, ſed novis prætulit*; proinde ſubdit, *Nos id debere virtutibus, ut non præſentes ſolum illas, ſed etiam ablatas e conſpectu colamus. Quomodo illæ id egerunt, ut non in unam ætatem prodeſſent, ſed beneficia ſua etiam poſt ipſas relinquerent*. Plura proinde congerit exempla eorum, qui propter avitam nobilitatem, quin immo indigni novis hominibus virtute præditis prælati fuerunt; qualiſcumque enim ſit, qui nobili genere natus eſt, nedum ſub umbra atavorum immunis deliteſcit, ſed ab eorum ſplendore illuſtratur; quemadmodum Solis radiis ſordida quoque loca ſplendeſcunt.

Verum adverſus Stoicum hunc reclamat ratio, at magis in eum acuendi ſtylum locus fiet Cardano. Primo quod nihil pernicioſius, exitialiuſque Reipublicæ, quam inertes hos, atque vecordes alienis meritis, ac virtutibus fucatos ad gradus, & munia evehere, qui dirum virus, velut anguis in herba occulunt. Quid magis a ſapientia abſonum, quam ita allucinari, & caligare, ut meritum in immerito cernamus? vel quid a juſtitia magis alienum, quam immeritum præmio donare? vel quid magis vere nobilium inſtitutis, factis, ac dictis contrarium? illi præſentes, poſteroſque conſilio, ope, & exemplo juvare ſtudent: hi falſo nobiles ſibi prodeſſe tantummodo ſatagentes, & ſibi, & aliis maximopere nocent. Quapropter novos homines, qui primum ſibi claris facinoribus ſtatuas, & imagines compararunt, longe antiquiſſimis nobilibus præficiendos, Marius, Ci-

Mar. Orat. ad populum penes Salluſt. De Bell. Jugurtin.

Cicer. in Recrimination. adverſus Criſp. Salluſt.

Cicero, & alii ſolertiſſime, rectiſſimeque comprobarunt.

Illuſtrantur quidem, ut Seneca innuebat, obſcuri poſteri a majorum ſplendore, veluti etiam a Solis radiis ſordida loca, ſed ut horum horror, ac teter odor magis, ac magis in aperto ſit.

Tiraquell. De Nobilitat.
Phil. De Nobilitat. in princip.

III. Eapropter multo aliter a Seneca, & rectius ſentire videtur Philo Judæus in libro περὶ Εὐγενείας (quem librum falſo ut deperditum lugebat Tiraquellus, quum integer extet,) qui hæc in principio habet: *Qui laudibus extollunt nobilitatem, ut bonum maximum, & cauſſam magnorum bonorum ipſi reprehendendi ſunt vel ob hoc, quod nobiles cenſent natos e familiis jamdudum claris, & divitibus.*

Veterem nobilitatem non eſſe deſpiciendam.

Trajan. Boccalin. Raguagli di Parnaſo Centur. 2. Raguagl. 8.

Cum ſagacitate tamen intelligendus Philo; non quaſi vero antiquæ nobiles familiæ non ſint multis laudibus cumulandæ, ſed quoniam, ut ex eodem Philone elicitur, familiarum oſtentatores, quid ſit vera nobilitas, ac ubi reponenda, plerumque ignorant. Novi quidem non deeſſe literiones quoſdam, blateroneſque, qui omnem nobilitatem veluti menti illudens ſpectrum eliminare conantur; ex his unus ille fabulo, qui effictis in Parnaſſo fabellis de feriis plurimum jocatus eſt. Commentus enim eſt penes Apollineam Rituum Congregationem Rabulam quemdam e Republica ſancti Marini adverſus eximios Regni Neapolitani Toparchas ita diſceptantem, ut villicos illos infimæ, deſpectæque Reipublicæ ad Regiam uſque nobilitatem extolleret, præclariſſimos autem-

tem Regulos viliſſime deprimeret; quumque multum a propoſito aberraviſſet, tandem vanum effictum idolum ſanguinis, vel generis nobilitatem eſſe concludit. Ita ludio iſte nobilitatis ſtatum non intelligens ſimplicibus fucum facere, atque omnes deſipere ſapientes Barbaros, Græcos, Latinoſque, qui de nobilitate præclare ſenſerunt, nugaciſſime conatur oſtendere. Nobis heic ſatis ſit, Hebraicæ a Deo ipſo traditæ ſapientiæ auctoritate nobilitatem tueri, ex eo ſcilicet Scripturæ loco, ubi eximius heros Eleazarus ab amicis hortatus, ut ſimularet ſe porcinam carnem comeſſe, ut mortis damnationem evaderet: *Cogitare cœpit ætatis, ac ſenectutis ſuæ eminentiam, dignitatem, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ converſationis actus, & ſecundum ſanctæ, & a Deo conditæ legis conſtituta: reſpondit cito, dicens præmitti ſe velle in infernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere.*

V. Tiraquell. De Nobilit.

Machab. l. 2. c. 6. v. 23.

IV. Ex quo loco nobilitate nedum *perſonali*, ut dicitur, & propria, ſed ingenita, ſive proſapiæ viros egregios decorari luculenter eruitur. Sed etſi cum aliis in admittenda generis, ſive proſapiæ nobilitate ſentiamus: tamen quid nobilitatem pariat, diuque incolumem ſervet, vel deſtruat, veſtigare perdifficile quidem putamus, futileſque permultas de hoc negotio exaratas fuiſſe diſceptationes. Quis enim cordatus homo cum Tiraquello ſentiet, nobilem a noſcendo dictum, quaſi notum, eoſque eximia

Tiraquell. De Nobilit. c. 2.

nobilitate decoratos, qui notum, ac celebre nomen ſibi factis aliquibus compararunt? Ita enim qui Templum Dianæ Epheſinæ incendit, atque attrivit, vel impiiſſimi quique Tyranni inter nobiles accenſendi eſſent, iique omnes, quorum ob iniquiſsima geſta infamis rumor percrebuit.

V. Non igitur quia cogniti, ideo nobiles, ſed potius quia virtutum decore conſtanti nominis fama celebrantur, ut rectiſsime firmat laudatus Philo, & nos modo explanabimus. Quapropter jure merito ab egregio poëta Dante Aligherio in Cantilena abundis a ſeipſo commentariis illuſtrata Friderici Imperatoris ſententia rejicitur, qui ſciſcitatus de nobilitatis conſtitutione ex Ariſtotele reſpondit: Illam antiquis, ſtabilibuſque divitiis adipiſci. Si enim ita res ſe haberet, deperditis divitiis omnis nobilitas protinus evaneſceret, quumque plurimos ex Comnenis, & Paleologis ſe reperiſſe referat nitidiſſimus Latinus ſcriptor Busbequius in legatione ex Anglia Conſtantinopolim peracta, qui fortunæ injuriis jactati aratris, atque ligonibus terram proſcindentes, vitæ neceſſitatibus occurrebant: hi ab aliis agricolis, coloniſque nihil fortaſſe differrent, etſi tantam generis vetuſtatem, tantamque ſanguinis poſsint nobilitatem jactare. Plurimique ex Surrentinis Patriciis nobilitatem protinus amiſiſſent, quum ob Africanæ claſsis incurſionem antiqua prædia ſua diſtrahere adacti fuerunt.

Dant. Nel Convivio Canzone Della Nobiltà. Strofa 1.
Tale imperò che Gentilezza volſe
Secondo il ſuo potere
Che foſſe antica poſſeſſion d'avere.

Auger. Gislen. Busbeq. in legat. Turcica.

VI. Itaque rectiſſime ita ratiocinatur Philo

lo Judæus eos arguens, qui in divitiis, & fortunæ, vel corporis bonis nobilitatem reponunt: *Quandoquidem verum bonum in nulla externa re, nec in corpore, immo nec in quavis parte animæ, ſed in principali tantum ſitum eſſe natura voluit: poſtquam enim Deus pro ſua bonitate, caritateque etiam inter nos hoc collocare decrevit, nullum templum invenit eo dignius, quam mentem hominis; mens enim circumfert illius boni effigiem, quamvis id perſuaderi non poſſit his, qui ne ſummis quidem labris deguſtarunt ſapientiam, caligantibus in luce clariſſima: nam aurum, argentum, honores, dignitates, valetudo, forma ſunt in virtutis tamquam reginæ miniſteriis. Quoniam igitur nobilitas expiatæ, purgatæque mentis ſors eſt præcipua, nobiles dicendi ſunt ſoli prudentes, & juſti, etiamſi e vernis, aut empticiis nati ſint. Malis vero prognatis ex honeſtis majoribus nullus locus eſt &c.* Phil. loc. cit.

Verum heic de nobilitate, quam perſonalem, propriamque dicimus, agere videtur Philo, a qua extorres facit omnes mentis virtute orbatos, immo & hos ipſa civitate eliminat. Sed inter nobiles ſapientes maxime cooptat in *libro De Vita contemplativa*, & in alio: *Quod omnis probus liber*. Sapientes vero illos maxime laudat, qui divina ſapientia tamquam regina edocti humanas ſcientias in famulatum aſciſcunt ita allegorice exponens Abrahæ cum Sara libera, & cum Aghar ſerva conjugium in libro *De Congreſſu quærendæ eruditionis gratia*.

Sed

Sed non eadem prorſus ratiocinatione utendum in nobilitate generis, & familiæ. Quis enim Maronis genethliacon de Salonio Pollione damnaverit, neque natum puerum propter atavorum nobilitatem celebrari debuiſſe putaverit, quod nullis animi virtutibus, nullaque ſapientia adhuc eſſet imbutus? Quum igitur ingenita nobilitas non ſit, ut diximus, neganda, potius videndum, in quo conſiſtat. In illuſtri, ac præclaro, quem acceperunt a genitoribus, ſanguine communiſſime clamant; eapropter alios nobili, & præclaro ſanguine, alios vili, ac deſpecto prognatos eſſe ipſi oratores, atque poëtæ quam plurimi aſtruunt. Sed hoc ipſum eſt, quod ridebat laudatus a nobis Ariſtarchus ille, qui ſanguinis nobilitatem mentis viſum, ludibriumque putabat, ad Lanios, Phlebotomos, artemque coquinariam facientes compellans, qui ſanguinis ſimilitudinem in cunctis, vel quandoque emicantiorem, generoſioremque ſanguinem a viliſſimis homuncionibus, quam a proceribus, ac magnatibus detrahi uno ore fatebuntur.

Boccalino.

VII. Addent recentiores doctiſſimi Phyſiologi, non parentum ſanguine, ſed genetricis ovario, patriſque ſubtiliſſima quadam ſubſtantia gnatos procreari, ut prætercam ipſos quoque antiquiores medicos, atque Galenum ipſum, qui rudiori Minerva anatomen inſpexere, a ſanguine parentum omnes gnatorum partes procreari putantes, ſed oſſa, cartilagines, nervos, aliaſque albas

V. Harvejum, Lucam Tozzi, potiſſimum Thomã Cornelium progym. 5. De Generatione,

albas fœtus partes a materiali, craſſaque genitura coagmentari; rubras vero, velut cor, jecur, parenchyma, carnem materno ſanguine congeri.

Ego vero, qui puto ſubtiliſſimis, actuoſis, ac ſpiritalibus parentum partibus fœtum conformari, atque diſponi, & ova, quæ in ovario geſtant femellæ, velut ex hypenemiis fœcunda reddi, proindeque gnatos genitoribus plerumque aſſimilari, prorſus Torquato Taſſo aſſentior, qui putat, generis, vel familiarum eſſe aptitudinem quamdam, ac partium interiorem conformationem, quibus geniti ad parentum mores, & geſta imitanda apposite, concinneque diſponuntur. Taſſo nel Dialogo intitolato, il Formoſo vero della Nobiltà.

Quod idem diſertiſſime ſenſerat Horatius Druſi Germanici laudes recinens:

*Senſere*,

loquitur de Rhœtis, Vindeliciſque. Horat. Carm. l. 4. Od. 4.

*Senſere quid mens rite, quid indoles*
*Nutrita fauſtis ſub penetralibus*
*Poſſet, quid Auguſti paternus*
*In pueros animus Nerones.*
*Fortes creantur fortibus: & bonis*
*Eſt in juvencis, eſt in equis patrum*
*Virtus; nec imbellem feroces*
*Progenerant Aquilæ Columbam.*
*Doctrina ſed vim promovet inſitam:*
*Rectique cultus pectora roborant:*
*Vtcumque defecere mores.*
*Dedecorant bene nata culpæ.*

Sunt ſemina quædam, quæ Plantas, Frutices, Arbores

bores gignunt ſpecioſiores, fructuſque ſuaviores. Brutorum quoque animantium ſoboles Canum, Equorum &c. aliæ ſunt, quibus formoſiores, dociloreſque pulli naſcuntur, aliæ, quibus informes, immanſueti, domituræque impatientes. Unde varietas hæc? Sane ex diverſa partium configuratione, quæ eſt in ſeminibus, & ex organorum compage in animantibus brutis: ex variis animæ paſſionibus in homine; quæ quo pacto gigni poſſint in parentibus, ac in filiis, maximi ſtudj, & laboris eſt inquirere; plura ex Renato Des-Chartes ediſces, ſi recte perpendas, quomodo anima, & corpus agant in ſe invicem, & a Phyſiologicis omnibus, quomodo corporis exteriorem, interioremque ſimilitudinem filii a parentibus mutuentur.

Des-Chartes, Paſſiones, ſive affectus Animæ p. 1. art. 34.

VIII. Illud vero apprime ex laudato Horatio annotandum, ad nobilitatem parentum fovendam pueros recta educatione eſſe informandos, ſine qua homines plerumque efferantur, ut ſeminum virtus ſine cultura, & brutorum ſoboles a ſua præſtantia deflectunt; proindeque mediocres ſaltem divitiæ nobilitati nutricandæ perquam neceſſariæ ad morum magiſtros, ſcientiarumque præceptores comparandos, atque alendos.

IX. Sobolis nobilitatem ex vetuſtate potiſſimum celebrandam eſſe plerique putant. Quod an verum ſit, ſummopere addubito; tum quia generis vetuſtas omnibus communis; nemo enim a primo parente Adamo ſe originem ducere non facile demonſtraverit: cum etiam quia conſeneſcentia

Digitized by Google

ſcentia omnia ſuapte natura imbecilliora evadunt; omneſque naturæ dotes quum ad ſummum bonitatis pervenerint, ſenſim deficere neceſſum eſt, ut experientia docemur, & Ariſtoteles pluribus in locis monet.

Quapropter minime aſſentior poëtæ Danti, qui naturaliter genitoribus genitos ſimiles perpetuo futuros eſſe exiſtimabat, niſi ſpeciali Divinæ Providentiæ decreto ordo hic turbaretur. Deus enim ita rerum naturalium ordinem conſtituit, ut *Omnia orta* occidant, & aucta ſeneſcant.

Quod ſi inter vetuſtiſſimas familias juvenilis vigor adoleſcat, floreat, & vigeat, hoc Divinæ Providentiæ mirandum quid eſt, & maxime ut in Auſtriaca gente merito ſuſpiciebat Torquatus Taſſus, qui injurios tam præclaræ genti putabat eos, qui Auſtriacam familiam illis Heraclidarum, & Æacidum aſſimilabant, quum omnes prorſus præſtantia longe, & dignitate exceſſerit, nec æqua nobilitas unquam in univerſo extiterit.

A vetuſtate tunc etiam nobilitati familiarum incrementum præberi * cum Ariſtotele putaverim, ſi ipſæ aut illic natæ ſint, aut multis ſeculis ibi vixerint. Qui enim ſedes nunquam mutaverunt, ſed in illis locis, quos incolebant, orti erant, αὐτόχθονες a Græcis dicebantur, & ſummis laudibus extollebantur, ut videre eſt apud Ciceronem. Quam laudem Athenienſes maxime conſecuti ſunt, & Surrentinis potiſſimum deberi

Dante Paradiſo canto 8. in fine.
Natura generata il ſuo camino
Simil farebbe ſempre a' generanti,
Se non vinceſſe il proveder Divino.

Taſſ. in Dialog. 1., cui nomen Forno 1. edit. Florent. tom. 3. pag. 56. col. 2. A me pare, che ſi faccia gran torto alla Caſa di Auſtria paragonandola con gli Eraclidi, e con gli Eacidi, perche ſe bene la virtù può cadere ſotto alcun paragone di grandezza, di dignità d' Imperio, e tanto maggiore, che quelle non furono, che non v' è comparazione: eſſendo la Caſa d' Auſtria ſenz' alcun dubbio la più nobile, che mai ſia ſtata nell' Univerſo, &c.

* Ariſtot. Rhetor. lib. 1. Cicer. in Oration. pro L. Flacc. Ariſtotel. De Republic. l. 4. & 5.

ex iis, quæ ſcripſimus de antiquiſſima eorum origine, apertiſſimum eſt. At vero ipſe Ariſtoteles, qui & antiquam patriæ originem, & veteres divitias nobilitatem parere putat, virtutem requirit, immo hanc potiſſimum *libro* 5. De Republica ad nobilitatem facere ſtatuit, ubi eos nobiles videri inquit, *qui majores virtute præditos, & rem familiarem magnam habuerint*. Cordatius autem in ſola virtutum ſerie Philo, aliique ſapientes ſtatuerunt. Nobilitas enim non ludentis fortunæ, ſed naturæ, immo & ipſius naturæ conditoris bonum.

X. Sed quænam virtutes nobiles faciunt? Omnes ne in nobili familia expetendæ? Haud ſane; non enim is ſum, qui putem, neminem virtutis compotem dici, niſi omnes ſimul complectatur. Vel ſi admitterem, non omnes nobilitatis propriiſſimas eſſe putarem; quod ſit peculiaris nobilitatis officium docet non vulgaris philoſophus: *Nobilitas ars eſt Rempublicam, & privatos defendere: plebejorum alere; ſapientum regere, & inſtruere. Ubi nullam functionem quis profitetur, ibi is excrementum eſt, & fucus. Qui autem inter Deum, & homines ſunt mediatores, hi divinior pars Reipublicæ æſtimandi ſunt, ut ſapientiſſimi, probatiſſimique Religioſi.*

Thom. Campanell. in Philoſoph. Real. p. 3. ubi De Politic. c. 3. §. ult.

Et ſane virtus otioſa, & ſocors, vel propenſio, & præcipuo nobilitatis munere appoſitio, & ingenium ad virtutem, ſi nullum unquam fructum emittant, fucus potius, ut laudatus auctor dice-

dicebat, & larva virtutis, ac nobilitatis cenſenda erunt.

At vero non quamlibet virtutem nobilitatis propriiſſimam, ſpecialemque eſſe, putandum eſt. Intellectus enim contemplatio non propriiſſima nobilitatis virtus, ſed potius actio, vel activæ Philoſophiæ habitus. Dantes nobilitatis nomen cum comitate, morum ſuavitate, docilitateque, quam Italice *Gentilezza* dicimus, reciprocat. Propria quoque Nobilitatis fortitudo, animi magnitudo, præſtantia, robur, præcipue pro militia, nos Italice dicimus *Valore*, cui nullam parilem vocem Græcos, nec Latinos obtinere, diſertiſſimus Cardinalis Bembus docebat. At pravum eſt, ut animi magnanimitas in elationem, ac trucitatem degeneret ob copiam, ac celeritatem ſpirituum, quibus nobiles a parentibus plerumque ſcatent. Quapropter ſtudio quæ veræ ſint nobilium virtutes a Philoſophia addiſcendum docebat Tullius: *hancque eſſe morum medicinam, ſine qua ſimul atque editi in lucem, ac ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur*. Proinde Philoſophia nos primum ad Deorum cultum: deinde ad jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate: tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem diſpulit, ut omnia *ſupra, infra, prima, ultima, media videremus*.

Dant. in laud. cant. & de Nobilitat.

Bemb. nelle Proſe l. 1. con le giunte di Lodovico Caſtelvetro.

V. Taſſ. nel Forno primo.

V. Des-Chartes De Paſſionib. Anim.

Cicer. Quæſtion. Tuſcul. l. 3.

Idem Tuſcul. lib. 2.

XI. Inter errores autem, quos inoleviſſe comperi

in Surrentina nobilitate, quum primum illius Eccleſiæ ſpirituale regimen ſuſcepi, is mihi maximus viſus eſt, quod magiſtratus nobilium ſolenni adſtantes ſacrificio, ſacriſque precibus capitibus aſcititias comas, & galerum aptabant, & tunc mirifice conſpiciendos, honorandoſque ſe putabant, quum quantum poterant capita cooperirent. Quam rem ſuæ nobilitatis, ac dignitatis inſigne eſſe dicebant, ac privilegium cum Regia ferme dignitate comparandum; eoque tenacius in ſua deceptione verſabantur, quo magis ab exteris improbari, & impietatis redargui ſentiebant, hoc obvio argumento (quo anonymus auctor Gallus utebatur, quem Benedictus XIII. dum Cardinalatus dignitate frueretur, & Beneventanum Archiepiſcopatum regeret, in Italicum ſermonem verti curavit). Quod ſcilicet quum inconſideratiſſimæ arrogantiæ ſit, ſummis principibus, capite vel levi pileolo tecto velle obſequi, quanto magis Deum precari capite cooperto.

Iſtoria delle Parrucche c.4.§.10.

XII. Sed rem Theologica ſancti Pauli ratiocinatione acutiſſimis, nobiliſſimiſque ingeniis Surrentinis ſuadere haud difficile fuit. Monet Doctor gentium Corinthios his verbis: *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput ſuum.* Hoc loco putat eruditiſsimus P. Benedictus Juſtinianus, qui fuſiſsime commentaria in Epiſtolas ſancti Pauli elucubravit, ab Apoſtolo monita dari Corinthiis, ne

S.Paul.p.ad Corinth.c.11.v.4.

ſu-

ſuperſtitiones ſectarentur Græcorum, quibus mos fuit Diis ſacrificare tecto capite, ut ex Plutarcho, & Macrobio liquet, præterquam Saturno, cui aperto capite ſacrum fiebat. Fortaſſe & Paulus diverſimode a nobis ſacrificium offerendum atque ab Hebræis monet; illi enim amicto capite, & nudis pedibus; nos vero calceati, & diſcooperto capite Miſſæ ſacrum facimus.

Plutarch. in Apophthegm.
Macrob. Saturnal.l.1.c.5.

Exod.28.37.

Quod ſi in ſolenni ſacrificio Epiſcopus interdum Tiara caput cooperiat, quæ coronam ſacerdotalem ſignificat, id adhibetur ad demonſtrandum Regale ſacerdotium; eam tamen deponit ad verba Evangelj, & alias, prout ſacræ ceremoniæ edocent.

XIII. Memoriæ etiam proditum eſt, libertatis indicium pileum fuiſſe; quare qui ſervi apud Romanos libertate donabantur, pileum geſtabant capite raſo. At vero precantes nos Deum omnem poteſtatis, ac dignitatis ſigna abjicere debemus, ut oſtendamus nos liberatos quidem a ſervitute peccati factos eſſe ſervos juſtitiæ, & Jeſu Chriſti liberatoris noſtri. Idipſum pluribus docet ſanctus Paulus, qui perpetuo ſe ſervum Jeſu Chriſti appellabat.

V. Gyrald. Hiſt. Deor. Gentil. Syntagm. 1. pag. 37.

Ad Rom c. 6.

Aliam rationem ſui moniti profert idem ſanctus Doctor: *Omnis vir orans, aut prophetans*, hoc eſt, in publico conventu orationibus, & prophetiarum lectionibus aſſiſtens, ut exponunt ſacri interpretes, *velato capite, deturpat caput ſuum*, Græce καταιχύνει, hoc eſt, dedecorat, probro afficit ca-

V. Cornel. a Lapid. in hoc c. v. 5.

caput ſuum. *Vir enim imago, & gloria Dei eſt*, hoc eſt, glorioſa Dei imago repræſentans Chriſtum; *Omnis viri*, ut inquit idem Apoſtolus, *caput Chriſtus eſt*. Chriſtus vero non occulandus, ſed palam omnibus revelandus.

Bail. in Apparat. Summ. Concil. Tit. error Corinth.

Mulieribus vero velandum caput, inquit Apoſtolus, contra quam obſervabant Corinthii, ut notat M. Ludovicus Bail inquiens: *VI. error in hoc erat, quod viri cooperto capite orabant, mulieres ſparſis crinibus*.

S. Nil. Epiſt. ad Anaſtaſ.

His vero velandum potius eſſe caput, monet Apoſtolus *propter Angelos*. Quæ verba quum diverſimode interpretentur expoſitores nomine Angelorum heic intelligentes Eccleſiæ miniſtros, mihi arridet, quod ſanctus Nilus de ſancto Johanne Chryſoſtomo magiſtro ſuo referebat, *illum ſcilicet omni fere tempore vidiſſe Eccleſiam Domum Domini refertam Angelorum cœtu*, & tunc in primis quum divinum, & incruentum ſacrificium offerebatur, quo quidem tempore ſtupore, & lætitia plenus *rem præcipue amicis enarravit*. Proindeque & ipſe de reverentia debita tanto ſacrificio, & tantæ menſæ prædicans inquit: *Ad quam aſſiſtunt Cherubim, deſcendunt Seraphim, qui ſenis alis præditi vultus demittunt; ubi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt*. At vero ubi ſublimes ſpiritus illi tam reverenter, ac demiſſi aſſiſtunt, faſtoſi viri, ac pileati ſe erigent? mulieres vero ſine decenti velamine formam ſuam, ſpeciemque cum ſcandalo oſtentabunt? Nonne hoc

S. Joh. Chryſoſt. homil. De Sacr. menſ.

erit

erit Dei majeſtatem, gloriamque contemnere? cui quid conſequens? ut omni prorſus nobilitate amiſſa ignobilitatis opprobrium contrahant id patrantes juxta firmum illud Dei decretum: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. I.Reg.cap.2.v.3.

Tam impium ſane tumorem, ac faſtum nobiliſſimi Surrentini patricii plebeculis illis relinquant, quæ nullo nobilitatis ſplendore fulgentes divinæ ſapientiæ monita vel ne primis quidem labiis deguſtarunt; non talia ipſi in poſterum patrare audeant, qui inſigni nobilitate a datore omnium bonorum donati ſunt; civitatiſque Neapolitanæ, quæ Regni præcipua eſt, modeſtiam, pietatemque imitentur; & ſancti Pauli monita reverentes caput in ſignum Chriſtianæ humilitatis detegant.

XIV. At heic inquiet quiſpiam: Nonne Reges aliqui Miſſæ ſacrificio aſtantes pileo caput tegunt? Nonne Tiara Epiſcopi? Nonne birreto, & pileolo Canonici? Sed o quam facile ſacrarum ceremoniarum ignaris talia muſſitantibus decipi eſt. Reges ſacro oleo unguntur, nec penitus laici dicendi Caſſaneum, alioſque a quibus ſecreti ſublimiorem in locum, quum ad Eccleſiam veniunt, admittuntur. Imperatores vero Germaniæ ornamenta induunt in Eccleſia, quæ eadem ipſa ſunt, ac Diaconorum; interſunt pervigilio, & nocturnis officiis Natalis Chriſti, ſeptimam lectionem in Diaconi vicem recitant, ut abunde refert Pater Thomaſſinus, & Caſſaneus. Iiſque pileus coronæ Regiæ indicium eſt.

V. M. Beſianum Arroy Queſtions decidées.

Thomaſſ. De nova, & veter. Eccl. Diſcipl. circa benef. tom. 1. lib. 2.

cap. 51. & 52. & lib. 3. cap. 64. V. Baron. laudat. a Thomaſſ.

eſt. Tiara Pontificia ſacrum, & myſticum indumentum, de quo pluries Cardinalis Baronius. Birretum Canonicorum myſticum quoque indumentum. Pileoli Sacerdotibus ob infirmitatem a Summis Pontificibus indulti, ut abunde videre eſt apud laudatum concinnatorem hiſtoriæ de Comis aſcititiis.

Hiſtor. Delle Perucche c. 3. §. 1. & 11.

His perpenſis a Surrentinis, tandem deformitatem illam, ad quam mala conſuetudine venerant, laudabiliter, pieque emendaverunt; & faxit Deus, ut tam ſanum conſilium diu ſervaturi ſint, ut Deum minime contemnentes nobilitate ſua, qua tantopere gloriantur, propter ſapientiam ſint perpetuo fruituri, minimeque propter inſipientiam quod Dei contemtoribus non ſemel accidit, amiſſuri.

# *F I N I S.*

Digitized by Google

# ELENCHUS

Titulorum Secundæ Partis.

## PARS ALTERA.

*Lucubrationum in Civiles Surrentinorum antiquitates Proluſio.* pag. 1.

## LIBER PRIMUS.

*De Naturali Surrentini Promontorj præſtantia, atque fertilitate.* 9.

CAPUT I.

*Promontorj Surrentini deſcriptio.* 10.

CAPUT II.

*De Surrentinorum Elementorum ſalubritate, ac præſtantia Phyſiologica diſcuſſio.* 26.

ARTICULUS I.

*De Surrentini Aëris clementia, ac ſalubritate.* 30.

ARTICULUS II.

*Excurſus circa aëris reſpirationem.* 39.

ARTICULUS III.

*Alia quædam ad Surrentini aëris ſanitatem facientia curſim indicantur.* 46.

CAPUT III.

*De laticum Surrentinorum præſtantia.* 54.

ARTICULUS I.

*Excurſus circa nuper adinventum medicamen gelidam aquam largiſſime propinandi ægrotis.* 61.

ARTICULUS II.

*Traditur methodus deprehendendi pondo aquarum inter ſe differentiam.* 80.

CAPUT IV.

*De Surrentini Promontorj fertilitate, & primum de Gemmulis Surrentinis.* 92.

CAPUT V.

*De Oræ Surrentini Promontorj, quam mare diſtinet, fæcunditate.* 99.

CAPUT. VI.

*De Surrentini ſoli fertilitate.* 119.

CAPUT VII.

*De ſelectiſſimis frugibus Surrentinis, & primum de Oleis, & de Citreis malis.* 123.

CAPUT VIII.

*De Selectis Pomis Surrentinis.* 130.

CAPUT IX.

*De Vinis Surrentinis.* 141.

CAPUT X.

*De Poculis Surrentinis.* 149.

# LIBER II.

*De Civilibus antiquiſſimis Surrentinis ſtructuris.* 152.

CAPUT I.

*Inquiritur primus Surrentinæ Orbis constructor.* ibid.

AR-

ARTICULUS I.

*Nulla fides habenda Beroſi Chaldæi Hiſtoriæ evulgatæ ab Annio Viterbienſi. Commentitia eſt Reginæ Surrentinæ urbis excitatricis aſſertio.* 154.

ARTICULUS II.

*De Oſcis, Opicis, atque antiquioribus Campaniæ Incolis Pelaſgis.* 159.

ARTICULUS III.

*Probatur, homines neque æternos eſſe potuiſſe, neque ſponte e terra natos.* 165.

ARTICULUS IV.

*De Diluvio quædam libantur opportuniora.* 174.

CAPUT II.

*Profligatur quorumdam opinio exiſtimantium Sem Noë filium Surrentinæ urbis Structorem.* 182.

PROPOSITIO I.

*Noëmus tres filios tantum genuit; horum natu maximus Japhet. Titanes fabuloſi.* 286.

PROPOSITIO II.

*Commentitia Noëmi in Mediterraneo hoc noſtro mari navigatio.* 189.

PROPOSITIO III.

*Semum in Italia urbes numquam ædificaſſe, immo nêque adventaſſe ſuadetur.* 194.

PROPOSITIO IV.

*A Cethei poſteris Latinam regionem frequentatam fuiſſe ex ſacra Scriptura conjicitur.* 196.

CAPUT III.

*Statuitur a Telebois conditam fuiſſe Surrentinam Urbem.* 200.

CAPUT IV.
*De Sirenibus Surrenti habitantibus.* 208.
CAPUT V.
*Quando Sirenes deſierint, & Surrentina Civitas fuerit extructa.* 218.
CAPUT VI.
*Num in Campaniæ Provincia, an in Picentinis Surrentina Civitas extiterit?* 226.
CAPUT VII.
*De vetuſtiſſimis publicis Ædificiis Surrentinis, ac primum de Idolorum Templis.* 231.
CAPUT VIII.
*De Templo Sirenum.* 235.
CAPUT IX.
*De Templo Junonis Argivæ in Surrentino Agro.* 242.
CAPUT X.
*De Atheneo, ſeu Templo Minervæ.* 248.
CAPUT XI.
*De duobus Templis Neptuno, & Herculi a Pollio Felice poſitis. De Taurubulis, & de Villa Pollj.* 252.
CAPUT XII.
*De Templis Cereris, & Fortunæ, Neptuni, & Apollinis, & de Pantheo.* 260.
CAPUT XIII.
*De Nymphæo Surrentino.* 262.
CAPUT XIV.
*De Circo Surrentino, ac Ludis Circenſibus.* 270.
CAPUT XV.
*De Surrentinis Piſcinis, Aquarumque Caſtellis.* 275.

LI-

# LIBER III.

*De Politia Surrentina.* 278.

CAPUT I.

*Surrentina Reſpublica tempore Græcorum.* 281.

CAPUT II.

*De Republica Surrentina tempore Romanorum.* 284.

CAPUT III.

*Quonam fœdere Reſpublica Surrentina Romanis conjuncta fuerit.* 287.

CAPUT IV.

*Quid interſit inter Municipium, & Coloniam.* 290.

CAPUT V.

*De Magiſtratibus Surrentinis.* 302.

CAPUT VI.

*De Republica Surrentina tempore Gothorum.* 306.

CAPUT VII.

*De Republica Surrentina tempore Regum Langobardorum.* 312.

CAPUT VIII.

*De Statu Reipublicæ Surrentinæ, regnantibus in Italia Gallis Imperatoribus, ubi Surrentum a Neapolitanorum jugo vindicatur.* 324.

CAPUT IX.

*Surrentina Civitas a Neapolitanorum jugo vindicata.* 330.

CAPUT X.

*Surrentinos quoque cum ſua claſſe Neapolitanis in confœderatione contra Saracenos inita ſe adjunxiſſe conjicitur.* 334.

CA-

CAPUT XI.
*De Surrentinorum Navibus.* 339.
CAPUT XII.
*De Sergio Surrentinorum Conſule.* 344.
CAPUT XIII.
*Rempublicam Surrentinam poſt adventum Nortmannorum conſtitiſſe traditur, ejuſque memoranda quædam recenſentur.* 346.
CAPUT XIV.
*Reſpublica Surrentina diu poſt Sergium libertatem ſervavit.* 360.
CAPUT XV.
*Adverſus eos diſſeritur, qui Surrentinam Rempublicam a Roberto Viſcardo occupatam fuiſſe tradunt.* 366.
CAPUT XVI.
*Breviter recenſetur poſt obitum Roberti Viſcardi expeditio, militariſque Crucigerorum apparatus in Terram Sanctam, cui Proceres Nortmanni in noſtra ulteriori Italiæ parte regnantes ſe comites adjunxerunt, Surrentinique plurimi Commilitones.* 371.
CAPUT XVII.
*De Roberto Patricio Surrentino Capuæ Principe, ejuſque geſtis pro Romana Eccleſia.* 386.
CAPUT XVIII.
*Roberto Capuæ Principi, qui Innocentio II. adhæſit, Surrentina Patria adverſus Camillum Peregrinum aſſeritur.* 402.

CA-

## CAPUT XIX.

*Quando liberæ Reipublicæ formam penitus amiſerit Surrentum.* 408.

## CAPUT XX.

*De Viris illuſtribus Surrentinis, ubi detegitur error eorum, qui Paſcilem clariſſimum Grammaticum Surrentinum faciunt.* 417.

## CAPUT XXI.

*Recoluntur Surrentini ingenio, ac ſapientia præſtantiſſimi.* 420.
*Qui fuerunt e Surrento Cardinales.* ibid.
*I. Landulphus Vulcanus.* ibid.
*II. Marinus Vulcanus.* 421.
*III. Nicolaus Acciapaccia.* 424.
*IV. Anſelmus Marzatus.* 426.
*§. II. De Epiſcopis, quos Eccleſiæ Dei dedit Surrentum.* 427.
*I. Petrus Surrentinus Archiepiſcopus Neapolitanus.* 428.
*II. Antonius Agellius Epiſcopus Acernenſis.* 430.
*Scipio Capicius.* 439.
*Brutus Capicius.* 441.
*Epicurus Capicius.* 442.
*Bernardinus Rota.* ibid.
*De Torquato Taſſo Surrenti nato nonnihil.* 444.

## CAPUT ULTIMUM.

*De Surrentinorum Patriciorum præſtantia. Ubi nonnihil de nobilitate generatim diſſeritur.* 448.

Aucto-

Digitized by Google

*Auctori in mente erat, Operi addere Promontorj Sur*
*rentini tabulam Topographicam, (quam tamen ſa*
*cile percipiet, qui ipſius deſcriptionem attente le*
*gerit) & Indicem Alphabeticum rerum præcipua*
*rum: ſed infirma valetudine correptus rem inſe*
*ctam reliquit.*

# F I N I S.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI
523796
Digitized by Google

Digitized by Google

523796

Digitized by Google

Digitized by Google